BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
25 A
9 M
14
2
A
21

Liber hic ē Conventus Sancte M.
de Urbe fratrum Discalceatorum
Sancti Patris Aug:

VIII Bh 110 f 90

Digitized by Google

[illegible]
[illegible]
[illegible]

INTRODVCTIO
IN
ARISTOTELIS
LOGICAM
ET RELIQVAS DISCIPLINAS

Auctore

ANTONIO CASILIO
E SOCIETATE IESV

Secunda Editio ab Auctore recognita, & locupletata, cum

TOPICA ARISTOTELIS
nuper addita.

ROMÆ,
Typis Franciſci Corbelletti. MDCXXXV.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Mutius Vitelleſcus, Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

CVM Introductionem in Logicam, recognitam, & locupletatam, cum Topica Ariſtotelis, P. Antonij Caſilij noſtræ Societatis, aliquot e noſtris recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita Reuerendiſs. D. Viceſgerenti, & Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 29. Maij 1635.

Mutius Vitelleſcus.

Loco ✠ Sigilli.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. M. S. P. Apoſt.

A. Torniellus Viceſg.

TRactatum hūc qui Inſcribitur Introductio in Dialecticam R. P. Antonij Caſilij Societatis IESV ab eodem auctore locupletatum iterum recognoſcendum mihi tradidit Reuerendiſſimus Magiſter Sacri Palatii Nicolaus Riccardius: In quo nihil reperi non conſonum cum ſana doctrina, ſed potius, quod tunc dixi, opus perutile non ſolum Tyronibus, ſed & facultatum profeſſoribus; nunc denuo in [illegible] auctum omnibus bonarum litterarum amatoribus valde [illegible]artum iudico. Romæ 3. Iulii. 1635.

Joannes Aluarado Præfectus Studiorum Collegij Romani Societatis Ieſu.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apoſt. Magiſt. Ord. Præd.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI

MVTIO VITELLESCO

SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

ANTONIVS CASILIVS eiuſdem Societatis F.

TE, infantiæ ſuæ Tutorem Philoſophia depoſcit mea, noſtri Ordinis Moderator humaniſſime, quem iam pridem religioſo Sacramento concepta ſimul, & enata pietas parentem ſortita eſt. Tu mihi ad Diuinam Philoſophiam mentis oculos aperien-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

rienti, ac prope naſcenti, benefici ſideris inſtar illuxiſti: tu idem eruditum, humanæ Philoſophiæ partum in hac tenui proluſione, quaſi in vitæ limine vagientem patrocinio fouebis, auctoritate firmabis, illuſtrabis aſpectu. Neque verò à me grauiſſimæ diſciplinæ tibi rudis tantummodo, & imbecilla dedicatur infantia, ſed eiuſdem vberiores in libros adulta, & ampliorem in ſpeciem perducta maturitas deſtinatur. Floſculos nunc, & primitiua ſapientiæ germina præbeo, fructus poſthac daturus, quos doctrinæ ſimul, & beneuolentiæ tuæ fœcunda benignitas largiter aſpirans vitalem euocabit ad lucem. Equidem mei ſterilitatem ingenij non ignoro: tuo tamen præſidio frugiferam fore non diffido Sapientiam, cuius ope ad ſanctiorem religioſæ vitæ frugem tenerrimus ani-

animus traductus eſt. Quod ſi, vt ſperare fas eſt, Deus indulgeat: duplici te nomine, pietatis, & doctrinæ, hoc eſt gemini, humanæ mentis præſtantiſſimi fœtus parentem feliciſſimè nactus, amantiſſimè venerabor. Vale. Romæ. Kalendis Iulij 1635.

AD LECTOREM.

ILLVSTREM palmaris temeritatis notam meritò ſubirem, ſi eo conſilio hoc opus aggrederer; vt oſtenderem alios, qui hac de re ſcripſerunt numero plurimos, auctoritate præſtantes, ſapientia conſpicuos, longa docendi conſuetudine peritiſſimos à recto veritatis tramite declinaſſe. Alieniſſima hæc ab animo meo procul abeſt audacia. Eum enim eſſe me ſimpliciter, & ſine fuco profiteor, qui & ab omnibus erudiri libenter patiar, & alios docere (quod per aliquot annos aliorum imperio feci) vehementer erubeſcam. Vnum tamen eodem animi candore, ac fide fatebor. Audiui ſæpe multorum eſſe querelam, Philoſophiæ, imò Theologiæ candidatos laborare, tum in Syllogiſmorum dignoſcendis fallacijs, tum in propoſitionum exploranda veritate, oppoſitione rimanda, rationum momentis æquo iudicij libramento penſandis, tum in argumentationibus, vt vocant, *à collectiuo ad diſtributiuum; ex ſuppoſitione ſiue falſa, ſiue impoſſibili*; & alijs ſexcentis, quantum ſit efficacitatis, ac roboris perſcrutando. Occurrendũ eſſe huic incommodo vnanimi omnes conſenſione proclamãt: idq; Summularum beneficio fieri, nemo nõ videt. In eligendo tamen Auctore ſolers, ac perſpicax addiſcentium deſideratur induſtria.

ſtria. Veteres quidem, qui in hac re accuratiſſimi fuere, plerique minutarum præceptionum importuna profuſione redūdant, & ferè omnes vocibus, ac loquendi formulis vetuſtatem olentibus ſcatent, hac noſtra ætate à communi vſu loquendi longè ſubmotis. Recentiores verò ferè omnes in alterum breuitatis ſcopulum deflexerunt; breuiſſima enim præceptorum compendia concinnantes, tenues quaſi riuulo vbique commonſtrant, ipſum tamen veritatis fontem nunquā aperiunt. Auctor ergo eſt ſeligendus, qui intermedia, tutaque via incedens, & germanam antiquorum doctrinam, huius tamen æui ſolemni locutione conueſtitam, exponat, & recentiorum breuitate ſic gaudeat, vt eandem doctrinam exemplorum luce declaret, & rationum firmitate corroboret. Quid igitur, num impudentiſſimus ego id me aſſequi poſſe confidam, quod ab omnibus expetitur, ab eorum tamen nemine, qui ſapientiſſimè hoc in opere haſtenus deſudarūt, omni ex parte perfectum inuenitur? Minimè verò; imò & hunc ipſum timebam temeritatis ſcopulum. Eorum tamen, quorum nutibus regor, imperio, opus molior periculoſæ pleniſſimum aleæ, non tam audaci perficiendi fiducia, quàm laudabili experiundi voluntate, eo mentis propoſito, vt in præſcriptum operi finem, ſi minus collimaſſe, ab eo certe non longiſsimè videar aberaſſe. Illud tamen meæ vtcunque aberrantis operæ pretium erit, quod alijs in ſcopum collineandi viam quaſi digito commonſtraſſe videbor Cæterum; Eru-

ditæ vtilitatis, ſi quam legentibus allaturus eſt hic libellus, commendationem, ac præconium, bonorum omnium perenni, ac nunquam eſtœto largitori Deo, dicatum volo. In opere verò toto, Beneuole Lector, non tam rei præſtantiam, quam eruditionis tuæ ſtudioſiſſimum animum agnoſcas, velim.

VNI-

VNIVERSI OPERIS METHODVS.

1 *METHODVM deſumpſimus ex fine* Logica, *qui eſt, Intellectus* Operationes *erroribus purgare; Iuxta triplicem igitur Intellectus operationem, quæ imperfectionibus eſt obnoxia; tripartita erit noſtra tractatio. Et prima quidem parte de ijs agemus, quæ* Prima Operationis *inſeruiunt directioni.* Secunda *de ijs quæ* Secunda. *Tertia verò pars ea complectetur, quibus Tertia* Operatio *ad rectam ratiocinandi normam cõformatur. In has nimirum partes Ariſt.* Logicam *diſtribuit ſuam. Liber enim* Prædicamentorum, *vt rerum incomplexarum, pertinent ad Primam* Operationem: *quæ ſimplicium terminorum appellatur apprehenſio. Libri* Perihermenias, *in quibus agitur de oratione, pertinent ad Secundum. Libri demum* Priorum, Poſteriorum, *&c. in quibus* Syllogiſmi *natura, eiusq. ſpecies explicantur, ad Tertiam ſpectant. Quæ ergo Ariſt: in ſua* Logica *copiosè, & ſub obſcuris vocum inuolucris docet, nos in clariorem huius voluminis ambitum colligemus.*

2 *Duo interim neceſſe habeo præmonere* Lectorem. *Alterũ ne immatura feſtinatione poſtrema ſectetur, niſi prima ſit antea perſcrutatus. Sunt enim adeò connexa prima ſecun-*

dis, tertia primis, vt ſine primis vltima percipi nequeant; quo fiet, vt poſtrema captu non videantur obſcura, ſi prima, ex quibus lux ad conſequentia deriuatur, explorata penitus fuerint, atque perſpecta. Alterum eſt: quoniam ex modo dictis Summularum vſus non ſolum Tyronibus eſt neceſſarius, ſed etiam ijs, qui in Philoſophica, *ac Theologica diſciplina aliquos habuere progreſſus; adeo vt eruditiſſimus* Sotus *penè ſenex, & doctiſſimus* Bagnes *ſeptuagenarius Summulas edere non erubuerint; Noſter verò ingenioſiſſimus Vaſquez Villalpandi Summulas præ manibus habere conſueuerit, tum maxime, cum grauiſſimas* Theologiæ *quæſtiones enodaret; alterum inquam, eſt; cenſuiſſe me quædam adijcere ſt, quæ imbecilliorem Tyronum intelligentiam ſupergredi videntur, à quibus monitos eos velim, vt abſtineant, donec ſe ipſis ſapientiores euaſerint.*

Hæc autem in Appendices ſingulis Capitibus ſubiectas reieci; quas proinde trifariam partitus ſum, nempe in Appendices Primi, *Secundi, Tertijque generis pro vario addiſcentium vel captu, vel progreſſu.*

PRO-

PROLVSIO.

QVONIAM ſolent Tyrones vel ipſo initio concertare; vt non omnino temerè id faciant, neceſſarium duxi rudem notionem aliquorum tradere, quæ illos iuuare poſſint ad non omnino ineptè diſſerendum.

CAPVT PRIMVM.
De modo ſciendi.

NOMINE *modi ſciendi* intelligimus viā quandā diſtinctè cognoſcēdi id,quod antea confusè cognoſcebamus v. g. *Definitio* eſt vnus ex modis ſciēdi,quia per illam cognoſcimus diſtinctè naturā rei, quam confusè ſine definitione cognoſcebamus: quare dicendo, *Homo eſt animal rationale*, (quæ eſt definitio hominis)diſtinctè cognoſcimus *naturam* hominis, quam confusè per hanc vocem, *homo*, cognoſcebamus. Vt ergo non eſt vnus modus cognoſcendi, ita nec vnica tradi poteſt illius notio. Generatim autem (quod alibi diximus de ipſa Logica, quam aliqui dicūt eſſe modū ſciēdi)dicēdum dupliciter accipi poſſe modum ſciendi; Primo pro ipſis præceptis, & regulis benè cognoſcendi, & dici poſſet mo-

dus ſciendi docens. Secundo pro ipſo exercitio cognoſcendi regulato per præcepta, & dici poſſet modus ſciendi vtens: v.g.in exemplo allato de definitione: præcepta quæ dicunt; Definitionem debere eſſe clariorem defin to, conſtare ex genere, & differentia,&c. appellari poſſet modus ſciendi docens: ipſa verò Definitio tali rei applicata, directa iuxta ſuas regulas, dici poſſet modus ſciendi vtens.

2 Iuxta communem verò modum loquendi Summuliſtarum, Modus ſciendi ſumitur pro aliquibus vocibus, quæ exprimant rem ignotā iuxta regulas prædictas. Qua ratione definitur à Soto lib.2 ſumm.cap. 4 *Eſt*,inquit, *oratio manifeſtatiua alicuius ignoti*, Dicitur, *oratio*,quia vna vox non eſt ſufficiens ad explicandā rē diſtinctè. Dicitur,*manifeſtatiua ignoti*, quia niſi ſit oratio explicans diſtinctè rem, neque erit modus ſciendi. Vnde ſi quis definiret, hominem eſſe arborem inuerſam, non benè definiret, quia talis oratio non explicaret diſtinctè naturam hominis.

3 Dices. Si quis mihi diceret eſſe Indias, quas nunquam vidi,verè talis oratio eſſet manifeſtatiuā alicuius ignoti: ergo eſſet modus ſciendi.

4 Reſpōdetur,Diſtinguo antecedens;Eſſet manifeſtatiua diſtinctè, & clarè,nego; confusè, & obſcurè, tranſeat. Modus autem ſciendi ex dictis debet eſſe oratio manifeſtatiua clarè,& diſtinctè alicuius rei,quam per aliam vocem cognoſcebamus: in exemplo autem allato non habetur diſtincta cognitio Indiarum;

rum;ſicut per definitionem hominis habetur diſtincta cognitio naturæ hominis.

5 Triplex à Soto citato, & alijs communiter diſtinguitur modus ſciendi: *Definitio, Diuiſio, Argumentatio*. Sufficientiam diuiſionis probat Sotus ex eo; quia primo res eſſe poteſt *ignota*, & explicari debet per voces notiores; & ſic habetur *Definitio*, cuius munus eſt explicare naturam rei ignotā; ſecundò res poteſt eſſe multiplex, ita tamen, vt eius multiplicitas non cognoſcatur; & ſic habetur *Diuiſio*, cuius munus eſt partiri totum in ſuas partes: tertiò demum res ignota poteſt eſſe coniuncta cum alia notiore, qua manu ducamur ad cognitionem ignoti, & ſic habetur *Argumentatio*. Perfectam notitiam horum modorum infra trademus. Quare omiſſis duobus prioribus modis, vt non admodum neceſſarijs pro ratione ruditer diſſerendi; nunc ſolum aliquid breuiter de Argumentatione dicemus.

CAPVT SECVNDVM.
De Argumentatione, eiuſque ſpeciebus.

1 Argumentatio communiter deſcribitur eſſe *oratio, in qua vnum ex alio deducitur*. Dicitur *oratio*, quia vna vox non eſt Argumentatio. Dicitur *in qua vnum ex alio deducitur*, quia debet eſſe talis oratio, in qua manifeſtetur vnum ſequi ex alio, vt mox explicabimus.

2 Tria Sotus citatus cap. 4. lect. 3. & communiter

muniter alij requirunt ad Argumentationem; *antecedens*, quod eſt illa oratio, ſeu propoſitio, ex qua alia ſequitur; *conſequens*, quod eſt illa propoſitio, quæ ſequitur; & *notã illationis*, qualis eſt particula, *ergo*, vel *igitur*, vel alia ſimilis, per quam denotatur eſſe connexum conſequens cum antecedente: v.g *ſol eſt, ergo dies eſt.* prima propoſitio eſt antecedens, ſecunda conſequens: ly *ergo*, eſt nota illationis.

3 Quadripartito diuiditur *Argumentatio*: in *Exemplum, Inductionem, Enthymema, Syllogiſmum.* Diuiſio ſumitur ex Ariſt. 2. Prior. cap. 29. & deinceps, vbi agit de his ſpeciebus argumentationis.

4 Exemplum eſt *oratio, in qua vel vnum, vel multiplex ſingulare ex vno etiã ſingulari ſimili inferimus*; v.g. *Dauidi Regi fuit glorioſum pro Religione præliari: ergo Philippo quoq. Regi erit glorioſum, & Ludouico Regi.*

5 Inductio, *eſt progreſſus à ſingularibus ad vniuerſale*; cum ſcilicet ſingularibus ſufficiẽter enumeratis aliquid vniuerſale, & commune colligimus: v.g, *hic diſcipulus ſtudet, & ille ſtudet, & ſic de cæteris: ergo omnes diſcipuli ſtudent.*

6 Enthymema, quod etiam dicitur ſyllogiſmus decurtatus, *eſt oratio, in qua ex vna propoſitione, quæ ſit antecedens, deducitur altera, quæ ſit conſequens*: v. g. *virtus eſt bona, ergo virtus eſt amabilis.* deeſt vna propoſitio, ſcilicet, *omne bonum eſt amabile*, quæ cum alijs propoſitionibus conſtitueret ſyllogiſmũ perfectum; hac ratione: *omne bonum eſt amabile,*

omnis

omnis virtus eſt bona, ergo omnis virtus eſt amabilis. Ariſt. 2. Prior. cap. 34. vocat *Enthymema*, ſyllogiſmum imperfectum ob defectum vnius propoſitionis.

7 Syllogiſmus demum omniũ perfectiſſima argumẽtatio, eſt *Oratio, in qua ex cõnexione, quam habent duæ voces, ſeu termini cum aliquo tertio, colligitur connexio talium terminorum inter ſe*: v. g. ex connexione, quam habet rationale cum homine, & riſibili; colligitur connexio hominis cum riſibili. Pro intelligentia autem vocum, ſeu terminorum, quorum vſus eſt in ſyllogiſmo:

8 Notandum. Syllogiſmum primò conſtare ex propoſitionibus. Nomine autem propoſitionis intelligimus, orationem conſtantem ex verbo indicatiui modi temporis præſentis, quia debet eſſe perfecta oratio, qualis ſolum eſt per verbum indicatiui modi. Quare hæc oratio, *vtinam diſcipuli ſtuderent*, non eſt propoſitio, quia non eſt oratio perfecta; loquimur autem hic de propoſitione ſimplici, nam de hypothetica; qualis eſt hæc, *ſi ſol luceret* v. g. *dies eſſet*. eſt alia ratio, de qua Infra.

9 Secundo. Propoſitionem conſtare ex duobus terminis, & copula. Primus dicitur *ſubiectum*, & eſt ſolum nomen ſubſtantiuum, vel adiectiuum neutrius generis, quod tunc habet rationem ſubſtantiui; Si aliquando ponitur adiectiuum alterius generis ſubintelligitur ſubſtantiuũ; v. g. *Doctus eſt laude dignus*; intelligitur *homo doctus*. Secundus terminus dicitur *prædicatũ*, quod poteſt eſſe nomẽ, vel adiectiuũ, vel ſubſtãtiuũ & accipitur per mo-

dum

dũ adiacentis, ſeu aduenientis ſubiecto. Cognoſcitur autem qui nam è duobus terminis ſit ſubiectum, & qui prædicatũ, vel ex ordine, quo ponuntur; communiter enim ſubiectum primo loco, ſecundo loco ponitur prædicatum: vel ex diuerſo modo proferendi, & intentione dicentis. Verbum demum dicitur *copula*, quia coniungit Prædicatum cum ſubiecto,

10 Tertio, tres tantum debere eſſe terminos in ſyllogiſmo, duos de quibus eſt quæſtio, tertium qui ſit ratio illos connectendi, & dicitur medius terminus; v.g. quæſtio eſt an *homo ſit connexus cum riſibili*, aſſumitur rationale pro medio termino, qui ſemel cum ſubiecto, ſcilicet *homo*, ſemel cũ prædicato prædictæ propoſitionis, ſcilicet, *riſibilis*, connectatur; vt deinde habeatur connexio talium terminorũ, ſcilicet *homo riſibilis*, inter ſe, de quibus erat quæſtio. Vnde infertur, tres tantum eſſe debere propoſitiones in ſyllogiſmo, primam, quæ conſtet ex medio termino, ideſt *rationale*, & prædicato quæſtionis, ideſt, *riſibile*; ſecũdam ex ſubiecto eiuſdem quæſtionis, id eſt, *homo*, & medio termino, id eſt *rationale*; tertiam, quæ ſit ipſa quæſtio iam probata, ex duobus ſcilicet terminis, de quibus dubitabatur an eſſent cõnexi, vt in exemplo allato, an ſcilicet *homo ſit riſibilis*. Conceſſis autem duabus primis propoſitionbus, quæ dicuntur præmiſſæ, ſi argumentum ſit in forma, vltimam propoſitionem negari non poſſe, nec diſtingui. Prima propoſitio dicitur *maior*, quia continet prædicatum propoſitio-

nis;

nis,de qua eſt quæſtio Secunda dicitur *minor*, quia continet ſubiectũ eiuſdē.Hi verò termini dicuntur *extremitates*, quia claudunt mediâ copulam,ſeu verbum;& ſubiectum quæſtionis dicitur *minor*, prædicatum verò eiuſdem, *maior extremitas*. Tertia demum propoſitio dicitur *concluſio*, ſeu etiam *conſequens* propter notam illationis *ergo*: quam habet, & eſt eadem,ac illa propoſitio, de qua erat quæſtio. quæ propoſitiones ita diſpoſitæ talem conficient ſyllogiſmum.

Omne rationale eſt riſibile.
Omnis homo eſt rationalis:
Ergo omnis homo eſt riſibilis.

Vbi vides eſſe tres terminos, & illorum vnum ſcilicet, *rationale*, eſſe medium terminũ,& bis poni in præmiſſis,non autem in cõcluſione,in qua ponuntur ſolum illi termini, de quorum connexione erat difficultas: non autem medius terminus,qui eſt ratio probandi connexionem talium terminorum.

CAPVT TERTIVM.
De Concertatione.

1 QVoniam concertatione veritas maximè elucefcit,valdè neceſſarium eſt, vt illius leges attente ſeruentur: quarum aliquæ ſpectant ad Arguentem,aliæ ad Diſputantem, nonnullæad vtrunque.

2 Leges arguentis ſunt. Prima vt initio recitet concluſionem impugnandã hac ratione *Argumentor, ſeu arguo contra duas ex propoſitis*

poſitis concluſionibus (ſemper enim duæ proponuntur in ſolemnioribus diſputationibus oppugnandæ) *& primo loco contra decimam quartam v. g. in qua habetur* (legat autem verba concluſionis) *obiectum logicæ eſſe operationes intellectus, cõtra quam ſic argumentor,* &c, *ſecundo loco contra vigeſimam*, &c.

3 Secunda eſt, vt argumentum proponat benè meditatũ, quod ſit in forma, & ſemper pro concluſione ponatur propoſitio negata.

4 Tertia lex eſt, vt defendentis reſponſionem expectet, illum non interrumpendo, nè confuſione, fructus diſputationis impediatur. Probet autem modeſtè propoſitionem negatam; ſi autem aliqua diſtinguatur, vel impugnet vnam partem diſtinctionis negatam, vel probet non eſſe bonam diſtinctionem allatã.

5 Leges Defendentis ſunt. Prima vt argumenta fideliter reſumat bis: prima vice vtrũque nihil reſpõdendo hac ratione, *Optime argumentatur.* N. (tribuat cuiq; titulum, qui illum decet) *contra duas ex propoſitis concluſionibus, & primo loco contra decimam quartam, in qua dicimus, &c. contra quam ſic argumentatur,* &c. *ſecundo loco contra vigeſimam, in qua*, &c. ſecunda vice reſumat primum argumentum reſpondendo; & ſi prima propoſitio ſit neganda non procedat vlterius: ſi autem diſtinguenda, diſtinguat, & ſub eadem diſtinctione repetat alteram propoſitionem. vltima vero propoſitio ſi diſtinguenda ſit, non dicat, diſtinguo conſequentiam, ſed conſequens; & deinde dicat, *concedo*, vel *nego conſequentiam*. Cur autem conſequentia diſtingui

ſtingui

ſtingui non poſſit, infra dicendum. Si vero ſit aliqua propoſitio, quæ nō faciat ad rē dicendū, *tranſeat*, ſed tunc Arguens poterit aſſumere talem propoſitionem vt conceſſam. Demum appellet ſuis nominibus ſingulas propoſitiones, *maiorem*, *minorem*, *conſequentiam*, ſeu *conſequens* modo dicto. Si autem argumentū ſit *Entymema*, quod cōſtat ex duabus propoſitionibus, primam appellet *antecedens*, ſecundam *conſequentiam*, vel *conſequens* modo dicto. Cum poſt integrum argumentum proponitur aliud, ſeu alia propoſitio, illa dicitur *ſubſumptum*.

6 Secunda lex, ſi argumentū conſtet aliqua propoſitione hypothetica, quæ habeat in fronte particulam, *ſi*, v. g. *ſi obiectum logicæ eſſent operationes, etiam obiectum artis lignariæ eſſent operationes:* loco particulæ, *etiam*, poni ſolet *ſequeretur*; v.g. in exemplo allato *ſequeretur obiectum artis lignariæ eſſe operationes*; tunc dicat *concedo*, vel *nego ſequelam*.

7 Tertia non ſit nimius in diſtinctionibus. Rarò dicat, *explico*, niſi cum afferetur aliquis textus Auctoris quē neceſſariò ſequi debeat, vel reſoluenda ſit aliqua propoſitio implicata. Cum autem extra formam argumenti interrogatur, interrogationem repetat, & reſpondeat breuiter diſtinctè, & clarè.

8 Leges vtriuſq; ſunt. Prima, vt cum ardore, ſed modeſtè procedant.

9 Secunda, ne aliena immiſceant, quæ diſputationem confundant.

10 Tertia, ne pertinaces ſint, & falſitatis defen-

defenſores, contumelioſi, irriſores, vt optimè monet Tullius primo de finib. *Maledicta,* inquit, *contumeliæ, concertationeſque in diſputando pertinaces indignæ Philoſophia videri ſolent.*

Alia plura in concertatione ſeruanda, frequens illius vſus docebit.

CAPVT QVARTVM.
De ratione ſtudendi.

1 VT ſtudium cum operæ pretio ſuccedat, dirigere primum illud oportet ad Dei gloriam ſub patrocinio alicuius Sancti tutelaris, & animus ſeruandus liber, à prauis affectionibus; nam iuxta diuinum illud omnibus compertum oraculum: *In maleuolam animam non intrabit ſapientia.*

2 Quatuor præterea ſeruanda propono. Primum eſt *lectio*, Secundum, eſt *ſpeculatio*, Tertium *exercitatio.* Quartum *ſcriptio.*

3 Circa lectionem primo in Philoſophia, pro qua tradimus documenta, ſemper præ manibus habendus Ariſtoteles cum vno, vel altero interprete. Secundo cum quis ſub certo Profeſſore Philoſophiæ dat operã, eos perlegat Auctores, quos idem iudicauerit. Tertio non ita ſe lectioni tradat, vt ſuum ſpeculationi tempus ſubtrahat, cuius melior pars eſſe debet; nam ſi quis multum legat, meditetur verò parum, comparabitur ei, qui multum comedit, malè verò concoquit. Quarto demum attentè legat quod legit, ne abſoluen-

uendi libidine, à lectione fructum capiat nullum.

4 Circa ſpeculationem nihil certi tradi poteſt: vt enim ſunt diuerſa ingenia; ita diuerſum habēt ſpeculandi modū: poſſet tamen ſeruari hic ordo. Primò poſtquam aduertit quis, ſe benè tenere Auctoris ſententiam, vt etiam obiectiones aliorum cum ſuis rationum momentis: tunc incipiat perpendere ſingulas argumentorum propoſitiones, an veræ ſint, reſoluendo quantum poteſt illas ad principia notiſſima; & cum reſolui non poſſunt, vel non cohærent cum alijs; ſignum erit argumentum conflatum ex talibus propoſitionibus eſſe infirmum. Secundò, vt maximè debet eſſe propenſus diſcipulus, dum ſtudet, ad Profeſſoris tuendas ſententias; ita non debet eſſe ex eorum grege, quibus pro rationum momentis ſatis eſt auctoritas dicentis; nam ita diſcipulus eſſet fidei, non veritatis inueſtigator, qualem decet eſſe Philoſophum, ſi enim v. g. inquirat naturam cæli, non petat ab alio, ſed interroget ipſum cælum, dicendo; dic tu mihi cælum quid es? ideſt inueſtiget ipſe naturam cæli, nec alteri credat; quare optimè monet S. Doctor. *Scito*, inquit, *quod quid eſt, tolluntur omnes æquiuocationes*, ideſt cognita natura, & eſſentia rei, tollitur omnis difficultas, quæ oritur ex ancipiti propoſitionū, & terminorum ſenſu. Tertio, adiumento erit, præſertim tardioribus, qui patiuntur difficultatem in explicandis animi ſenſis, voce depromere, quæ mente conceperunt, tanquam cum alio agerent, & res remotas à ſenſibus

illu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

illuſtrare exemplis. Quartò, certa ab incertis ſeiungat nec cōfundatur extraneis. Quintò, quicquid vel impugnare, vel confirmare intendit, ſyllogiſmi beneficio id faciat, in qua re, vt promptus ſit, ſummulæ ſemper præ manibus habendæ, exemplo ſapientiſſimorum virorum, quorum præſertim ſupra meminimus.

5 Circa concertationem quiſque ſibi perſuadeat hanc eſſe ſtudiorum animam, ac ſine illa ſtudium fore omnino mortuum; vnde Caiet. de ſe fatetur. *Circulus*, inquit, *& calamus fecerunt me doctum*: nomine circuli concertationem intelligit. Interſit ergo qui multum proficere vult, quam poteſt ſæpiſſimè aliorum diſputationibus: Cos enim veritatis eſt concertatio. Demum doctos viros attentè audiat: mirum enim quantum viua vox iuuet, ad res altius in animis imprimendas; adeò vt veterum ſapientiſſimi longas inſtituerint peregrinationes, vt magni nominis Philoſophos audirent, quorum exemplis abūdat Laertius in viris Philoſophorum.

6 Circa ſcriptionem; ex hac quantum hauriatur vtilitatis integra, ac magna volumina à doctiſſimis viris exarata teſtantur: deinde quis non experitur fructus vberrimos ſcriptionis, cui ex modo dictis bonam partem adeptæ doctrinæ tribuit Caietanus: bonus enim iudex eſt calamus, an diſtinctè nouerimus, quæ nobis videmur percepiſſe. Quare primo omnia, quæ ſpeculationi attribuimus, calamo examinanda committantur. Secundo libellus in promptu ſit, pro adnotandis grauiori.

uioribus difficultatibus, tum ab aliis, tum à ſe ipſo excogitatis, Tertiò demum quiſque ſibi ſuum conficere poſſet breuiarium, quo memoriæ conſulat; qua in re nihil certi ſtatuimus de modo conficiendi illud; vnuſquiſque enim ea ratione ſibi illud comparabit, qua iudicab t ſibi fore vtilius. Fortè aptum erit ſi quæſtionis primo loco ponat cōcluſionem cum vno, aut altero fundamento è viſceribus doctrinæ eruto, adnotata etiam vna, aut altera obiectione præcipua, eiuſque ſolutionē, adhibita aliqua celebriore doctrina, & diſtinctione, quæ in ea quæſtione ſit frequens. Compendium tandem quacunque ratione fiat, expectādum donec tota abſoluta ſit quæſtio, & diſputationibus euentilata. Omitto alia, quæ vſus, & ingenioſus amor ſtudij cuique ſuggeret oportunè.

CAPVT QVINTVM.
De Methodo.

Methodus latinè dicitur *via breuis*, & ad rem noſtram definiri poteſt. *Methodus eſt eorum, quæ in diſciplina traduntur apta diſpoſitio ſecundum prius, & poſterius*, ideſt diſpoſitio, & coordinatio difficultatum, quæſtionum, & reliquorum omnium; quæ in tali diſciplina traduntur, vt quædam prius, quædam poſterius collocentur, iuxta ipſarum rerum exigentiam. Colligitur ex Alexandro, apud Simplicium 1. Phyſic. tex. 1. vbi ſic Methodum definit, *eſt*, inquit, *habitus ſpeculatiuus*

tinus eorum, quæ ad ipſum attinent cum ratione, ideſt cum cauſa. Et vt Simplicius interpretatur, *eſt proceſſus ad cognoſcibile cum quadam via rectè, ritèque ordinata.* Et ſenſus eſt, vt ex eodem Simplicio habetur, quod Methodus, quam ipſe appellat cognitionem ſcientialem, ſit circa omnes doctrinas, quæ quadam breui via ac ratione traduntur. Qualis autem debeat eſſe via procedendi, & tradendi doctrinam, explicat Ariſt. 1. Phyſ. in Procœmio, vbi à communioribus incipiendum eſſe ait. Idem habet 1. de Partib. cap. 1. & clarius cap. 4. vbi tractaturus de partibus animalium, prius, ait, agendum de vniuerſalibus, & communibus, deinde de differentijs animalium: *efficitur,* inquit, *profectò vt vniuerſalia explicare prius, vel idem ſæpius dicere neceſſe ſit.* Et paulò poſt: *efficitur,* inquit, *ſanè, vt & ſeorſum referre de ſingulis, & ſubabſurdum ſit, & prolixum.* Quare vbi non erit peculiaris ratio, in qualibet diſciplina, prius agendum de communioribus, deinde de particularibus, propter rationem Ariſtotelis. His poſitis:

2 Notandum. Cum quælibet quæſtio tota ſit, & in alienis impugnandis, & confirmandis proprijs: duplicem poſſe methodum ſeruari; primam quidem, vt aliena prius proponatur, deindè propria; ſecundam, vt prius propria, deinde aliena. Vtranque Methodum ſeruauit Ariſt. Primâ 1. Phyſ. vbi prius recitat, refellitq. aliorum ſententias de principijs rerum naturalium, deinde exponit ſuā. Secundam verò Methodum ſeruauit 3. Phyſic. ſumm. 2. cap. 2. vbi

vbi prius ſuam tradit definitionem motus, deinde Antiquorum. Primam ego per aliquot annos ſum ſecutus, deinde ſecundam, vt breuiorem, & clariorem ſum amplexus. Generatim autem requiritur, vt in qualibet quæſtione oppoſitæ partes referanrur; non enim quis eſſe poteſt æquus rerum arbiter, niſi vtriuſque partis rationibus auditis, in quibus recitandis, vt quiſque fideliſſimus eſſe debet, ita cauendum, ne ſit nimis prolixus, & minutus; curàre enim quid vnusquiſque dicat, amentis eſſe, ait Ariſt. l. 1. top. c. 9. Atque hæc de Methodo in genere, ac tota proluſione.

SVMMVLAE,
SEV
INTRODVCTIO BREVIS
AD LOGICAM ARISTOTELIS

1 SVpponēdum pro intelligentia inſcriptionis, vocem, (*Summulæ*,) eſſe diminutiuū (*Summæ*). Summa autem eſt numerus ille, qui ē multis reſultat. Cū verò iſte tractatus ſit abſtractus abalijs,& ſit etiā breuiſſimus, inſcribitur (*Summulæ*). Inſcribitur etiam (*Introductio*) quia ſicut ipſa Logica eſt ianua ſcientiarum, ita iſte tractatus viam ſternit ad ipſam Logicam. Dicitur (*ad Logicam*) nomine Logicæ, ſeu Dialecticæ) pro eodem enim nunc ſumimus) intelligimus facultatem diſcurſiuam, ſeu rationalem, ſeu diſputatiuam, cuius munus eſt dirigere operationes noſtri intellectus. Pro quarum notione.

2 Sciendum, nomine *operationis intellectus*, intelligi cognitionem, ſeu vitalem imaginem, ac repræſentationem eius, quod cognoſcitur; illud autem, quod cognoſcitur, quia obiicitur intellectui, eo modo, quo aliquid obijcitur, & ponitur ante ſpeculum, dicitur obiectum.

3 Diuiditur *cognitio*, ſeu *operatio intellectus*, quantum facit ad rem præſentem, in primam, ſecundam, & tertiam. Sumitur diui-

ſio

ſio ex diuerſo modo cognoſcendi res. Aut enim primò aliquid cognoſcitur ſimplici quodam intuitu, nihil de eo affirmando, vel negãdo, & dicitur *prima operatio*, ſeu *ſimplex apprehēſio*, & ab Ariſt. 3. de anima t. 21. dicitur ſimplicium, ſeu indiuiſibilium intellectio, v.g. *homo, equus, lapis*. Aut 2. vnum cum altero iungitur, vel ab eo ſeparatur, ſeu vnũ affirmatur, vel negatur de altero, & dicitur *ſecunda operatio*, ſeu *iudiciũ*, vel *compoſitio*, & *diuiſio*, aut *affirmatio*, & *negatio*; per quæ nomina intelligitur cognitio, qua vnum affirmatur, vel negatur de alio, & prima dicitur propoſitio affirmatiua: ſecunda negatiua v.g. *homo eſt animal: homo non eſt lapis*. Aut 3. unum ex alio deducitur, & dicitur tertia operatio, ſeu diſcurſus, per quem, quaſi per quoſdam mentis paſſus, id eſt per aliquas cognitiones alicuius noti, deuenimus in cognitionem alicuius ignoti; quod fit per argumentationem, de qua ſupra, & fusè infra. v.g *omnis qui ſtudet euadet doctus*, *Petrus ſtudet, ergo Petrus euadet doctus*. Pro hac diuiſione.

4 Notandum primo ſingulas operationes intellectus eſſe obnoxias pluribus imperfectionibus. Prima quidem capax eſt ignorantiæ, obſcuritatis, confuſionis, &c. ignorantiæ quidem, cum ruſticus, u.g. videns aliquam herbam non percipit eius uirtutem: obſcuritatis verò, cum concipimus Angelum ad modũ iuuenis alati: confuſionis demũ, cũ aliquis apprehendit hominem eſſe illum, qui habet talẽ figuram externam, nõ penetrando naturã illius. Secunda, & tertia operatio ob-

noxiæ ſũt ijſdẽ imperfectionibus.& prætereà incertitudini, & falſitati: ſæpe enim affirmamus eſſe aliquid eſſentiale alicui, cum ſit tantum accidentale, & vnum putamus inferri ex alio, cum non inferatur.

5 Notandum ſecundo. Ad tollendas has prauitates operationum triplicem aſsignari modum ſciendi; Definitionem, Diuiſionem, Argumentationem: nam ad tollendam obſcuritatem, & ignorantiam inſeruit Definitio, per quam rei naturam perſcrutamur. Ad tollendam confuſionem inſeruit Diuiſio. Ad tollendam demum incertitudinem, & falſitatem inſeruit Argumentatio; Definitio, & Diuiſio poſſunt pertinere tam ad primam, quam ad ſecundam operationem; ad primam quidem, ſi fiant ſine copula, aut verbo, id eſt ſine affirmatione, & negatione, v. g. Si dicatur; *homo eſt animal rationale*. Ad ſecundam autem pertinent, ſi addatur copula: v. g. *homo eſt animal rationale*. Argumentatio vero ſolum ad tertiam operationem pertinet.

Quæ à Tyronibus omittenda ſunt ſub triplici Appendice continentur.

Appendix I. Generis,

6 C*Irca id, quod diximus, primam operationem dici ſimplicem, ſiue rerum ſimplicium cognitionem; contra eſt. Per primam operationem poſſum cognoſcere terminos complexos v. g.* paries albus, *imo integram propoſitionem, v. g.* paries eſt albus; *ergo falſum*

eſt

eſt, primam operationem eſſe ſimplicem cognitionem; probatur antecedens, ſi audiam ab aliquo propoſitionem ſupradictam, intelligo quid dicit per ſolam primam operationem; ergo &c.

7 *Reſpōdetur cōcedo antecedens: nego conſequentiā, dicitur autem prima operatio ſimplex, ſeu ſimplicium, apprehenſio; non quia obiectum debeat eſſe ſimplex, aut vnū ſed quia ex modo tendendi per talem operationem cognoſcimus res modo ſimplici, ſeu ſimplici quodā intuitu; non affirmando, vel negando; quod fit per ſecundam operationem; quare, audita tali propoſitione, intellectus per primam operationem apprehendit illam ſolum, nec de illius veritate iudicat, ſed remanet ſuſpenſus, & incertus, donec per ſecundam affirmet, vel neget.*

Appendix II. gen.

8 P*Rater diuiſionem poſitam, operationum intellectus, dantur multa alia, quæ pertinent ad libros de Anima: nos aliquas magis neceſſarias innuemus.*

9 *Diuiditur* operatio intellectus *in* Intuitiuam, & Abſtractiuā, *prima eſt, quæ repræſentat rem exiſtentem ſecundū cōmuniorem ſententiā vt eſt in ſe. quomodo per viſionem corporalem repræſentatur paries albus exiſtens. Nomine autem* exiſtētis, *intelligitur idem, ac eſſe actu de præſenti; nec poteſt melius explicari, quam, ſi dicatur; quod ego, qui loquor, vel ſcribo, vel moueor ſum exiſtens. ego vero idem ante, vel poſt centum annos, nec eram, nec ero exiſtens. ſecunda, ſcilicet cognitio* abſtractiua *eſt, quæ repræſentat rem, non attendendo ad*

exiſtentiam.v.g.cognitio qua cognoſcitur Antichriſtus eſt abſtractiua, quia eſt cognitio rei non exiſtentis, & dicitur alio modo cognitio rei per ſpecies alienas, quatenus cognoſcitur res per ſimilitudinem, & ad modum alterius, ita cognoſcimus Angelum abſtractiuè, ad modum ſcilicet iuuenis alati.

10 *Aduertit autem & bene Sotus lib.1.ſum. c.3. notab. 3. quod ſi Deus produceret in intellectu meo ſpeciem repræſentatiuã Antichriſti, vt exiſtentis, cognitio, quæ produceretur à tali ſpecie, eſſet intuitiua; nam talis eſt cognitio, qualis eſt ſpecies; nomine autem ſpeciei intelligitur qualitas aliqua ab obiecto, vel à Deo loco obiecti, producta, tanquam vicaria eiuſdem obiecti, vt ſimul cum potentia concurrat ad producendam cognitionm talis obiecti, cuius eſt ſpecies. & loquendo de ſpecie materiali, eſt qualitas quædam ad modum radij ſolaris, diffuſa per medium ab obiecto, quæ recipitur in potentia cognoſcitiua determinando illam, vt cognoſcat hoc potius obiectum, quam aliud, illud inquam, cuius eſt ſpecies.*

11 *Subdiuiditur* cognitio intuitiua *in* comprehenſiuam, *&* *non* comprehenſiuam. *Prima eſt, ex Auguſt. epiſt. 111. cap. 9.* qua ita videtur aliquid, vt nihil lateat videntem. *& ſenſus eſt: qua ita aliquid cognoſcitur, vt cognoſcantur diſtinctè omnes eius perfectiones, quas habet, & præterea omnia illa, cũ quibus habet connexionem, v.g. Deus dicitur comprehendere ſeipſum, quia cognoſcit ſuam eſſentiam cum omnibus perfectionibus intrinſecis, & præterea omnia illa, cũ quibus ipſa eſſentia habet*

connexio-

connexionem. An autem homo, vel ſaltem Angelus comprehendat aliquas res naturales, videndum ſuo loco. ſecunda cognitio, intuitiua quidem, ſed non comprehenſiua, eſt, qua cognoſcitur res, non tamen diſtinctè ſecundum omnes connexiones, quas habet cum aliȷs rebus; hac ratione Beati vident Deum, Angeli res naturales, nos res corporeas exiſtentes.

17 *Porro de re, quam intuemur, non poteſt eſſe diſcurſus, quia hic inſeruit ad cognoſcendum ignotũ, illud autem, quod intuemur, non poteſt eſſe ignotum, & ita cognitio intuitiua æquiualet ſecundæ operationi, quatenus per illam multò magis, quàm per iudicium affirmat, & redditur certus intellectus, quod ſit illa res, quam intuetur; vnde infertur in Deo non dari id, quod in nobis eſt tertia operatio, quia, cum omnia illi per ſimplicem intuitum ſint nota; non progreditur à noto ad ignotum. cognitio autem Dei æquiualet ſecundæ operationi noſtræ, demptis imperfectionibus, quia cum ſit intuitiua, incomprehenſiua: affirmat rem eſſe ſicuti eſt; quomodo vero cognoſcat negationes, & impoſsibilia, non eſt huius loci: de hac enim re egimus in Logica. An autem detur in Deo id, quod in nobis eſt prima operatio demptis imperfectionibus, puto dari, non quidem diſtinctã ab alia cognitione, quæ æquiualeat iudicio, ſed, quæ ſit vna, & eadem indiuiſibilis cognitio. ratio cur detur, eſt, quia, reſpectu poſſibilium non eſt cognitio intuitiua; cum enim non exiſtant non poſſunt intuitiuè cognoſci: eſſe autem poſsibile, vt*

fuſè diximus in metaphyſica. Explicatur per hanc propoſitionem conditionalem; ſi Petrus produceretur, exiſteret realiter: *prima autem pars huius propoſitionis, cum non affirmetur, non erit ſecunda ſed prima operatio & ſimplex apprehenſio; ſecunda vero pars æquiualet iudicio, quia res affirmatur, licet non abſolutè, ſed ſub conditione; & ita cognitio Dei terminata ad poſsibilia ſecundum aliquam partem æquiualet primæ operationi modo dicto. Res eſt difficilior, quam vt poſſit ita breuiter explicari, ſufficiat ſaltem aliquid innuiſſe, vt aperiatur via ad multas difficultates in philoſophia & theologia, quæ ex hac doctrina pendent.*

13 *Diuiditur etiam* cognitio, *ſeu* operatio intellectus *in* directam, *&* reflexam, *Prima eſt, qua repreſentatur, & exprimitur res ipſa; talis eſt cognitio lapidis v.g hominis &c. ſecunda eſt, per quam cognoſcitur res, cum prima cognitione, qua ipſa res fuit cognita, ſeu, res cognita, v.g. lapis cognitus, homo cognitus &c. cognitio ergo* reflexa *eſt, quæ habet aliam* directam *pro obiecto; quare cognitio, qua intellectus cognoſcit ſeipſum, non eſt reflexa; quia illius obiectũ non eſt alia cognitio, ſed intellectus, ſeu potentia intellectiua; qua ratione viſio, qua quis videt ſeipſum in ſpeculo non eſt cognitio, ſeu viſio reflexa, quia non habet aliam viſionem pro obiecto; in libris autem de anima docuimus ſolum actus intellectus, & voluntatis eſſe reflexiuos ſupra ſuos actus; memoria enim ſenſitiua non recordatur actuum potentiæ ſenſitiuæ antecedentium,*

ſed

ſed obiectorum, quæ per tales actus fuerunt antea cognita, & ſolum memoria intellectiua eſt illa, quæ recordatur ſuorum actuum præcedentium, vt mihi probabilius videtur pro nunc; in libris autem de anima videbimus, an memoria ſenſitiua reflectat ſupra ſuos actus. voces demũ dicũtur reflexæ per denominationem ab actu intellectus, & voluntatis, quatenus per illos eſt impoſita vna vox ad ſignificãdam aliam antecedentem; imo ad ſignificandam etiam ſeipſam, vt hic terminus vox humana *ſignificat omnes voces etiam ſeipſam, quia ipſa quoque eſt vox humana. inter ſignũ autem & rem ſignificatam requiritur diſtinctio; quando ſignum denotat rem determinatam diſtinctiſſime, non autem quando in confuſo ſolum & ſub ratione communi illam dicit, ſicut cognitio, qua cognoſcitur omne ens eſt cognitio ſui ipſius, ſed in confuſo; nam ipſa quoque eſt ens.*

14 *Diuiditur præterea* cognitio, *ſeu* operatio intellectus *in* vltimatam, & non vltimatam. & *primo* vltimata *ſumi poteſt pro eodem, ac perfecta, &* non vltimata, *pro imperfecta in ordine ad vnum & idem obiectum v.g. cognitio, quam habet ruſticus de homine, ſecundum figuram, & accidentia externa, erit* non vltimata; *cognitio verò quam habet ſapiens de eodem homine erit* vltimata, *vltimata inquam, in comparatione cognitionis ruſtici, nõ vltimata vero in comparatione cognitionis, quam de eodem homine habet Angelus, & multo magis Deus, qui comprehendit eſſentiã hominis. ſecundo dici poteſt* vltimata, & non

vltimata *reſpeſtu vnius obiecti habentis connexionem cum alio, v.g. reſpectu fumi habentis connexionem cum igne, & tunc* non vltimata *cognitio fumi erit, qua cognoſceretur ſolum fumus, non cognito igne, cuius fumus eſt ſignum, erit vero cognitio* vltimata *eiuſdem fumi, ſi præter fumum cognoſceretur etiam ignis, quod accidit in cognitione obiecti habentis naturalem connexionem cum alio; accidit etiam in obiecto habente connexionem ad placitum ex voluntate hominum cum alio, vt eſt v.g. ſonus tubæ reſpectu comeſtionis, pro qua ſignificanda ſit inſtitutus; & tunc cognitio non vltimata ſoni, erit cognitio ſolius ſoni, abſque eo, quod cognoſcatur comeſtio, quam ſignificet; ſi vero cognoſcatur etiam comeſtio, erit cognitio vltimata ſoni, prout ſonus eſt ſignum comeſtionis. contingere autem poteſt, vt vnus habeat cognitionem vltimatam ſigni, non vt ſignum eſt, ſed vt tale ens, & non vltimatam eiuſdem in ratione ſigni, ſumendo cognitionem vltimatã in primo ſenſu pro cognitione perfecta; v. g. ſapiens, audito ſono tubæ, habebit cognitionem vltimatam. ideſt perfectam talis ſoni; ideſt cuius natura ſit; vnde proueniat, quomodo fiat &c. non autem habebit cognitionem vltimatã eiuſdem, vt eſt ſignum comeſtionis; aulicus vero, ſeu coquus habebit cognitionem vltimatam ſoni in ratione ſigni, quia ſciet per talem ſonum ſignificari comeſtionem Regis non vltimatam vero eiuſdem ſoni, conſiderati vt ens quoddam eſt, eo quod neſciet, quomodo fiat ſonus &c. quæ diuerſa acceptio* vltimatæ, *&* non vltimatæ cognitionis *tenenda eſt, nam appli-*

cari

cari poteſt multis, quæ ſecundum diuerſam conſiderationem dici poſſunt cognoſci vltimatè, *&* non vltimatè.

15 *Diuiditur etiam cognitio intellectus in* præciſiuam, *ſeu* abſtractiuam, *&* negatiuam. *Prima eſt, qua ex multis perfectionibus, quas aliqua res habet, cognoſcitur, vel affirmatur vna, non cognitis, vel non affirmatis alijs, ſic v. g. ſi ex multis perfectionibus, quas habet Deus, cognoſceretur iuſtitia, non cognita bonitate, talis cognitio diceretur præciſiua; quia vero per talem cognitionem non negatur bonitas; factum eſt axioma illud* abſtrahentium non eſt mendacium, *& ſenſus eſt, quod qui affirmat vnam perfectionem de aliquo, non negando alias, quas habet, non mentiatur. ſecunda cognitio, ſcilicet* negatiua *eſt qua negatur aliqua perfectio de aliquo, quæ illi ineſt, ſiue affirmetur altera, ſiue non, v. g.* in Deo non eſt bonitas. *ſeu* in Deo eſt iuſtitia, & non bonitas. *ſed de hac diuiſione plura in Logicis & in libris de Anima.*

16 *Diuiditur demum cognitio in* Abſolutam *&* Comparatiuam. *Prima eſt qua cognoſcitur aliquid ſine connexione cum alio; v g. cognitio* hominis, lapidis, *&c. ſecunda duplex eſt, altera qua cognoſcitur aliquod obiectum ordinatum ad aliud. Et cum cognitio ſit imago, talis denominabitur cognitio quale eſt obiectum, cuius eſt cognitio, quare ſi obiectum ſit ordinatum, ſeu comparatum ad aliud, comparatiua quoque denominabitur cognitio; talis eſt cognitio* Patris, cauſæ, *&c quatenus Pater eſt ordinatus ad filium, cauſa ad effectum:*

Altera comparatiua *eſt, quaſi exercita, qua in actu exercito comparatur, ſeu ordinatur vnũ ad aliud; talis eſt cognitio qua cognoſcitur natura humana v g participabilis à pluribus. & cognitio, qua vnũm prædicatur de alio. ſed de his & alijs operationibus intellectus fusè in Logicis, & de Anima: ſatis nunc ſit has celebriores acceptiones breuiter innuiſſe.*

LIBER PRIMVS.

De ijs, quæ pertinent ad primam operationem Intellectus.

1 HOc libro agemus primo de Terminis, eò quod, cum careant compoſitione, ad ſimplicem apprehēſionem pertinent: de affectionibus terminorum, præſertim de ſuppoſitione, vbi aliqua examinantur Philoſophiæ, ac Theologiæ neceſſaria. Tertio de Definitione, & Diuiſione, quatenus ad primam etiam operationem pertinere poſſunt.

2 Incipimus à terminis, quia eorum notio inſeruit propoſitionibus, ex quibus deinde conflatur ſyllogiſmus.

3 Dices Ariſtoteles 1. prior. c. 1. prius definiuit propoſitionem, quam terminum. ergo male facimus nos agendo prius dè termino, quam de propoſitione.

4 Reſpondetur Ariſtotelem ex profeſſo ibi agere de ſylloglimo, cuius partes ſunt propoſitlones, & ideo de illis primo agit. de terminis autem agit ſecũdario, quatenus ſunt partes

tes propoſitionũ;cæterum, quando ſpectauit ordinem doctrinæ, prius egit de terminis, vt fecit in prædicamentis, deinde de propoſitionibus in libris periherm. poſtremo de ſyllogiſmo in libris prior, & poſter.

CAPVT PRIMVM.
de Termino in communi.

1 NOmine *Termini* attẽdẽdo ad nominis deriuationem intelligitur idem, ac poſtremũ, ſeù vltimum,vt mors dicitur vitæ Terminus. Dicuntur etiam *Termini* fines,ſeũ extrema, intra quæ clauditur aliquid; ſic aliqui fluuij, vel Montes dicuntur fines,ſeũ termini alicuius Regni. Et extrema lineæ dicuntur *Termini* eiuſdem. Hinc *Terminus* accipitur pro fine propoſito. v. g. Gloria dicitur Terminus iuſtorum, Infernus verò terminus malorũ. Sumitur *Terminus* apud aliquas nationes pro modo procedendi: vnde dicere ſolemus de homine rudi, non habet Terminos, vt èconcra de Ciuili, habet bonum, vel bonos Terminos. Demum magis proprie *Terminus* accipitur pro quacunque voce humana articulata communi ad ſignificatiuam, & non ſignificatiuam; & ita definitur, *Terminus eſt extremum propoſitionis*, ſumitur ex Ariſtotele 1. Prior. cap. 1. vbi ait, *Terminum* eſſe illum *in quem reſoluitur propoſitio, vt eſt prædicatum, & de quo prædicatur*, ideſt prædicatum, & ſubiectum: *propoſitio* autem *eſt oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo*, v. g. *homo*

homo eſt animal. Ly, *Homo*; eſt ſubiectum, quod etiam dicitur *minor extremitas*. Ly verò *animal* eſt prædicatum, quod etiam dicitur *maior extremitas*.

5 Diuiditur Primò Terminus in *Significatiuũ*, & *non ſignificatiuũ*. Primus eſt *extremũ propoſitionis, ex hominum placito, ducens nos in cognitionem alicuius rei*. Secundus eſt *extremum propoſitionis, nihil ex placito hominum repræſentans*, v.g. *Blitiri*, eſt vox non ſignificatiua; quia non eſt impoſita ad aliquod ſignificandum, vt eſt impoſita hæc vox *homo*.

6 Diuiditur etiam *Terminus* in *Mentalem, Vocalem*. & *Scriptum*. Hac diuiſione poteſt diuidi tam *Terminus ſignificatiuus*, quàm non *ſignificatiuus*, quatenus vterque poteſt mente concipi, voce exprimi, calamo ſcribi. Quare *Terminus mentalis erit extremum propoſitionis mentalis*. *Terminus vocalis extremum propoſitionis vocalis, &c.*

Appendix I. Generis.

7 Prima diuiſio petit explicationem harum vocum* Significare & ſignum, *vnde deriuatur eſſe* ſignificatiuum. Signum *ergò ex Auguſtino* 2. *de Doctrina Chriſtiana* eſt illud, quod: præter ſui cognitionem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. *Hac definitio conuenit ſolum ſigno ſenſibili, & materiali; quod eſt ſubiectum ſenſibus. Poſſet etiam accommodari ſigno inſenſibili, ſi auferatur verbum,* ſenſibus: *à definitione allata. Hac ratione* ſignum, *vt commune ſenſibili, & inſenſibili, diuiditur in* formale,

& in-

& inſtrumentale; formale eſt *id, quod* ipſum quidem non cognoſcitur, ſed eſt ratio vt cognoſcatur aliud; *talis eſt quæcunque cognitio ſiue ſenſitiua, ſiue intellectiua, quatenus per illam aliquid cognoſcimus, etiam ſi ipſa non cognoſcatur. Hæc diuiſio non eſt propria & perfecta, quia* ſigno formali *non conuenit adæquata definitio* ſigni, *non enim illi conuenit, quod ipſum cognoſcatur, vt requiritur ad veram rationem ſigni, ſed ſolum facit venire in cognitionem alterius: cognitio, v.g. lapidis, facit me venire in cognitionem lapidis, non tamen cognoſcitur ipſa cognitio; & ſic ſignũ, quod definitur eſt ſolum* inſtrumentale. *Poterit quidem id, quod eſt* ſignum formale *reſpectu vnius eſſe* inſtrumentale *reſpectu alterius v.g.* cognitio, *qua ego cognoſco lapidem, mihi eſt* ſignum formale. *Angelo vero cognoſcenti talem cognitionem, erit etiam* ſignum inſtrumentale, *quatenus ab eo cognoſcitur mea cognitio.* Re*ſpectu mei quoque poterit* ſignum formale *eſſe* inſtrumentatale: *quatenus per cognitionem reflexam poſſum cognoſcere priorem cognitionem, qua cognoui lapidem, licet tunc prior cognitio* non *exerceat rationem ſigni formalis, quia per illam non actu cognoſco, ſed per reflexam.* Porrò *tam* ſignum formale, *quàm* inſtrumentale *poſset diuidi in* ſenſibile, & inſenſibile. *Nam* viſio corporea *v g. qua video lapidem, eſt* ſignum formale ſenſibile, & cognitio intellectiua, *qua cognoſco eundem lapidem*, *eſt* ſignum formale inſenſibile. *Item in* ſigno inſtrumentali, fumus *v.g eſt* ſignum inſtrumentale ſenſibile, *quate-*
nus

nus ipſe cognoſcitur, & facit venire in cognitionem ignis. Cognitio *verò* intellectiua, *quâ vnus Angelus cognoſcit aliquod obiectũ, poteſt eſſe* ſignum inſtrumentale inſenſible *reſpectu alterius Aageli cognoſcentis talem cognitionem, & obiectum illius.*

8 *Quæres primo. An ſpecies impreſſæ habeant rationem* ſigni?

9 *Reſpondet* Hurtad. *diſp.* 1. *ſum. ſeſſ.* 4. *eſſe ſignum inſtrumentale, quatenus ſpeciebus vtitur potentia ad cognoſcendum obiectum cuius ſunt ſpecies. Verum non videtur eſſe ſignum inſtrumentale iuxta definitionem allātam, quia ſpecies non cognoſcuntur, ſed ſolum faciunt venire in cognitionem alterius, cauſando cognitionem obiecti, nec etiam ſunt ſignũ formale, tum quia non ſunt formalis repræſentatio obiecti, ſed ſolum cauſalis, tum etiam quia poſitis ſpeciebus alicuius obiecti, nõ neceſſario ſtatim cognoſcitur tale obiectum ſicut neceſſario cognoſcitur, poſita cognitione eiuſdem obiecti. participant tamen rationem vtriuſque ſigni imperfectam;* inſtrumentalis *quidem quatenus ad cognoſcendum ſpeciebus vtitur potentia, ſicut faber vtitur ſerra; participant etiam rationem ſigni formalis, quatenus ſunt ratio cognoſcendi aliud, & ipſæ ſpecies non cognoſcuntur.*

10 *Quæres ſecundo. An cauſa habeat veram rationem* ſigni.

Reſpondetur. puto habere veram rationem ſigni; *ſenſibilis, vel inſenſibilis, prout eſt cauſa & effectus; nam ſi ſint ſenſibiles, cauſa erit ſignum ſenſibile. ſi vero inſenſibile;*

cauſa

cauſa, erit ſignum inſenſibile. Imo *habere rationem* ſigni inſtrumentalis, *quatenus ipſa cauſa cognoſcitur, & ducit in cognitionem effectus, effectus autem ipſe quoque habet rationem* ſigni inſtrumētalis *reſpectu cauſæ cuius cognitionem inducit. Diſtinguunt aliqui inter* ſignum à priori *&* à poſteriori, *& cauſam quidem vocant* ſignũ a priori; *effectũ vero* à poſteriori. *Alij volunt ſolum effectum eſſe* ſignum; *cauſam vero non eſſe* ſignũ, *quia* ſignum *debet eſſe à poſteriori, tũ quia ſola demonſtratio à poſteriori, & per effectus, dicitur demonſtratio à* ſigno. *tum etiam, quia ignis v.g. dicitur cauſa caloris & fumi, non ſignum illorũ. Pro hac re puto primo hoc nomen* ſignũ, *eſſe impoſitum ad ſignificandum id, quod eſt notius alio, cuius dicitur ſignum, & quia regulariter loquendo effectus eſt notior cauſa effectus dicitur ſignum cauſæ, & demonſtratio à poſteriori, & per effectus dicitur* à ſigno. *Deinde non poteſt negari, quod cauſa habeat veram rationem* ſigni, *ſi cognoſcatur vt cauſa, cum vere inducat in cognitionem effectus propter connexionem, quam habet cum effectu; & in phyſicis oſtendimus reperiri aliquas cauſas, quæ ſint notiores ſenſibus, quã ſint effectus v.g. obiecta ſenſibilia, quæ ſunt cauſæ ſpecierum, notiora ſunt quam ſpecies, quas cauſant, & ſic de aliis; habet ergo cauſa etiam rationem* ſigni.

11 *Quæres tertio. An idem poſſit eſſe* ſignum *ſuiipſius.*

Reſpondetur, & pro ſolutione, ſupponendum eſt ſignum *comparari poſſe ad duo; ad*

rem

rem ſignificatam, & ad potentiam cognoſcitiuã, ſi comparetur ad potentiam, non dicere ordinem realem, nã nec trãſcendẽtalis eſſe poteſt talis ordo, nec prædicamentalis; non primũ, tum quia nullam habet connexionem obiectũ cum potentia; fumus enim v.g. eodem modo eſſet fumus, ſiue cognoſceretur, ſiue non: cum etiam, quia nullum habet titulum talis relatio, nam hoc, quod eſt, poſſe cognoſci, *non dicit aliquid in ſe, ſed in potentia eſſe virtutem cognoſcendi tale ens; de qua re fusè in* Logica *de relatione; non poteſt eſſe relatio prædicamentalis; quia hæc requirit terminum exiſtentem: ſæpe autem obiectum quod cognoſcitur non exiſtit, vt eſt cognitio Antichriſti &c. & ſic nõ poteſt eſſe relatio prædicamẽtalis ad illud.*

12. *Si vero comparetur* ſignum *ad rem ſignificatam & ſermo ſit de* ſigno inſtrumentali naturali, *regulariter loquendo, tale* ſignum *habet ordinem tranſcendentalem ad rem ſignificatã; nam vel eſt cauſa, vel effectus; vtrunque autem dicit relationem ad inuicem, dixi, ſi ſermo ſit de* ſigno inſtrumentali, *quia* ſignum formale *v.g.* cognitio *non dicit de conceptu ſuo ordinem eſſentialem ad obiectum cognitũ; quod inde probatur; quia cognitio* chimeræ *v.g. vel* nihili *non poteſt dicere ordinem ad talia obiecta: nam ordo realis requirit terminum realem, cũ enim ordo ſit nexus, erit & vnio; vnio vero realis eſſe non poteſt, vbi non ſunt duo extrema; in caſu autem poſito,* nihil *non poteſt eſſe extremũ, quia non eſt.* Dixi de ſigno naturali, *quia ſigna* ad placitum, *vt non habent naturalem connexionem cum re ſignificata, ita non poſſunt habere*

bere ordinem naturalem realem ad eandem. dixi, regulariter loquendo, *quia aliquod ſi*gnum inſtrumentale *non dicit ordinem ad rem ſignificatam, ſic v.g.* cognitio, *quam ego habeo de nihilo, eſt ſignum inſtrumentale reſpectu Angeli cognoſcentis hanc meam cognitionem, & tamen talis cognitio nihili ex dictis non poteſt habere relationem realem ad ipſum nihil.*

13 *Ad quaſitum iam. An requiratur diſtinctio inter rem ſignificatam, &* ſignum.

14 *Reſpendetur & primo de* ſigno *propriè dicto, quod eſt ſolum* inſtrumẽtale; *videtur requiri; quia in definitione ponitur expreſsè, quod faciat ſignũ venire in cognitionem alterius rei. dixi* de ſigno propriè dicto, *tum quia ſi*gnum formale *non eſt ſignum propriè dictum, & ita etiam ſi aliqua cognitio v.g. cognoſceret ſeipſam, vt eſt cognitio Dei, qua cognoſcitur ipſamet cognitio non eſt ab ea diſtincta; tum etiam quia id quod ſignificat ſolum in confuſo aliquid vt non eſt proprie* ſignum, *quod eſt ſolum id, quod ſignificat rem determinatam: ita non importat diſtinctionem inter ipſum* ſignũ, *& rem ſignificatam: ſic ſupra innuimus, cognitione qua cognoſcitur omne ens, cognoſci etiã ipſam cognitionem; quia tamen cognoſcitur ſolum in confuſo, nec propriè illam ſignificat, ita nec eſt neceſſe vt ab ea diſtinguatur.*

14 *Demum nota non videri eſſe de ratione* ſigni, *vt ipſum diſtinguatur à potentia, cui eſt ſignum loquendo de ſigno formali; nam Deus per cognitionem, qua eſt ipſemet Deus, cognoſcit omnia; vbi cognitio, qua eſt* ſignum *non diſtinguitur ab ipſo Deo, cui cognitio talis eſt ſi*gnum,

gnum; *idem dicendum de Angelo, ſi cognoſcit ſeipſum per ſuam ſubſtantiam & non per cognitionem diſtinctam; in libris autem de anima videndum, an detur cognitio qua repræſentet ſeipſam diſtinctè; ſed quicquid ſit de realitate* ſigni, *quod aliquando ſit, vel non ſit diſtinctum à re ſignificata, & potentia cognoſcente, certe non poteſt concipi quid ſit* ſignum, *niſi concipiatur cum duplici habitudine, altera ad rem ſignificatam, altera ad perſonam reſpectu cuius eſt ſignum.*

15 *Diuiditur ſignum* inſtrumentale *in* naturale, & artificiale *ſeu* ad placitum. *Dixi* inſtrumentale; *nam* formale *non poteſt eſſe ad placitum, eo quod ſit eſſentialis & conſequenter naturalis repræſẽtatio rei ſignificata.* Signũ naturale eſt quod ex ſe independenter ab alicuius libera impoſitione aliquid repræſentat: *talis eſt fumus reſpectu ignis &c.* Signum artificiale, ſeu ad placitum eſt quod ex libera alicuius impoſitione facit venire in cognitionem alterius rei. *Talis eſt* hedera *reſpectu vini vendibilis. hedera enim, ſeu laurus ante oſtium ſignificat ibi vendi vinum*

16 *Quares an hæc diuiſio competat etiam* ſigno *prout communi ad* Spirituale, & materiale.

17 *Reſpondetur poſſe etiam competere* ſigno ſpirituali, *tum primo quia non repugnat dari ens aliquod ſpirituale; quod à Deo inſtituatur ut ſignum alterius, tum ſecundo, quia de facto puto dari tale ens;* actus *enim* cõtritionis *ex natura ſua non trahit neceſſariò gratiã, ſed ſolum ex inſtitutione Dei, qui vult ad poſi.*

tionem

tionem illius dari gratiam.

18 *Addunt aliqui* ſignum ſecundum conſuetudinem , *cum ſcilicet ex cognirione vnius venimus in cognitionem alterius, quod ſolet ſequi ad illud : ſic canis v. g. videns ſterni menſam accedit prauidens propinquam comeſtionem ; menſa ergo ſtrata eſt ſignum comeſtionis futura. Sotus reducit hoc ſignum ad naturale, quia non pendet ex inſtitutione hominum. Sed videtur adhuc tale ſignum eſſe ad placitum, eo quod ſternere menſam non habeat naturalem, & neceſſariam connexionem cum comeſtione propinqua, & ideo dicitur ſignum ex conſuetudine. Canis autem mouetur ex memoria, quando videt ſterni menſam, excitãtur enim ſpecies comeſtionis & accedit. His breuiter pranotatis* de ſigno; *aliqua dicenda* de voce , *ratione cuius hac ſunt dicta de* ſigno; *pro qua*

19 *Sciendum primò: hominẽ prater riſum, eiulatũ, ſuſpiria, &c. habere voces articulatas, quibus vtitur ad ſignficãdas ſuas paſsiones, & internas cogitationes . Et quãuis Pſyttacus proferat aliqua verba, non tamen propriè loquitur, quia non vtitur talibus verbis ad ſignificandos ſuos conceptus . ſecundo: Vocem humanam eſſe* ſignum inſtrumentale, *quia & ipſa cognoſcitur , & ducit nos in cognitionem alterius , Tertio : Vocem omnem, etiam eam , qua communiter dicitur non eſſe ſignificatiua , hac omnia ſignificare :* Conceptum loquentis , *nam ex Ariſtotele 1. periher. cap. 1,* voces ſunt earum, quæ ſunt in animo paſſionum notæ *Vbi nomine* paſſionum *intelliguntur conceptus mentis interni. Significare etiam vocem, ſe ipſam, quatenus ſonus quidam eſt v. g. hac vox* homo , *ſignificat talem ſonũ duarum ſy!labarum. Significare etiam rem*

ali-

aliquam indeterminatè, & in potentia, quatenus, qualibet vox eſt apta, vt ſignificet rem aliquam, ſi ad eam ſignificandam imponatur, quibus poſitis.

20 Vox ſignificatiua *non differt à* non ſignificatiua *per iſta quæ diximus; cum hæc omnia ſint communia etiam voci non ſignificatiuæ. Hinc factū eſt, vt* vox non ſignificatiua *dicatur ſignificare ſolum* materialiter, *ideſt ſuum materialem ſonum;* vox *verò* ſignificatiua *dicatur ſignificare* formaliter, *quatenus facit venire in cognitionem alicuius rei determinatæ, ad quam ſignificandam eſt impoſita.*

21 *Hinc inſurgit difficultas Summuliſtarum, quod nulla detur vox non ſignificatiua. Nam ſiqua eſt talis vox, eſt iſta* Blitri, *ſed hæc eſt ſignificatiua, ergo nulla datur vox non ſignificatiua, patet maior. probatur minor: hæc vox facit venire in cognitionem, quod nihil ſignificet; ergo eſt ſignificatiua.*

22 *Reſpondetur, concedo maiorem, nego minorem, ad probationem, nego antecedens, quia talis, & ſimiles voces non ſunt impoſitæ ad ſignificandum hoc ipſum,* nihil ſignificare, *ſicut ſunt impoſitæ iſtæ* non ſignifico, *ſeu* negatio ſignificationis, *ſeu* nihil ſignifico.

23 *Dices nō minus audita hac voce.* nihil ſignifico, *venio in cognitionem quod nihil ſignificetur, quam audita voce* Blitri, *ſed prima eſt ſignificatiua. ergo etiam ſecunda. Probatur maior, audita hac voce* Blitri *non venio in cognitionem quod ſignificetur aliquid; ergo venio in cognitionem quod nihil ſignificetur.*

24 *Reſpondetur, nego maiorem ad probationē. concedo antecedens, nego conſequentiam; ſunt enim valdè diuerſa iſta,* non venio in cognitionem, *quod*

quod aliquid ſignificetur, & venio in cognitionem, quod nihil ſignificetur. nam primo modo ſenſus eſt, quod non habeatur cognitio ſignificationis, & ſic negatio cadit ſupra cognitionem. ſecundo modo ſenſus eſt, quod habeatur cognitio, ſed eius obiectũ ſit hoc ipſum non ſignificare, ſeu primo modo negatur cognitio: ſecundo affirmatur cognitio.

25 Dices iterum audita hac voce Blitri, ſi interrogemur quid ſignificetur: reſpondemus nihil, ſeu non ſignificat ergo vox Blitri ſignificat hoc ipſum non ſignificare,

26 Reſpondetur, per talẽ reſponſionem nõ eſt ſenſus, quod illa vox ſignificet nihil, ſeu ſignificet hoc ipſũ nõ ſignificare, ſed quod negatur omnino omnis ſignificatio, ſunt enim hæc diuerſa. ſignificare nihil, ſi accipiatur nihil per modum obiecti & nihil ſignificare ſi accipiatur nihil per modum negationis afficientis ipſum ſignificare, nam primo modo affirmatur ſignificatio, ſed eius obiectum dicitur eſſe aliquid quod non eſt. ſecundo modo negatur ipſum ſignificare ſicut iſta duo ſunt etiam diuerſa nihil cognoſcit, & cognoſcit nihil. [redacted], quia primo modo negatur cognitio: ſecundo modo, affirmatur cognitio, & eius obiectum dicitur eſſe id, quod non eſt.

27 Dices vltimò audita hac vace Blitri, verè venimus in cognitionem, quod nihil ſignificetur: ergo eſt vox ſignificatiua.

28 Reſpondetur. Diſtinguo antecedens; venimus immediatè tanquã ex vi vocis impoſitæ ad illud ſignificandum, vt accideret per hãc vocem, nihil ſignifico; nego, venimus in cognitionem, quod nihil ſignificet, mediatè & per diſcurſum tranſeat, at hoc non eſt eſſe vocem ſignificatiuam, vt ſunt reliquæ, quæ ſine vllo diſcurſu ducunt in cognitionem rei ſignificatæ.

ta. Eadem ratione ex eo, quod non videam Petrum v.g., arguitiue cognoſcit intellectus non eſſe Petrum, non autem propterea videt oculus negationem Petri: aliud ergo eſt non videre aliquid, & ex eo argui non eſſe; aliud verò videre negationem eiuſdem; ſic aliud eſt non ſignificare, *quod eſt propriũ vocis* Blitiri, *aliud* ſignificare nihil, *ſeu* negationem ſignificationis, *quod ſignificant tales voces, & ideo prima non eſt ſignificatiua vt ſunt ſecundæ.*

29 *Quæres quarto: An ſolum vox ſignificatiua ſit terminus, an vero etiam non ſignificatiua.*

Reſpondetur & pro ſolutione, ſupponendum; ſi primo terminus *ſit idem, ac* dictio *apud grammaticos: prout* dictio *eſt aliquid commune ad omnes partes orationis; certum eſt voces non ſignificatiuas non eſſe terminos, quia ſolum voces ſignificatiuæ ſunt partes orationis, Soto lib. 1, ſum. c. 2. lect. 2. not. 1. adſcribitur talis acceptio termini; verum ipſe expreſsè fatetur* terminum *dici* dictionem *apud Grammaticos, ipſe non tenet definitionem termini propterea allatam ex Ariſtot. Subſcribit Soto Iauellus tract. 2, de partib. propoſitionis c. 1.*

30 *Secundo, ſi* terminus *ſit idem ac* ſignum ponibile in propoſitione, *vt definit Villalpandus lib. 1. Sum. c. 1. ex mente Sophiſtarum; tunc; ſi nomine* ſigni *intelligitur* inſtrumentale, & ad placitum, *ſolum vox ſignificatiua erit* terminus, *cum vox non ſignificatiua non ſit* ſignum; *& in hoc ſenſu omnes partes orationis dici poſſe terminos ait etiam Toletus lib. 1, c. 10. ſi vero* ſignum *accipiatur pro eo quod ſignificat ſonũ* materialẽ *& ſeipſum,* vox non ſignificatiua *poterit eſſe terminus. quatenus ipſa quoque ſignificat ſuum materialem ſonum.*

31 *Tertio demũ ſi terminus accipiatur pro* extre-

mo

mo propoſitionis, *quæ eſt propria acceptio* termini. *in hoc ſenſu eſt quæſtio; an* vox non ſignificatiua *ſit* terminus.

32 *Negāt aliqui primo, quia* terminus *debet inſeruire locutioni, ſed vox nō ſignificatiua nō poteſt inſeruire locutioni: ergo non poteſt eſſe terminus. patet maior, quia hic eſt finis, & vſus vocis humanæ. probatur mi: quia externa locutio eſt inſtituta ad manifeſtandos internos animi conceptus, & res, quas per illos concipimus, ſed vox non ſignificatiua non eſt ad hoc inſtituta, ergo non inſeruit locutioni.*

33 *Alij vero dicunt vocem non ſignificatiuam eſſe terminum, quatenus poteſt eſſe extremum in propoſitione, v.g.* Blitiri eſt vox, *ea ratione, qua dicitur:* nomen eſt neutrius generis *&c.*

34 *Ad argumentum allatum* Reſpondent, *concedendo ma. negando mi. ad probationem, diſtinguunt ma. omnis externa locutio eſt inſtituta ad manifeſtādos conceptus, & res, negant; aliqua externa locutio, concedunt; poteſt enim eſſe aliqua externa locutio, quæ ſit manifeſtatiua ſolius ſoni materialis, vt in exemplis allatis.*

35 *His poſitis quæſtio leuis eſt, & dici poteſt; ſi definitio* termini *accipitur in ſenſu proprio, & rigoroſo, vocem non ſignificatiuam non eſſe* terminū; *quia* terminus *in propria, & rigoroſa acceptione ſolum eſt extremum propoſitionis, quæ ſit oratio ſignificatiua. ſi verò* termini *definitio accipiatur in ſenſu non ita rigoroſo, & magis late; vocem non ſignificatiuā comprehendi ſub definitione tradita, quatenus ipſa quoque poteſt eſſe extremum propoſitionis modo dicto.*

36 *Ex hoc infertur iuxta hāc latiorem acceptionē,* litteras *quoque eſſe terminos. quatenus ipſæ quoq; poſſūt eſſe extrema propoſitionū, v.g.* A, eſt littera, *etc.*

 Quæ-

37 *Quæres quinto. An diuiſio* Termini *in* mentalem, vocalem. *&* ſcriptum *ſit bona diuiſio*,

38 *Reſpondetur cum diſtinctione; ſi* terminus *accipiatur pro rebus, pro quibus ſupponit, nullam eſſe diuiſionem termini; nam idem, quod mente concipitur, voce exprimitur, calamo ſcribitur; ſi vero* terminus *accipiatur pro modo ſignificandi ipſam rem, ſeu pro re tali modo ſignificata, poſſe eſſe bonam diuiſionem, quatenus datur triplex locutio, mentalis, verbalis, ſcripta: & ita dari etiam triplex genus verborum, & terminorum.*

39 *Difficultas autem eſt, cui principaliter conueniat ratio* Termini. *ſed breuiter dici poteſt in diuerſis ſenſibus, conuenire diuerſis, magis principaliter. & primo, conceptui, ſeu* termino mentali *conuenire magis principaliter rationem termini; quatenus vocalis eſt vicarius mentalis, & vox data eſt ad exprimendos conceptus: ſcriptus vero eſt vicarius vocalis; neque dicas in mente, vnico conceptu exprimi totam propoſitionem, & ſic non dari proprie terminos in mente; nam Summuliſtæ præſcindunt ab his quaſtionibus; an propoſitio ſit vnus ſimplex conceptus, an vero multiplex, & qui volunt eſſe multiplicem, dicunt in mente eſſe veros terminos, quia ſunt conceptus diſtincti à copula; qui vero aſſerunt totam propoſitionem eſſe vnum ſimplicem conceptum, dicunt adhuc dari terminos; tum quia, ille conceptus æquiualet pluribus, tum quia extra propoſitionem quoque extrema retinent rationẽ termini; cum Ariſtoteles dicat;* terminos eſſe extrema, in quæ reſoluitur propoſitio, *per quod differũt à copula, quæ non remanet per diſſolutionem propoſitionis, vt mox dicemus; extra propoſitionem vero, etiam ſi nõ ſint iidem indiuidui conceptus, ac in propoſitione:*

ſunt

ſunt tamẽ ijdem per æquiualentiam; & cum Summuliſtæ non attendant ad iſtas ſubtilitates: ſatis eſt illis, quod vere in mente detur id, quod exprimitur per definitionem termini, ſiue ſit quid diſtinctum, ſiue non.

40 *Deinde* voci *poterit etiam competere magis principaliter ratio* termini. *inuoluendo tamen ſemper conceptum, quatenus cum* terminus *definiatur per ordinem ad propoſitionem, & in propoſitione termini debeant ſupponere pro rebus, ratione copulæ, per quam affirmatur identitas inter prædicatum, & ſubiectum; identitas vero non ſit inter voces ipſas & materiales ſonos, ſed inter res, pro quibus tales voces ſupponũt; à primo ad vltimum,* terminus *principaliter accipitur pro vocibus, ; quia voces ſupponunt pro rebus ex Ariſtotele & communi vſu loquendi, vt non habetur ex communi vſu, quod conceptus ſupponant pro rebus, quamuis cum conceptus etiam ſint locutio mentalis, ipſi quoque dici poſſent ſupponere pro rebus.*

41 *De* ſcripto *non reuocatur in dubium, quod ipſi nullo modo conueniat eſſe* principaliter terminũ; *cum ſemper ſe habeat, vt vicarius termini vocalis; de* vocibus *autem cum conſtet ipſas eſſe impoſitas rebus, & pro illis immediatè ſupponere, etiam ſi connotent, & includant conceptus; eſt aliqua ratio, cur illis competat in aliquo ſenſu* principaliter ratio termini.

42 *Abſolutè autem in mente ſunt* magis principaliter termini; *& ratio eſt, quia logica eſt in mente, & tota verſatur in operationibus intellectus, in ordine ad acquirendas ſcientias, quæ ſunt ſolum in intellectu; ergo in eodem ſunt propriè propoſitiones; ſed termini ſunt extrema propoſitionis; ergo in intellectu ſunt etiam propriè termini; imo in eo ſunt abſolutè, &*

ſimpliciter termini, voces vero ſunt potius ſigna terminorum, quam termini, & vicarij eorundem, eo quod cum operationes intellectus non poſſint immediate dirigi, quia ſunt occulta; adhibemus voces tamquam ſigna, ſeu inſtrumenta vicaria earundem operationũ.

43 *Quares ſextò. An* copula *ſit* terminus.

44 *Reſpõdetur negatiuè, quia nõ conuenit illi definitio termini allata ex Ariſt; ſcilicet ut ſit* extremum propoſitionis in quod reſoluitur propoſitio tanquam in prædicatum, & in ſubiectum, *reſoluta enim propoſitione, non remanet* copula.

45 *Dices nec remanere* prædicatum *&* ſubiectum.

46 *Reſpõdetur poſſe remanere conceptũ prædicati, & ſubiecti, quia non eſt eorum eſſentia actu copulare, ſicut eſt eſſentia copulæ. & in phyſicis poſſunt remanere partes compoſiti; materia ſcilicet, & forma ſeparata; non tamen poteſt remanere* vnio *ſeparata à partibus. ita cum eſſe* prædicatum, *&* ſubiectum *ſit eſſe partes propoſitionis;* copula *vero ſe habeat per modum nexus actualis, poterunt eſſe termini, ſeu* prædicatum *&* ſubiectum, *non autem* copula. *loquendo de copula formaliter ſumpta; nam ſi ſermo ſit de* copula *materialiter ſumpta ut eſt* vox, *ſeu* verbum; *poterit eſſe terminus: quia poterit eſſe extremum propoſitioni, & fieri prædicatum, vel ſubiectum, v. g.* E S T, eſt verbum ſubſtantiuum &c.

47 *Quares ſeptimo, An aliæ partes orationis ſint termini.*

48 *Reſpondetur, ſtando in rigore definitionis aſſignata ab Ariſt; non eſſe terminos, quia termini ſunt extrema propoſitionis, aliæ autem partes orationis, præter nomina, non poſſunt per ſe ſola eſſe extrema* pro-

propoſitionis; imo per Ariſtotelem ſolum continetur ſub ratione termini prædicatum & ſubiectum, qualia non poſſunt eſſe aliæ partes orationis.

49 *Dices contra eſt & primo Ariſtoteles in definitione* termini *meminit* prædicati *&* ſubiecti *per modum exempli, non quod ſolum ille ſit terminus, qui eſt prædicatum & ſubiectum; particula enim illa,* vt prædicatum, & id de quo prædicatur, *ſonat idem ac,* veluti, *& ſic eſt ſolum exemplum: deinde ſi valeret ratio ſupra facta; excluderetur à ratione termini,* omnis, nullus, aliquis, *quia tales voces non poſſunt per ſe ſolum eſſe* prædicatum & ſubiectū, *& tamen comprehendūtur ſub voce termini, dum* terminus *diuiditur in* categorematicum, *&* ſyncategorematicum. omnis *vero,* nullus *&c. ſunt termini ſyncategorematici.*

50 *Reſpondetur, & ad primum, ſi benè attendatur ſolū* prædicatum, *&* ſubiectum *Ariſtoteles agnouit vt terminos, quia illos vocauit extrema propoſitionum, vt dicebam; deinde quia poterat eſſe dubium, quod aliæ partes orationis poſſent dici termini, cum in illas etiam reſoluatur propoſitio: ſubdit, quod requiratur ad rationem termini, vt ſe habeat tanquā* prædicatum, *&* id *de* quo prædicatur, *itaque ly* vt, *non eſt nota exempli, ſed rationis formalis & differentiæ conſtitutiuæ* termini. *Ad aliud de illis vocibus* omnis *&c. primò dico nec eſſe propriè terminos, quia non poſſunt per ſe ſolæ poni in propoſitione & ideo dicuntur termini cum conditione minuente rationem termini; Quare vt* terminus categoramaticus *eſt per ſe prædicatiuus, &* ſyncategorematicus *eſt compradicatiuus: ita primus eſt propriè, & per ſe* terminus; *ſecundus eſt* conterminus, *ſeu cum altero* terminus, *quod eſt eſſe modificationem termini,*

deinde Toletus lib. 1. *c.* 12, *ſic habet loquendo de termino ſyncategorematico*, qui nihil, inquit, per ſe ſignificat. *& ſubdit loquendo de his vocibus*, omnis, nullus, &c. aliquem, *inquit*, modum applicant termino cui iunguntur, quãuis hæc propriè non ſint cenſenda pro terminis, cum nec ſubiecti, nec prædicati locum habeant. *Deinde, quia illæ voces ſunt magis immediatæ* terminis, *iiſq. accomodantur in inflexione, & eorum ſuppoſitionem modificant, reſtringendo, vel ampliando: ſapiunt magis rationem termini, quam aliæ partes orationis. quæſtio eſt de voce; dici poteſt alias partes orationis eſſe accidentia termini, ſeu pertinentia ad terminos, non propriè, & rigoroſè terminos.*

51 *Quæres octauo. An extra propoſitionem ſint* termini.

52 *Reſpondetur, ex Soto ſupra cit. ly* homo, *extra propoſitionem eſſe* terminum *in hoc ſenſu, quod illi conueniat hoc, vt poſſit in propoſitione exercere officium termini, ideſt* prædicati, *&* ſubiecti; *& ſenſus eſt, quod verè ſit* terminus, *ſed ad rationem termini non ſit neceſſe, quod actu ſit* prædicatum, *vel* ſubiectum, *ſed ſatis ſit, quod habeat aptitudinem; nec illi repugnet, ſi exerceat tale munus in propoſitione.*

53 *Atque hæc de termino in genere.* R*elicto nunc termino non ſignificatiuo vt inutili pro ſcientijs. Agemus ſolum de termino ſignificatiuo. Præterea cum operationes intellectus, quarum directioni inſeruit Logica, non ſint notæ: agemus de termino vocali, vt vicario conceptus mentalis, & operationis intellectus, vt bene notat Toletus lib.* 1. *cap.* 1.

CAPVT SECVNDVM.
De Termino communi, & particulari, & alijs, qui ex his deriuantur.

1 TErminus communis bene definitur; *eſt id, quod ſignificat plura diuiſim,* ſeu *eſt id, cuius ſignificatio pluribus ineſt, de quibus poteſt prædicari,* v.g *homo,* cuius ſignificatũ ineſt in Petro, Paulo, &c. ponitur illa particula, *diuiſim,* ad diſtinctionem termini collectiui, cuius ſignificatio conuenit pluribus *coniunctim*, non ſingulis; v.g. *turba exercitus*, non conuenit ſingulis, qui talem multitudinem conſtituunt, ſed omnibus ſimul.

2 Toletus lib. 1. cap. 12. confundit terminum *communem* cum *vniuerſali* & ita illum definit, *eſt*, inquit, *cuius ſignificatio non prohibet illum à multis vniuersè participari* eodẽ fere modo definit Fonſeca lib. 1 cap. 26. Verum *terminus cõmunis* latius patet, quàm *vniuerſalis*; nam *vniuerſale* in ſignificatione propria, debet eſſe perfectè vnum, & vniuocum, & ſecundum eãdem rationem perfectè participari ab ijs, de quibus affirmatur, vt eſt *homo* v.g. reſpectu Petri, Pauli, &c. nomen vero *ſanum* eſt *terminus communis* reſpectu aliorum, quæ dicũtur *ſana*, non tamen eſt vniuerſale, quia non eſt vniuocum, ly enim *ſanum*, principaliter dicitur de animali; de alijs verò per analogiam ad ſanitatem eiuſdem, & minus principaliter; ſic medicina dicitur ſana, quia eſt cauſa ſanitatis, cibus dicitur ſanus, quia ſeruat ſanitatem,

pulſus verò dicitur ſanus, quia eſt ſignum ſanitatis, &c.

3 *Terminis vniuerſalis* definiri poteſt, primò definitione, qua Toletus, & Fonſeca definiunt ſupra terminum communem, ſecundò, vt definiunt Philoſophi *vniuerſale*, ſcilicet *eſt vnum aptum ad eſſendum, & prædicandum de multis* debet eſſe, *vnum*, quia hoc ſonat ipſum nomen, & quia non poſſet eſſe vniuocum neque perfectè participari à pluribus, & de iiſdem prædicari, quæ omnia requiri ad vniuerſale docent cõmuniter philoſophi. debet etiam eſſe in multis; quia alioquin, non poſſet de ijſdem prædicari, nam non poteſt prædicari de aliquo, quod non eſt idem cum illo, quia prædicatio *in quid*, requirit identitatem inter id, quod prædicatur, & id, de quo prædicatur, id eſt inter prædicatum & ſubiectum modo infra explicando.

4 *Terminus ſuperior* eſt idem ac *communis*. & *vniuerſalis*. & ſi ſit perfectè ſuperior, & æqualiter participetur ab inferioribus, &c. erit *vniuerſalis*, ſi imperfectè, erit ſolùm terminus *cõmunis*. definiri autem poteſt eſſe *illud, cuius tota ſignificatio eſt prædicabilis*. definitur hoc modo, quia tota ſuperioritas conſiſtit in eo, vt poſſit de pluribus prædicari; vnde definiri aliter poſſet. *Terminus ſuperior eſt qui habet ſub ſe plura, de quibus affirmatur*.

5 His terminis correſpondent alij. & *termino communi*, ac *vniuerſali*, reſpondet *terminus particularis*. *ſuperiori* verò *terminus inferior*.

6 *Terminus particularis eſt, qui de vno tantum dicitur*, vt, *aliquis homo, Petrus*, &c. & eſt duplex, alter

alter *confuſus*, alter *determinatus*. primus, qui etiam dicitur *indeterminatus*, ſeu *vagus*, *eſt qui ſignificat rem vnam particularem tantum, non tamen determinatè, &* eſt idem ac terminus communis affectus ſigno particulari, *aliquis, vnus, &c.* v. g. *aliquis homo;* & facit hũc ſenſum, quod eius ſignificatum vni quidem tantum applicari debeat; non tamen determinatè. & in hoc differt à termino communi *homo* v. g. ſine vllo ſigno, quia ſignificatum termini communis poteſt applicari etiam pluribus ſimul dicendo, & *Petrus eſt homo, & Paulus eſt homo, &c.*

7 Secundus ſcilicet *terminus particularis determinatus eſt, qui de vno tantum determinato dicitur;* & eſt idem, ac *terminus ſingularis*, v. g. *Petrus Paulus*, &c. poteſt etiam eſſe terminus communis affectus ſigno demonſtratiuo v, g. *hic homo*.

8 *Terminus inferior eſt is, de quo ſuperior affirmatur* v, g. *Petrus* eſt inferior reſpectu *hominis*, qui de ipſo affirmatur, non tamen eſt neceſſe, quod omnis terminus *inferior ſit ſingularis*, nam poteſt etiam eſſe *terminus communis*, & *vniuerſalis*, modo habeat alium terminum ſuperiorẽ magis late patentem, & vniuerſaliorem v. g. *homo* eſt terminus inferior reſpectu animalis, *animal* reſpectu viuentis &c.

Appendix I. gen.

9 Q*Vares primo. An* Sol *ſit* terminus communis.

10 *Reſpondetur eſſe, quia licet ſit vnus tantum ſol; poſſet tamen plures alij ſoles produci à Deo. Ad rationem autem termini communis non eſt neceſſe, quod*

ſint actu plura, in quibus ſit eius ſignificatum. ſed ſatis eſt quod poſsint eſſe plura.

11 Quares ſecundo, An Deus ſit terminus inferior.

12 Reſpondetur; ſi inferior comparetur reſpectu termini vniuerſalis, qui ſit perfectè vnus & vniuocus; non eſſe terminũ inferiorẽ; quia deberet habere aliquod, in quo perfectè conueniret cum creaturis; & illud eſſet ſuperius Deo, & creaturis, at nihil datur commune Deo, & creaturis, in quo perfectè conueniant, ergo &c. Si vero inferior comparetur reſpectu ſuperioris, prout terminus ſuperior poteſt eſſe etiam terminus communis, non perfectè vnus, & vniuocus, ſed analogus; Deum dici poſse terminum inferiorem reſpectu gradus ſubſtantiæ, & entis, quatenus ens, & ſubſtantia ſunt aliquid commune analogum Deo & creaturis, cum tam Deus, quam creatura ſint ens; & ex creaturis aliquæ ſint ſubſtantiæ, vt lapides, arbores, animalia, &c.

13 Quares tertiò. An Deus ſit terminus communis, quatenus reperitur in tribus perſonis.

14 Reſpondetur negatiuè, quia non prædicatur de pluribus Dijs, vt homo prædicatur de pluribus hominibus; plures autem perſonæ, de quibus dicitur, non ſunt plures Dij, cum enim repugnet multiplicari id quod ſignificatur per hoc nomen. Deus; ideo non erit terminus communis, ſed ſingularis, ſicut ſi vna anima eſſet in tribus corporibus, non eſſet vniuerſalis, & terminus communis.

15 Dices primo, in pſal. 81. habetur; ego dixi Dij eſtis, & multi ſunt dij gentium; ergo hic terminus Deus eſt communis.

16 Reſpõdetur, in pſalmo non eſse ſermonẽ de vero & proprio ſignificato per hanc vocem Deus; quare homi-

hominès dicuntur Dij, non per proprietatem, ſed per participationem, vel in poteſtate iudicandi, vel in alia perfectione. multo minus ſunt Dij, idola, &c.

17 *Dices ſecundò.* terminus communis *poteſt eſſe etiam terminus analogus, qui non perfectè participetur ab inferioribus, ſed per analogiam, & proportionem, vt diximus de hac voce* ſanum.

18 *Reſpondetur in hoc ſenſu poſſe admitti eſſe terminum communem, quatenus hæc vox* Deus, *principaliter, & propriè dicatur de vero Deo, minus verò principaliter & ſecundum aliquam proportionem dicatur de ijs, de quibus dicitur in Pſalmo. ea ratione, qua* riſus *dici poteſt terminus communis ad riſum hominum, & pratorum, quæ dum florent, ridere dicuntur per metaphoram. vide S.Thom. 1.p. q.13.a,10. vbi tractat hanc quæſtionem.*

19 *Quæres quartò, An* ciuitas, exercitus, &c. *ſit terminus communis.*

20 *Reſpõdetur cum diſtinctione, ſi comparetur* ciuitas *in ordine ad hanc, vel illam ciuitatem, eſſe terminum communem; ſi vero comparetur cum ſingulis hominibus, qui componunt talem Communitatẽ non eſſe terminum communem, quia eius ſignificatum non conuenit ſingulis hominibus, vt conuenire debet ſignificatum termini communis, ſingulis ſuis inferioribus.*

21 *Quæres quintò, quòd diſcrimen ſit inter has voces* homo, omnis homo, aliquis homo, hic homo.

22 *Reſpondetur & primo, ly* Homo, *eſt terminus cõmunis & vniuerſalis: quia totum ſignificatum per tale nomen ineſt in pluribus, & de iiſdem prædicatur.*

23 *Dices. Propoſitio indefinita æquiualet particu-*

lari in materia contingenti; ideſt, quando prædicatum non eſt de eſsentia ſubiecti, vt in hac, homo currit, *quia curſus non ineſt eſsentialiter in homine. hæc autem propoſitio æquiualet huic,* aliquis homo currit, *quæ eſt particularis; ergo ly* homo, *non eſt terminus communis. patet antecedens, probatur conſequentia. talis eſt propoſitio, quales ſunt termini, ſed propoſitio eſt particularis, ergo etiam termini.*

24 *Reſpõdetur. cõcedo antecedẽs, nego conſequentiam. ad probationem diſtinguo maiorem, quales ſunt termini ſecundũ ſe nudè conſiderati, nego maiorem; quales ſunt termini in ordine ad ſuppoſitionem, ſeu qualiter ſupponunt termini, concedo maiorem; ſupponere autem eſt ſubſtitui vocem loco alicuius rei; & eodem modo diſtinguo conſequens. nam; & notandum eſt; Propoſitio non ſumit ſuam vniuerſalitatem, vel particularitatem, à terminis nudè cõſideratis, ſed ex modo, quo ſupponunt, vniuerſaliter ſcilicet, vel particulariter. ſuppoſitio autem ſubiecti explicatur per illas voces,* omnis, nullus, aliquis. *quando autẽ tales voces nõ apponũtur, ſuppoſitio termini deſumitur à prædicato, in ordine ad quod ſubiectum ſupponit; & ſi prædicatum ſit terminus contingens, ſupponit particulariter, & ſubintelligitur* aliquis, *vt in propoſitione allata. quando verò prædicatum eſt eſſẽtiale ſubiecto, tunc ſubiectũ ſupponit vniuerſaliter, quare iſta propoſitio,* homo eſt animal, *æquiualet huic,* omnis homo eſt animal; *quod autẽ* particularitas *&* vniuerſalitas *propoſitionis non ſumatur à termino nudè conſiderato, inde patet; quia plerique ſyllogiſmi ſunt ex propoſitionibus, quæ conſtant ex terminis communibus, & tamen tales propoſitiones non dicuntur eſſe vniuerſales. vniuerſalitas ergo propoſitionis, & particularitas ſumitur ex ſuppoſitione*

ter-

terminorum explicata, vel per illa ſigna omnis, ali quis; *vel ex natura prædicati, modo dicto, quod faci ſubiectum ſupponere pro multis. vel pro vno tantum.*

25 *Secundò. Pro termino,* omnis homo, *dupliciter poteſt conſiderari: primo per modum vnius termini complexi; & hac ratione non eſt terminus communis. tum quia totum ſignificatum talis termini non cõuenit omnibus & ſingulis ſingillatim ſumptis, non enim poteſt dici,* Petrus eſt omnis homo, Paulus eſt omnis homo *&c. vt dicitur* Petrus eſt homo, Paulus eſt homo &c. *tum etiam, quia in eo relucet aliquo modo pluralitas, quæ opponitur vnitati requiſitæ ad rationem termini communis; vt non relucet in hoc termino* , homo . *ſecundò poteſt accipi* omnis homo, *vt ly* omnis. *non prædicetur, ſed ſolum ſit quoddam ſignum indicans pluralitatem, & faciens, vt pro ſingulis ſupponat terminus, quẽ afficit; & in hoc ſenſu dici poteſt* terminus communis & vniuerſalis ; *in quo etiam dicitur facere propoſitionem vniuerſalem, ideſt. propoſitionem de ſubiecto ſupponente pro multis.*

26 *Dices hac ratione etiam* turba *&c. eſſet terminus communis, quia ſupponit pro multis, quos continet.*

27 *Reſpondetur non eſſe terminũ cõmunem, quia nec totum eius ſignificatum conuenit ſingulis ſeorſim ſumptis, nec ſupponit pro ſingulis.*

28 *Dices ly* turba, *ſupponere pro ſingulis, ſicut hæc vox* omnis homo, *quæ ideo dicitur ſupponere* vniuerſaliter, *quia ex propoſitione* , omnis homo eſt animal, *poſſum dicere*, & Petrus eſt animal, & Paulus eſt animal &c. *ſed eadem ratione, dum dico* ciuitas ſtudet, *poſſum dicere ;* hic home ſtudet, & hic ſtudet, &c. *ergo* turba, ciuitas

tas, &c. *eſt terminus communis.*

29 *Reſpondetur negãdo, ſupponere eodẽ modo ad probationem; nego ex eo præcisè ly,* omnis homo, *ſupponere* vniuerſaliter, *quia poteſt fieri ille deſcenſus, & enumeratio, ſed ex eo, quod totum ſignificatum* ſubiecti, *excepto* ſigno, *poteſt de ſingulis dici ſeorſim, & ipſum ſignum facit taliter ſupponere ſubiectum.* Turba *autem non eſt ità, quia totum eius ſignificatum non ſupponit pro ſingulis; non negarem tamen, licet* turba *de modo ſupponendi, non ſit* terminus vniuerſalis, *qualis eſt ſolum terminus communis affectus ſigno vniuerſali; de lege tamen, ſeu ſecundum legem ſuppoſitionis ſupponere eodem modo in propoſitione ly,* turba, *ac ly,* omnis homo; *quia ex vtroque termino poteſt fieri deſcenſus diſtributiuus modo dicto.*

30 *Tertio. Pro termino* Aliquis homo. *primo æquiualet huic,* vel hic, vel ille, vel ille homo, *differt autem* omnis homo, *&* aliquis homo, *non ex parte obiecti, cum in vtroq. reſpondeant omnes & ſinguli homines: ſed ex modo tendendi intellectus: quatenùs. per primum* omnis homo. *exprimuntur omnes cũ ſimultate quam intellectus amplectitur. per ſecundũ* aliquis homo, *exprimuntur quidem omnes, ſed cum diſtinctione & intellectus amplectitur vnum ſed indeterminatè; item per ly* aliquis homo *exprimitur modus tendendi quaſi diſiunctiuus, ſcilicet.* hic ſi non eſt ille, vel hic ſi non eſt ille &c. *per ly* omnis homo, *exprimitur modus tendendi abſolutus circa omnes. præterea cum ly,* omnis, *&* aliquis *ſint ſigna denotantia ſuppoſitionem terminorum in propoſitione, in ea dignoſcendus eſt modus tendendi diuerſus, nam ly,* aliquis homo, *ſupponit pro vno tantum licet indeterminatè modo illo conditionato*

iam

iam dicto; ly omnis homo *ſupponit pro ſingulis abſolutè. Demum non poteſt melius explicari diuerſitas quàm per modum tendendi disiunctiuum, & copulatiuum; & quod ly* aliquis, *ſit vox impoſita ad ſignificandum vnum ſub disiunctione ly* omnis, *ad ſignificandum ſingulos copulatiuè.*

31 *Dices etiã ly* homo, *æquiualet huic, ſcilicet,* vel hic, vel ille, *&c. ergo non eſt terminus vniuerſalis.*

32 *Reſpondetur nõ ſolũ æquiualere huic,* vel hic, vel ille, *ſed etiam huic,* & hic, & ille, *& ſic eſt quid ſuperius ad* omnis homo, *&* aliquis homo, *cum poſſit de vtroque dici; & affirmari* homo, *v.g.* omnis homo, *ſeu* hic, & ille, & ille, eſt homo. *item* aliquis homo, *ſeu* vel hic vel iſte vel ille, eſt homo.

33 *Quares, an* aliquis homo *ſit terminus communis.*

34 *Reſpondetur negatiuè; tum quia dicit aliquam pluralitatẽ contra naturam vniuerſalis, quæ nullam debet dicere multiplicitatẽ in intellectu; tum quia non excludit differentiã indiuidualem; nam idem eſt* aliquis homo, *ac* aliquod indiuiduum, *& ſic non poteſt eſſe terminus communis, qui præſcindit per indifferentiam à qualibet ſingularitate, ſeu indiuiduatione, nec ſe habet vt* omnis homo; *quia ex modo ſignificandi non dicit pluralitatem ſimul ly* aliquis homo, *vt dicit* omnis homo

35 *Quarto. Pro termino* hic homo, *non eſt terminus communis, quia ly* hic, *eſt ſignum demonſtratiuum faciens terminum, cui affigitur incomunicabilem, cui opponitur ly* omnis, *quod facit terminum, cui affigitur communicabilem; quare ly* homo, *quando eſt coniunctus cum* hic, *eſt terminus communis ſolum materialiter; quatenus præciſè ſumptus*

ſeu

ſeu ſecundum ſe ſolùm eſt terminus communis; ſumptus verò cum pronomine demonſtratiuo hic, *eſt terminus ſingularis.*

36 *Quæres ſexto. An hic terminus* Petrus, *&* *Paulus ſit terminus communis.*

37 *Reſpondetur negatiuè, vt diximus de termino* omnis homo; *quia totum eius ſignificatũ non poteſt conuenire pluribus ſeorſim ſumptis. An autem ſuppõnat* diſtributiuè, *vel* copulatim; *videndum infra; pendet enim ex natura prædicati, nam ſi prædicatum conueniat illis, tantum, vt ſunt ſimul; tunc nõ ſupponunt* diſtributiuè, *ſed* copulatim, *v.g.* Petrus & Paulus ſunt duo; *non enim dicitur de ſingulis* ſunt duo; *ſi verò prædicatum conueniat ſingulis, tunc ſupponunt* diſtributiuè, *v.g.* Petrus & Paulus ſtudet, *ſenſus eſt,* & Petrus ſtudet, & Paulus ſtudet.

38 *Quæres ſeptimò; an terminus æquiuocus ſit terminus communis.*

39 *Reſpondetur non eſſe, ſi ſpectetur ſignificatũ formale termini. quia* æquiuoca *habent ſolum nomen commune, ſignificatum verò per tale nomen, quod eſt formale, omninò diuerſum. ſi vero ſpectetur non res ſignificata, ſed ſolum nomen: poſſe dici* terminum communem *impropriè, & ſecundum materialem ſonum.*

40 *Hinc habes, hoc nomẽ* Petrus, *eſſe nomẽ æquiuocũ: & de eo diſcurrendum, ſicut ſupra diximus de termino æquiuoco; nam etiã ſi multi vocentur hoc nomine, & omnes ſint eiuſdem naturæ, tamen hoc nomen non eſt impoſitum ad ſignificandam talem conuenientiam, cum potius ſit impoſitum ad ſignificandam propriam rationem, in qua differunt.*

41 *Pro* termino confuſo, *nota, non dici* confuſum, *primò, quia in obiecto ſit aliqua cõfuſio; ſed quia* *modus*

modus tendendi, ſeu cognoſcendi eſt confuſus, non diſtiguens ea, quæ verè ſunt diſtincta, nec ſecũdo hoc ipſũ ſufficere ad rationem termini confuſi; *nam hac ratione etiam terminus vniuerſalis* homo *eſſet terminus* confuſus, *quatenus confuſè cognoſcũtur ſinguli homines per talem conceptum. dicitur ergo terminus* confuſus, *ſeu* indeterminatus, *cum multi concipiuntur indeterminate, modo dicto de termino*, aliquis homo, *qui eſt terminus* confuſus.

4 *Quæres vltimo. An* rationalis *ſit terminus ſuperior reſpectu hominis.*

43 *Reſpondetur & primo dixi* Rationalis *non* rationale, *quia hoc ſecundnm non ſe habet per modum differentiæ, ſed totius eſſentiæ, & ſic eſt prædicatio æqualis de æquali, cum* homo *dicitur de rationali, vel* rationale *de homine.* Rationalis *verò acceptum* adiectiuè *per modum differentiæ, nec eſt terminus communis reſpectu hominis. quia eſt pars illius vt ſpecies eſt;* differentia *enim eſt pars ſpeciei, erit autem terminus communis reſpectu Petri & Pauli, non per modum totius eſſentiæ, ſed partis, vt fusè dicitur in prædicabilibus.*

CA.

CAPVT TERTIVM.

De Termino Vniuoco, Aequiuoco, Analogo, Complexo, & incomplexo, Finito, & Infinito. Primæ, & ſecundæ intentionis: tranſcēdente, & non tranſcendente, copulatiuo, & non copulatiuo. Denominatiuo & Denominante. Pertinente & Impertinente.

1 DIuiditur primò terminus in *vniuocū, æquiuocum, analogum*, & hic vltimus ſubdiuiditur in *analogum proportionis, & analogum attributionis. Vniuocus* eſt, *qui vel ſignificat vnum determinatè*: v. g. *Petrus* reſpectu vnius; *vel plura vt perfectè conueniunt in ratione ſignificata per nomē*: v. g. *homo* reſpectu Petri, Pauli, &c. qui perfectè conueniunt in humanitate ſignificata per hanc vocem, *homo*. *Aequiuocus* eſt, *qui ſignificat plura, vt plura*, ideſt omninò diuerſa habentia ſolum commune nomen: v. g. *Gallus* reſpectu hominis Galli, & pulli gallinacei: vel *canis*, reſpectu cæleſtis, terreſtris, marini: & ſigni ludi talaris. *Analogus* analogia attributionis eſt, *qui ſignificat plura propter ordinem, quem habent ad vnum*, quod dicitur principale analogatum, alia verò dicuntur minus principalia; v. g. *ſanū* eſt nomen analogum ſignificans principaliter ſanitatem animalis; quod ideo dicitur principale analogatum. cibus verò dicitur ſanus, quia conſeruat ſanitatem; medicina ſana, quia cauſat ſanitatem,

pul-

pulſus ſanus, quia indicat ſanitatem, & hæc dicuntur minus principalia analogata. Cum verò abſolute ponitur nomen analogum; accipitur communiter pro principali analogato: tale eſt *ſanum*: v.g. quod principaliter dicitur de animali, minus principaliter verò de pulſu, cibo, &c. Demum terminus analogus analogia proportionis eſt, *qui ſignificat plura imperfectè conuenientia in ratione ſignificata per nomen*; v.g. *riſus* vt communis homini, & pratis; *Ens* commune ſubſtantiæ, & accidenti.

2 Diuiditur ſecũdò, terminus in *incomplexũ*, & *complexum*. Primus eſt, cuius partes nõ ſunt per ſe ſignificatiuæ; v.g *leo*, *homo*, &c. Secũdus eſt, cuius partes ſunt per ſe ſignificatiuæ; vt *homo iuſtus* Indicium verò quod partes termini ſint per ſe ſignificatiuæ, eſt (vt aduertit Sot. lib. 1. c. 9 lect. vnic. notab. 1.) quia explicãdo ſignificationẽ illarũ retinent eandem ſignificationem in toto termino; ſic *homo fortis* eſt terminus complexus, quia explicando ſignificationem partium, eandem retinent in toto termino complexo: ly vero, *Dominus* v.g. eſt terminus incomplexus, quia licet partes, in quas poteſt diuidi, ſcilicet, *do*, &, *minus*, ſint ſignificatiuæ; tamẽ in toto complexo non retinent hanc ſignificationem. *Reſpublica* verò Hurtadus diſp. 1. ſect. 9. vult eſſe terminum complexum; quia, inquit, *tam res, quam publica, retinent integram ſinificationem*. Verum quia in communi vſu loquendi *Reſpublica* accipitur nunc pro communitate hominum; non videntur eius partes retinere eandem ſignificationem, quam habent: cum dicitur, aliqua

qua

qua res eſſe publica, ad diſtinctionem priuatæ. Quare in ſtricta acceptione dici poſſet nō eſſe terminus complexus; in latiore verò, quatenus homines ſunt res aliquæ, & prout faciunt communitatem, non ſunt aliquid priuatum: *Reſpublica* pro communitate talium hominum dici poteſt terminus complexus. *Proconſul* verò, & alia nomina compoſita ex aduerbijs, caſibus obliquis, &c. non ſunt termini complexi in rigore; quia propoſitiones, & aduerbia non ſunt nomina, vt neque caſus obliquos dicemus cum Ariſtotele eſſe propriè nomina abſolutè, & ſimpliciter, ſed cum addito, ſcilicet caſus nominum; vnde nec propriè diximus eſſe terminos. *Marcus Tullius Cicero*, & alia huiuſmodi non ſunt termini complexi, quia non habent diuerſam ſignificationem, & ſunt purè ſynonyma, *vt gladius*, & *enſis*.

3 Diuiditur tertiò. *Terminus* in finitum, ſeu *finitū tē*, & *infinitū*, ſeu *infinitātē*. Primus eſt, *qui aliquid determinate ſignificat*, vt *homo*, *leo* &c. ſecundus eſt, *qui aliquid determinate ſignificat, & negat idē quod ſignificat, nihil tamen determinate affirmat*. fit autem terminus *infinitus* per appoſitionem particulæ *non*, v.g. *non homo* ſignificat determinate hominem, ſed negat illum, non tamen affirmat aliquid aliud determinate. v.g. *non homo* currit, ſenſus eſt, quod homo non currat, licet aliquid aliud indeterminate affirmet, quod currat.

4 Poteſt tam ſubiectum, quām prædicatum infinitari, v.g. *nō homo eſt lapis*, *homo eſt nō lapis*, in prima propoſitione infinitatur ſubiectū.

in

in ſecunda infinitatur prædicatum; per negationem verò ante verbum nõ infinitantur termini, ſed fit propoſitio negatiua. v. g. *homo non eſt lapis*; an autẽ poſſit infinitari verbum infra videbimus.

5 Diuiditur quartò in *terminum primæ, & ſecundæ intentionis*, Nomine *intentionis*, licet propriè intelligãtur actus voluntatis, quibus tendimus ad obiectum ex S.Tho.1.2.q. 12.ar. 1. tamen intelligi poſſunt conceptus mentis, quibus tendimus in aliquod obiectum. Nomine vero *intentionis* appellari ſolet tam obiectum, quod cognoſcitur, quàm ipſa cognitio, & prima dici ſolet *intentio obiectiua*, ſecunda *formalis*. Generatim autem *terminus primæ intentionis* dicitur ille, qui ſignificat rem vt eſt in ſe independenter ab operatione intellectus; & loquendo de termino vocali, dici ſolet *primæ impoſitionis*; vt eſt, v. g. hæc vox, *homo*, quæ ſignificat naturam humanam. *Terminus* verò *ſecundæ intentionis*, dicitur ille, qui ſignificat rem affectam aliqua extrinſeca denominatione ab operatione noſtri intellectus: v.g. *eſſe ſpeciem, prædicatum, ſubiectum*, quia *homo* v. g. non habet vt ſit ſubiectum, vel prædicatum ante operationẽ intellectus; quare conflatum ex re & operatione intellectus, vt hæc vox *cognitum, prædicatum, ſubiectum, &c.* dicuntur termini *ſecundæ intentionis*, ſeu *ſecũdæ impoſitionis*, vt hæc vox, *cognitum*, communiter dicitur terminus ſecundæ intentionis, ſeu ſecundæ impoſitionis.

6 Diuiditur quintò. terminus in tranſcendentem, & non tranſcendentem. Primus eſt, qui

qui per omnia rerum genera vagatur; ſunt autem numero ſex. *Res, Ens*, *Vnum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Verum*, qui termini hac voce clauduntur *Reubau*, cuius ſingulæ litteræ ſunt initium prædictorum terminorum. nō Tranſcendens eſt qui limitatam habet ſignificationem, & in aliquo certo genere rerum continetur, vt, *homo, lapis*, &c.

7 Diuiditur ſextò, terminus in *copulatiuū*, & *non copulatiuum*, ſeu *diuiſiuum*. Primus eſt *qui plura in recto*, idest, in nominatiuo, *ſed in vnū per accidens aggregata ſignificat*, v.g. *exercitus, turba*, dicitur *in recto* ad excludenda nomina concreta, de quibus mox, quæ dicunt vnum in recto, aliud in obliquo, v.g. *album*, eſt concretum dicens ſubiectum in recto, albedinem in obliquo, & ſenſus eſt, ſubiectum habens albedinem, terminus verò *copulatiuus* dicit plura in recto, vt *exercitus*, ſunt plures milites; *per accidens aggregati*, quia nullā habent naturalem connexionem ad inuicem; per quod excluduntur compoſita vera, & propria, vt *homo* v.g compoſitus ex anima & corpore. *non copulatiuus* eſt, *qui vnam rem determinatam ſignificat*; vt *Deus*, *homo*, &c.

8 Diuiditur ſeptimò, *terminus* in *denominatiuū* & *denominantem*, Primus eſt, *qui ab alio deriuatur, tam quoad ſonum, quàm quoad ſignificationem*, & eſt eadem deſcriptio, ac illa, quàm aliis verbis, tradit Ariſtot. in antepræ-dic. c 1. *Denominatiua dicuntur quæcunque, ab aliquo differentia caſu ſecundum nomen habent appellationem*. per ly *caſu*, intelligitur vocis terminatio, ſeu deſinentia: & ſenſus

eſt

eſt, quod *denominatiua* ſint illa nomina,quæ ab alijs deriuantur,& ab ijs differunt ſecundum deſinentiam, ſeu terminationem. v. g. *à iuſtitia iuſtus, à fortitudine fortis, &c.*

9 Alia ſunt *denominatiua primaria*, vt à *candore* candidus, alia ſecundaria, vt à *candido*, candidatus.

10 Terminus *denominans* eſt ille, à quo alter deriuatur, vt in exemplis allatis: *iuſtitia, fortitudo*,&c.

11 Præter terminum *denominatiuum* & *denominantem*, datur etiam terminus *denominatus*;& eſt ille, de quo terminus denominatus prædicatur, v.g *Ioſeph eſt iuſtus*, ly *Ioſeph* eſt terminus denominatus.

12 Aduertendum ex Ariſt. cap. de qual. in prædicam. non ſufficere ad denominatiuū, quod deriuetur ſecundum ſignificationem ab alio, niſi ab eodem habeat appellationem. quare hæc vox *ſtudioſus* accepta pro virtute prædito, non eſt denominatiuum à virtute, quia ab ea non habet appellationem,nec deducitur ſecundum vocem.

13 Aduertendum præterea non omnia nomina *connotatiua*, de quibus infra, eſſe *denominatiua*: nam hæc vox *curſor*,eſt *connotatiua*: connotat enim potentiam currendi, & dicitur de habēte talem potentiā,v.g. *Petrus eſt curſor*, non tamen eſt vox *denominatiua*, quia non deriuatur ſecundum vocem a potentia currēdi.nec dicas deriuari à *curſu*, nā hoc negat Ariſtoteles,& merito; quia non ſignificat curſum,ſed potius potentiam currendi in aliquo; hæc ſufficiant pro Tyronibus.

14 Di-

14 Diuiduntur 8. termini in numero plurali in *Pertinentes*, & *Impertinentes Impertinentes ſunt, qui neq; ſe inuicem inferunt, neq. excludunt*, v. g. *Diues* & *ſapiens*: nō enim ex eo quod aliquis eſt diues ſequitur, quod ſit ſapiēs, vt nec è cōtra, quod excludat ſapientiā, & ſic tales termini nullā habent inuicē pertinentiā.

15 *Pertinentes* ſunt, *qui ſe inuicem inferunt*, vt *homo*, & *rationalis*; vel mutuo ſe excludunt, vt *homo*, *equus*, homo enim infert rationale, excludit vero equum.

16. *Pertinentes* qui ſe inferunt, & dicuntur etiam *conſequentes*, ſeu *pertinentes* ſequel a. Alij ſunt *ſynonymi*, qui idem diuerſis vocibus ſignificant, vt *enſis*, *gladius*. Alij *conuertibiles*, qui æquè latè patent, vt *homo*, *riſibilis*: valet enim *riſibile eſt homo*, *homo eſt riſibilis*. Alij ſunt *ſuperiores* magis latè patentes, vt *animal*: alij *inferiores* minus latè patentes, vt *homo*, magis enim latè patet *animal*, quod cōuenit non ſolùm homini, ſed leoni, equo, &c. quàm *homo*, qui non conuenit alijs ſpeciebus.

17 *Pertinentes*, qui ſe excludunt, alij ſunt *diſparati*, qui nullā habent connexionē ad inuicē, nec poſſunt eidē conuenire, v. g *homo equus*, diſtinguūtur autē à terminis impertinētibus, quia impertinētes licet nullā habeāt cōnexionē. nō habēt tamen repugnantiā vt poſſint eſſe ſimul, at diſparati repugnāt, vt ſint in eodē ſimul, v. g. *equus*, & *leo*. Alij ſunt *oppoſiti* qui nō poſſunt conuenire eidē rei propter peculiarē repugnantiā, quā habēt ad inuicem in ordine ad idem ſubiectū; quatuor autē modis poſſunt eſſe oppoſiti. Alij ſunt termini *contradi-*

tradictorij, quorũ vnus negat id, quod alter ponit, & communiter definitur, *oppoſitio contradictoria, eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem*; vt ſi de eodem dicatur *eſt, & non eſt, Homo non homo, &c.* *Contrarij* ſunt qui ſe inuicem expellũt ex eodem ſubiecto; poſſunt tamen eſſe ſimul ſecundum aliquam partem, iuxta capacitatem ſubiecti, v. g. *calor, & frigus* ſe inuicem expellunt, ita vt non poſſint in eodem ſubiecto eſſe vterque in ſummo, & ita ſe mutuo expellunt; poſſunt tamen, licet ſemper reluctando eſſe in eodem ſubiecto ſecundum aliquos gradus, ſic nunc in mea manu, neque eſt ſummus calor, neque ſummum frigus, ſed aliquid frigoris, aliquid caloris. *Priuatiui* ſunt, *quorum vnus dicit carentiam alterius cum aptitudine ad illum recipiendum*, v. g. *cæcus*, & *videns*, opponuntur priuatiuè, quia *cæcus* habet aptitudinem recipiendi viſum, lapis verò non dicitur cæcus, quia nec habet viſum, nec aptitudinem ad viſum; & ſic lapis non eſt priuatus viſu, nec dicitur habere priuationem, ſed negationem viſus. *Relatiui* deniq; ſunt *quorum vnus* dicit ordinem, ſeu habitudinem ad alterum, vt *Pater*, & *filius*, *ſeruus*, & *Dominus*, &c. & dicuntur opponi, quia non poteſt idẽ reſpectu eiuſdem eſſe Pater, & filius.

Appendix I. Generis.

18 N*Otandum primo pro æquiuocis Hurtad. citat ſect. 3 diſtinguere analoga in* propria, *& in* impropria; *vt prima ſint, quæ habent intrinſecè rationem Analogam: talia*

ſunt ſubſtantia, & accidens, quæ ſunt intrinſecè ens, licet diuerſo modo; nam ſubſtantia eſt ens per ſe, accidens in alio: Secunda verò ſint illa, quorum vnum tantum habeat intrinſecè rationem analogam, alia verò extrinſecè, & per quãdam accommodationem; talia ſunt prata & homo, quatenus conueniũt in ratione ridendi, quæ reperitur intrinſecè in homine, in pratis verò extrinſecè; in quo genere analogia fundantur pleraque metaphoræ Rhetorum, & tranſlatæ locutiones. Sed hæc diſtinctio alibi fusè examinatur.

19 Notandum ſecundò æquiuoca, alia dici à caſu; alia à conſilio. Prima ſunt quæ habent quidem commune nomen, ſed ſine vllo ordine, & connexione vnius cum alio: v.g. duo filij duorum patrum, alter Romæ, alter in India natus, qui vocentur eodem nomine, Petrus, conuenient æquiuocè à caſu in hoc nomine, quia nullam habent cõnexionem inter ſe. Aequiuoca à conſilio ſunt, quæ habent idem nomen propter ordinem, vel connexionem, quam habent ad inuicem: ſic filius Petri denominatur Paulus propter memoriam aui: vel aliquis denominatur Antonius propter deuotionẽ S. Antonij. Vbi aduerte non deeſſe aliquos qui æquiuoca à cõſilio appellent analoga, quia analogia reperitur, vbicũq; reperitur aliquis ordo vnius ad aliud; vt reperitur in æquiuocis à conſilio.

20 Notandum tertiò ex Soto citato cap. 4. æquiuocationem eſſe ſolum in voce, cum in mente non ſit idem conceptus rerum diuerſarum, quæ appellantur vnico nomine. Adderem ego; quod etiam ſi per vnicum conce-

ptum

ptum cognoſci poſſint diuerſa nullam habentia connexionem inter ſe, quæ omnia eodem nomine appellentur, adhuc non dari æquiuocationem in mente; quia diſtinctè cognoſceret intellectus illa, quibus tale nomen applicat, vt non accidit audienti, qui per vnum nomen concipit vnam ex rebus ſignificatis per tale nomen, & neſcit determinatè quænam ſit; & ideo æquiuocatio propriè eſt reſpectu audientium, quibus vox audita parit ſenſum ancipitem.

21 Notandum quartò, *duas tradi communiter regulas pro æquiuocis: Prima eſt, vt æquiuoca, ſi debeant definiri, prius diſtinguantur: nã cum definitio ſit explicatio eſſentiæ, conſequenter vnius eſſentiæ vnica erit definitio: ergo cum æquiuoca ſint plura, erũt etiã plures eſſentiæ, atque ideo plures erunt definitiones: Diſtinguenda ergo ſunt prius æquiuoca, quàm definienda Secunda eſt, terminum æquiuocum poſſe fieri vniuocum per alia prædicata reſtringentia ſignificationem ipſius: v. g. ſi dicatur,* Gallus nos ſummo mane excitat, *reſtringitur ad gallinaceum:* Galli inuadebant arcem, *ad populos bellicoſiſſimos.*

22 *Ob. primo* Turba, populus, *& alia huiuſmodi ſignificant plura, & tamen non ſunt termini æquiuoci: ergo malè dicitur terminus æquiuocus ſignificare plura, vt plura.*

23 R*eſpondetur: ſignificant plura, vt plura copulatim, ſeu collectiuè, concedo; diuiſiuè, ſeu diſtributiuè, nego. Terminus enim æquiuocus cum ſignificet plura, debet conuenire ſingulis illis pluribus:* turba *autem, &c. non conuenit ſingulis hominibus conſtituentibus turbam:*

non enim ſinguli poſſunt dici, turba.

24 *Ob. ſecundo. Canis terreſtris, & marinus conueniunt in ratione animalis: ergo hoc nomen*, canis, *non eſt æquiuocum.*

25 *Reſpõdetur; diſtinguo antecedens; in ratione animalis ſignificata per tale nomen, nego; non ſignificatã per illud, tranſeat. Vt autem nomen non ſit æquiuocum, requiritur vt ratio, in qua aliqua conueniunt, exprimatur per illud nomen.* Cum *ergo nomen* canis, *conueniat etiam Stellæ, quæ ſanè non eſt animal, per tale nomen* canis, *non ſignificabitur animal. Et regula vniuerſalis eſt. quod ad rationem termini æquiuoci requiritur quod plura, quæ appellantur illo nomine, non conueniant in ratione ſignificata per illud nomen, licet in alia conueniant.*

CAPVT QVARTVM

De Termino Categorematico, & Syncategorematico. Abſtracto, & Concreto. Abſoluto, & Connotatiuo.

1 Diuiditur primo, terminus ſignificatiuus in *categorematicum*, & *ſyncategorematicum*, vterque dicitur à verbo græco κατηγορέω quod eſt *prædico*: quare primus ſonat idẽ ac prædicatiuus, ſeu ſignificatiuus; & definiri poteſt; eſt *qui per ſe perfectè ſignificat*, vt *homo, leo*, &c. Secũdus quia habet particulam συν quæ ſonat *ſimul*, ſignificat idem ac *comprædicatiuus*, ſeu *conſignificatiuus*. &

eſt

eſt is, *qui per ſe non perfectè ſignificat*, ſeu non habet perfectam ſignificationem, ſed modifi-cat ſignificationem alterius. Quare eſt potius modificatio primi, quàm terminus propriè, & per ſe; eo quod adiunctus termino cate-gorematico illius ſignificationem modificet, illam extendendo, vel contrahendo, vt ſunt omnes voces ſignificantes vniuerſalitatem, particularitatem, numerum; v.g. *omnis, nullus, aliquis, alter, neuter, alteruter, vterque*, & alia nomina numeralia.

2 Diuiditur ſecundò in *abſtractum*, & *concretum*; primus eſt *qui ſignificat rem ſeparatã à ſubiecto*: v.g. *albedo*. ſecundus qui ſignificat formam in ſubiecto, vt *album*.

3 Toletus lib. 1. cap. 13. paulo aliter defi-nit. *abſtractus eſt à quo alius denominatur* vt *humanitas* concretus, *qui ab alio denomina-tur*, vt *homo*. hæc definitio confundit primò concreta cum denominatiuis, deinde non aſ-ſignat proprium conceptum abſtracti, ſicut prima definitio; ſed res eſt adeo leuis, vt pa-rum curandum ſit de modo explicandi, modò teneatur via aliqua dignoſcendi *abſtracta, & concreta*. poſſunt nomina *concreta* eſſe tam *ſubſtãtiua*, vt *homo* quàm *adiectiua*, vt *album*, quare licet omnia *adiectiua* ſint *concreta* non tamen è cõtra omnia *concreta* ſunt *adiectiua*; ex quo vlterius habetur, nec *concreta* eſſe ea-dem ac *denominatiua*, nam *ſtudioſus* acceptus pro virtute prædirus, eſt *concretum*, imò, *adiectiuum*, non tamen *denominatiuum*, ex ſupra dictis, ex quo etiam capite impugnatur definitio Toleti; licet poſſet defendi, dicendo

 quod

quod vox, *ſtudioſus*, denoninetur ab abſtracto *ſtudioſitas*.

4 Diuiditur tertiò in *Abſolutum*, & *connotatiuum*. Primus eſt *qui ſignificat rem per modum per ſe ſtantis*, v.g. *homo*, *lapis*. additur ly *per modum*, & non dicitur abſolutè, quod ſignificet rem per ſe ſtantem; vt comprehendantur accidentia, quæ verè non ſtant per ſe, ſed cũ accipiuntur, vt abſtracta, ſignificãt per modum rei per ſe ſtantis, vt *albedo*, quæ cum ſit accidens verè non ſtat per ſe, ſed accipitur per modum per ſe ſtantis. quare ratio termini *abſoluti* non tam ſumitur ex re ipſa, quã ex modo ſignificandi; quod ſignificet per modum per ſe ſtantis, qua ratione omnia nomina ſubſtantiua ſunt abſoluta.

5 Secundus *connotatiuus* eſt, *qui ſignificat aliquid per modum adiacentis*, & ſunt omnia nomina adiectiua, *albus*, *doctus*, &c.

Appendix. I. Gen.

6 NOtandum primò ex Toleto lib. 1. c. 13. *diſtingui aliquo modo iſta duo* ſignificare, *&* connotare. *ita vt primum ſit* ex impoſitione, *inquit*, aliquid manifeſtare, *vt hac vox* homo, *hominem ſignificat*. connotare *vero*, *ſit id manifeſtare, quod ex impoſitione ſequitur, vt* album, *ſignificat albedinem*, *vt adiacet alteri*. *& ſenſus videtur eſſe, quod* ſignificare, *ſit manifeſtare ſignificatum formale vocis, ſeu rem, ad quam exprimendam eſt impoſita vox. v. g. vox* homo *manifeſtat ipſum realem hominem*. connotare, *ſit idem, ac importare, ideſt, quod quando res ſignificata eſt talis natura*,

tura, vt importet aliud; tunc talis res dicatur connotare illud, vt album *importet ſubiectum habens albedinem: quod alij dicunt* ſignificare de materiali, *non in eo ſenſu, in quo vox non ſignificatiua dicitur ſignificare materialiter, ideſt pro ſuo materiali ſono, ſed quod ſignificat ſubiectum, quod importat res ſignificata* album, *v.g. & quia ſubiectum, dicitur materia, ideo cum res ſignificat ſubiectum, dicitur ſignificare illud de materiali, ſic* album *v.g. ſignificat de materiali* ſubiectum *habens albedinem, & illud dicitur* connotari *ab albo.*

7 *Sotus lib.*1. *c.*7.*lect. vnica.notab.*2. *confundit hac duo* connotare, *&* ſignificare.

8 *Quidam ingenioſus recentior licet agnoſcat eſſe quaſtionem de nomine. vt verè eſt;* nominibus *tamen* connotatiuis *applicat verbum* cōnotare, *vt diſtinguat à* ſyncategorematicis, *qua ipſa quoque importent aliud; ſed quia ex ſe non ſignificant, vt verè ſignificant termini* connotatiui, *ideo termino* ſyncategorematico *applicatur verbum* conſignificare, *quod verbum, quia ſaltem eſt aquiuocum, & termino* connotatiuo *non conueniat in eodem ſenſu, ac termino* ſyncategorematico *ly* conſignicare: *ideo termino,* connotatiuo *applicandum eſt verbum,* connotare. ſyncategorematico *verò* conſignificare.

9 *Inter* connotare *vero, &* ſignificare, *ſine particula,* con, *ideſt non accipiendo verbum* conſignifico, *videtur eſſe diſcrimen, quod* ſignificare *conueniat vocibus ſignificatiuis (loquendo de re praſenti, quatenus ſunt impoſita ad aliquid manifeſtandum;* connotare *ve-*

rò videtur impoſitum ad ſignificandum, quod res, quæ dicitur connotare, *ſeu* connotatiua, *importet aliquid aliud, præter ſuum formale ſignificatum, idque ſiue verè & realiter, ſiue ex noſtro modo concipiendi, & impoſitione hominũ v. g.* homo *dicitur ſignificare ipſum eſſe hominis*, album *verò ſignificat albedinem, ſed ipsũ ſignificatum albedinis importat aliud ſubiectum ſcilicet, in quo eſt. & illud dicitur* connotare *albedo. quod fortaſſe innuebat Toletus. ſed res leuiſsima eſt. & negari nõ poteſt omnia iſta pendere, ex noſtro modo cõcipiendi, & vſurpandi talia nomina in hoc, vel illo ſenſu. quis enim negabit eſſe aliqua, quæ dicuntur* connotatiua, *& nullo modo vnum ex natura ſua importat aliud v. g.* cæna, *quæ ſignificat comeſtionem, & tempus veſpertinum. certè,* comeſtio *nullum dicit ordinem ad tale tempus: ex impoſitione tamen hominum, hoc nomen ſignificat vtrunque,*

10 *Hurtad diſp. 1. Summ ſect. 10 acerrimè contendit. omnia nomina adiectiua eſſe terminos ſyncategorematicos, quia non ſignificant per ſe, ſed cõſignificãt: v. g.* bonus, *non ſignificat determinatè, niſi addatur alicui: v. g.* Petrus bonus. *Alij verò Summuliſtæ communiter conſent ſolũ aſsignatos ſupra eſſe terminos ſyncategorematicos: reliqua verò nomina adiectiua eſſe terminos connotatiuos, de quibus infra. Ego vero media via incedendũ arbitror; & dici poſſet omnia adiectiua eſſe terminos ſyncategorematicos, non ita ſtrictè, quia licet indeterminatè aliquo modo ſignificet, afferũt tamen aliquã determinationem, ſaltem ratione formæ ſigni-*

gnificata, v. g. albus *importat albedinem. Illa verò nomina, quæ ſine controuerſia diximus eſſe ſyncategorematica; v. g.* omnis, nullus, *&c. eo quia nullam rem determinatam ſignificant, eſſe terminos ſyncategorematicos, ſtrictè ſũptos. Quod inde rurſus colligitur, quia nomina adiectiua poſſunt ſaltem eſſe prædicatum in propoſitione: v. g.* paries eſt albus. *Reliqua verò nomina, quæ diximus eſſe ſtrictè ſyncategorematica; v. g.* omnis *&c. neque poſſunt eſſe prædicatum in propoſitione. Non enim bene diceretur;* paries eſt omnis:

11 *Obijcies Hæc vox* omnis, *v. g. eſt impoſita ad ſignificandũ hoc ipſum, ſcilicet, nõ ſignificare determinatè: ergo eſt terminus categorematicus.*

Reſpondetur; nego antecedens; imò hoc eſt ſolum ſignificatum materiale. nam, formale eſt omnino indeterminatum; ſignificat enim hanc, vel illam rem vagè: quare habet ſolum indeterminatè, ſeu indeterminato modo ſignificare quatenus de nulla re determinatè dicatur hæc vox omnis, *ideſt de nullo ita dicitur, vt non poſsit dici de alijs. Terminus verò categorematicus eſt, qui habet ſignificatũ formale determinatũ, ideſt ſignificat rem determinatã: ſyncategorematicus verò nullã rem determinatã ſignificat ſecundũ ſe conſideratus. Quare in propoſitione nec ſubiectũ eſſe poteſt, nec prædicatũ ſolitariè poſitus, vt ſupra diximus.*

12 *Collige breuiter ſola nomina ſubſtantiua eſſe propriè terminos categorematicos. Dixi ſola nomina; quia verba, propriè loquendo, non ſunt termini in iſto rigore; & ſi quando ſunt extrema propoſitionum; v. g.* Petrus amat,

ſunt talia, ratione nominum, quæ ſubintelli-guntur, ſcilicet ; eſt amans. *Reliqua verò nomina eſſe terminos ſyncategorematicos modo explicato. Addunt alij terminũ mixtũ ex categoremate, & ſyncategoremate ; qualia ſunt aduerbia, v. g.* ſapiẽter, doctè: *Item caſus obliquos: v. g* Platonis, *&c Sed vt verũ fatear, aduerbia non ſunt termini ſyncategorematici: tũ quia nõ ſunt nomina tũ quia non ſunt adiectiua, qualia debẽt eſſe nomina ſyncategorematica. caſus obliqui non ſunt termini, quia non ſunt nomina, ſed caſus nominũ. Si quis tamen enixè velit eſſe terminos ſyncategorematicos aduerbia, quia non habẽt determinatã ſignificationem, vt etiam caſus obliquos, quia nec determinatum ſenſum pariunt, non eſt multum cum eo contendendũ: nã quæſtio eſt de voce; ſolũ enim nunc dicimus in communi vſu loquẽdi aduerbia non eſſe terminos, quia non ſunt nomina; item caſus obliquos nec eſſe terminos, quia nec ſunt categorematici, cum non pariant ſenſum perfectum, nec ſyncategorematici, quia tales termini ſequuntur naturam termini categorematici in ordine ad quem ſignificant, qui cum nec perfectum pariat ſenſum ſecundum caſum obliquum ; vterque deficiet à perfecta ratione termini; ſed vt dixi, quæſtio eſt leuiſsima de voce. Appellet quis vt vult, modo idem ſentiamus.*

13 *Notandum ſecundò. Omnia nomina abſtracta eſſe abſoluta, non è contra; Nam* homo *v. g. eſt terminus abſolutus, non abſtractus, omnia verò connotatiua eſſe concreta, non è contra ; nam* homo *v. g. eſt concretum in ſenſu ex-*

explicatos, itē omnia adiectiua eſſe cõnotatiua.

14 *Obijcies. Dantur plura nomina ſubſtantiua, quæ connotant aliũ terminum in ſua ſignificatione: ergo malè diximus ſolum adiectiua eſſe connotatiua.* Probatur *antecedens;* Pater, magiſter, dominus *connotãt* filium, diſcipulum, ſeruum: *item* cœna *connotat comeſtionem, & tempus veſpertinum. Nomina abſtracta, præſertim formæ accidentales: v.g.* albedo, *&c. connotant ſubiectũ: item concreta omnia eſſentialia: v.g.* homo *connotãt ſuppoſitum.*

15 *Reſpondetur, & primo quidem pleraque ex iſtis à* Philoſophis *dici nomina connotatiua, prout connotare eſt idẽ, ac notare aliud ſiue vt terminum, vt ſunt relatiua omnia,* Pater, *&c. ſiue vt* ſubiectum, *vt ſunt accidentia ; ſiue vt* compartem, *vt ſe habent materia , & forma : qua ratione neſcio, an reperiatur aliquod ens omninò abſolutum.* Deus *ipſe connotat creaturas, vt* Creator, *&* Omnipotens *eſt. In alio ergo ſenſu accipienda ſunt omnia connotatiua, vt diuerſa ab abſolutis,* logicè *ſcilicet, &* grammaticaliter, *ideſt, quod ſint talia nomina, quæ non habeant completam ſignificationem, niſi vel de altero prædicentur, vel alteri affigantur. Talia ſunt omnia nomina adiectiua : nam* albus *v. g. requirit alium terminum, vt habeat completam ſignificationem. Secundò ex his haberi manifeſtum diſcrimen inter nomina poſita in argumento, & connotatiua propriè dicta, ſeu logica, quod prima non prædicentur in recto de termino, quem connotant: non enim dicitur filius eſt Pater, neq; materia eſt forma, nec cœna*

 eſt.

eſt tempus veſpertinū: connotatiua verò dicū-tur in recto de termino, cū quo habent comple-tā ſignificationem. v.g. Paries eſt albus & bre-uiter terminus connotatiuus *ex modo ſigni-ficandi quātus quantus eſt, totus, eſt per modū adiacentis, & importat alium terminum, quod habet ex eo præcisè quod eſt nomen adiectiuū. & ſit à pueris dum inflectuntur nomina la-tina adiectiua, ſemper in lingua propria po-nitur ſubſtantiuum v.g.* bonus, bona, bonum. l'huomo, la dōna, e la coſa buona. *cum autem inflectitur nomē* Pater, *v.g. non dicitur Italicè* il padre del figlio: *ſed abſolutè* il Padre. *quod dicimus de adiectiuis, intelligendum, ſi acci-piantur* adiectiuè; *nam ſi accipiantur* ſubſtā-tiuè *neutrius generis erunt abſoluta v g* albū, *ſignificat enim per modum per ſe ſtantis.*

16 *Notandum tertiò, omnia* concreta con-notatiua *eſſe aliquo modo compoſita ex ſubie-cto & aliqua forma. Vbi nota nomine ſubie-cti intelligi id, quod ſubijcitur alteri, vt paries eſt ſubiectum albedinis, & ſi verè ſubijciatur, ſuſtentando illud, dicitur* ſubiectum inhæ-ſionis, *quia illud aliud inhæret ipſi, vt albe-do inhæret parieti. ſi verò nō ſuſtentet, ſed alio modo afficiatur ab illo, dicitur ſubiectum deno-minationis, v.g.* paries cognitus, *ly* paries *eſt* ſubiectū denominationis *reſpectu cognitionis, à qua denominatur cognitus. aliquando dici-tur* ſubiectum denominationis. *quia non di-ſtinguitur realiter à re denominante, ſed ex noſtro modo concipiendi, vt cum dicimus* Deus *vt denominatur à Deitate, eſt ſubiectū illius, vbi non diſtinguitur realiter Deus à Deitate,*

Eſt

Eſt autem ſubiectum aliquid indifferens ad recipiendas diuerſas formas; & ideo dicitur etiam materia, *quia ſicut lignum v g eſt materia, quatenus eſt indifferens, & poteſt recipere diuerſas formas, & figuras, ſcilicet ſella, ſcamni, &c. ita ſubiectū propter talem indifferentiã dicitur etiam materia. Nomine vero* formæ *intelligitur id, quod recipitur in ſubiecto & dicitur* forma; *quia cū forma ſit pulchritudo, hinc illud ens à quo ſubiectū habet determinationē ſeu pulchritudinem ſuam, dicetur* forma; *lignum enim rude accipit à figura ſellæ, v g ſuã pulchritudinem, & ideo talis figura dicitur* forma *ligni* forma *porro duplex eſt. altera* eſſentialis, *altera* accidentalis. *prima eſt qua dat eſſe rei, vt anima dat eſſe homini. alia* accidentalis, *vt albedo in pariete, & dicitur* accidentalis. *quia ſine albedine adhuc paries haberet ſuam eſſentiam. item forma, altera eſt* phyſica, *vt anima, quæ realiter diſtinguitur à materia altera* metaphyſica, *quæ ſolum ex noſtro modo concipiendi à ſubiecto diſtinguitur, ſic eſt rationale reſpectu animalis in homine in quo non diſtinguũtur realiter; animal tamen habet rationē ſubiecti & materiæ, quia concipitur vt quid indifferens, vt coniungatur cū rationalitate & irrationalitate. rationalitas verò erit forma determinãs animal ad eſſe hominis: nomine etiam forma poteſt intelligi eſſentia reſpectu ſuppoſiti, quod habet rationem ſubiecti, ſic homo eſt compoſitus ex natura humana, quæ habet rationem formæ, & ſuppoſito ſeu ſubſiſtentia, quæ dicitur terminus naturæ, à quo habet vt*

ſtet

ſtet per ſe. Rurſus illud habere rationem formæ, quod exprimitur per nomen v.g. in his concretis, Pater; *forma erit* paternitas, *in ly*, homo, *forma erit* humanitas, *in ly*, album, *forma erit* albedo. *Quæri autem ſolet tam in concretis, quàm in connotatiuis, cum in vtriſq; importetur, forma, & ſubiectum, ſeu ſuppoſitum, quid importetur principalius; forma ne, an ſubiectum? De hac re legite Sot. lib 1. ſumm. cap. 7. lect. vnic. notab. 2. Pro ſolutione, Sciendum ex dicendis, termino conuenire hac duo;* ſignificare, *&* ſupponere: Significare *autem ex dictis eſt facere venire in cognitionem rei*: Supponere *verò eſt poni pro re ſignificata, licet nõ ſit neceſſe, vt pro omni eo, quod ſignificat, ſupponat, vt infra dicemus de ſuppoſitione. Hoc poſito; dici poſſet huiuſmodi concreta ſignificare principalius formam, eò quod forma importetur de formali; ſubiectum verò de materiali: de formali autem illud importari dicitur, per quod vnum diſtinguitur ab alio. v. g.* album *de formali importat albedinem, quia per hanc differt hoc concretum à* nigro, *& alijs huiuſmodi. Supponere verò pro ſubiecto, eò quod pro illo nomen ſupponat, quod importatur in recto, ideſt ſi reſoluatur illud nomen importetur in nominatiuo. v. g. ſi reſoluatur hoc nomen* album, (*quod fit per participiũ habens*, & *formam talis concreti in accuſatiuo*) *erit idem ac habens albedinem; vbi vides, ſubiectum; quod eſt ly*, habens, *importari in recto, hoc eſt in nominatiuo, albedinem verò quæ eſt forma, in obliquo, ideſt in accuſatiuo. Atque ita talia nomina ſupponere pro ſubiecto,*

cto, & conſignificare formam. Quod inde rurſus colligitur, quia in propoſitione, per quam affirmatur identitas prædicati cum ſubiecto, ideſt, quod idem ſit prædicatum, & ſubiectum, ſi huiuſmodi concreta, v. g. albus, *ſupponerent pro forma, ſenſus huius propoſitionis*, paries eſt albus, *talis eſſet*, paries eſt albedo; *quia cum eo ſubiectum habet identitatem, quod ex parte prædicati importatur in recto; illud autē importatur in recto, pro quo nomen ſupponit: ergo, ſi nomen album ſupponeret pro albedine, importaretur in recto, & denotaretur eſſe idē cum ſubiecto. Rurſus in concreto eſſentiali, in quo etiam valet regula, ſi, ly*, homo, *v. g. ſupponeret pro natura humana, quam importare diximus vt formam; ſenſus huius propoſitionis*, Deus eſt homo, *talis eſſet*. Deus eſt humanitas, *qui ſane falſus eſt, & ſolum vera eſt hæc propoſitio*, Deus eſt homo *quatenus ly*, homo, *ſupponit pro ſuppoſito, ideſt verbo, quod eſt idem, ac illud, pro quo ſupponit Deus.*

17 *Collige vlterius pro nominibus concretis. Primò illa eſſe duplicis generis. Alia eſſentialia, alia accidentalia. Primi generis ſunt illa, quæ conſtant partibus conſtituentibus primum ens intentum à natura: quale ſolum eſt ſubſtantia: v. g. concretū*, homo, *conflatum ex ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſito, & natura humana. Secunda adhuc ſunt duplicis generis; alia ſubſtātiua, alia adiectiua. Primi generis ſunt* Pater, Magiſter, *&c. conflata ex ſuppoſito humano, &c. relatione paternitatis, magiſterij, &c. ſecunda adhuc ſunt duplicis generis: alia acci-*

accidentalia ſolum ex modo ſignificandi, cæterum ſunt ſubſtantia, ſeu ſubſtantialia v.g. rationalis, *quod adiectiuum ſequitur naturam concreti accidentalis, eò quod ſignificet rationalitatem per modum adiacentis; alia verò ſunt accidentalia propriè, quæ important pro forma accidens; & hæc quoque ſunt duplicis generis; alia extrinſeca, alia intrinſeca. Extrinſeca rurſus alia nulli omnino ſunt intrinſeca, vt v.g.* Diues *; diuitiæ enim, à quibus denominatur diues, in nullo propriè inhærent. Alia verò ita ſunt extrinſeca, vt importent formam intrinſecè inhærentem alteri: v. g.* cognitum *denominatur à cognitione, quæ eſt intrinſeca cognoſcenti, & extrinſeca obiecto cognito. Cætera verò omnia ſunt connotatiua, ſeu adiectiua accidentalia intrinſeca: v.g.* calidum, album, *&c. omnia verò concreta habent hoc commune ex dictis, vt importent aliquid de materiali, & aliquid de formali: ſed concreta ſubſtantialia important de materiali ſuppoſitum, de formali naturam, concreta verò accidentalia important duo de materiali, naturã ſcilicet ſubſtantialem, & ſuppoſitum, vtrumque vt ſubiectum; ſed naturam, vt ſubiectum immediatum, eò quod formã accidentalis, quam dicũt de formali inhæreat immediatè in natura, quæ propterea dicitur etiam ſubiectum inhæſionis; ſuppoſitum verò vt Subiectũ mediatum, ſeu denominationis; eſt enim commune pluribus formis habere duo ſubiecta cum iſto ordine, vt ſæpe docui in Philoſophia. Dicitur autem hoc vltimum ſubiectum denominationis; eò quod* homo *v.g. denominetur* calidus; homo *autem ex dictis ſupponit pro ſuppoſito, licet* calor *non inhæreat in ſuppoſito; ſed in natura, in materia ſcilicet hominis; ſubiectum autem denominationis dicitur etiam ipſũ*

con-

concretum quod denominatur à forma; vt calidum dicitur ſubiectum denominationis, ideſt quod denominatur calidum. *Demum concretum quodlibet aliud eſt* phyſicum, *aliud* metaphyſicum, *Phyſicum eſt quod conſtat ex partibus ſeparabilibus*; *v.g.* album: *albedo enim poteſt ſeparari à ſubiecto*. *Metaphyſicum verò, quod conſtat ex partibus ſeparabilibus ſolum per intellectum; v.g.* homo, *prout conflatus ex animali, & rationali, dicitur concretum metaphyſicum, quia rationale non poteſt ſeparari ab animali, niſi ſolum per intellectum.*

18 *Aduerte autem; quando diximus concretum quodlibet importare vnum in recto, ideſt in nominatiuo: alterum in obliquo, ideſt in alio caſu; nomine obliqui intelligi rē qua ſolum requiratur vt ſit ſimul cum illa, pro qua nomen ſupponit. Nomine verò recti intelligi rem ipſam, pro qua nomen ſupponit. v.g.* album *eſt* concretū, *dicens ſubiectum in recto, albedinem in obliquo; quare albedinem importari in obliquo eſt albedinem eſſe ſimul cum ſubiecto pro quo ſubiecto ſupponit, & accipitur hoc nomē,* album: *Deſumitur ſignificatio ex ipſis nominibus* recti, & obliqui: *nam* rectū *eſt, quod ſtat per ſe,* obliquū *verò quod flectitur verſus rectum. Quare cum quaritur; ſit ne à parte rei* rectū, & obliquū? *Reſpondetur: eſſe fundamentaliter, non formaliter, ideſt eſſe duas res ita ſe habentes, vt dent fundamentum intellectui concipiendi alteram in recto, alteram in obliquo: fundamentum autem eſt hoc, quod vna ex illis habeat peculiarem rationem, vt nomen ſupponat pro ipſa; ita vt habeat annexam aliam: v.g. hoc nomen* Albus, *quod diximus importare in recto ſubiectum, in obliquo albedinem; fundamentum cur ſubiectum*

v.g.

v. g. paries ſit rectum, eſt, quia cum illud ſit ſubſtantia, forma verò accidens; eſt ratio cur nomen accipiatur pro ipſo: ita tamen, vt ſimul habeat albedinem. Indicium verò generale ad dignoſcendum, quid, concretum importet in recto, quid in obliquo, eſt; quia reſoluendo concretum, neceſſariò vna pars erit habens, altera habita: & habens erit rectum, habita obliquum: v.g. homo *reſoluitur in ſuppoſitum habens humanitatem, & ſic ſuppoſitum erit rectum, humanitas obliquum. Nec obſtat quod ſubſiſtentia ſit modus, natura ſit res, & ſubſiſtentia recipiatur in natura, & ſic natura potius ſit habēs, quàm habita; nā cum ſubſiſtentia ſit vltimus terminus naturæ, eique tribuantur omnes operationes, conſequenter nomen ſupponit pro ſuppoſito; ideſt pro termino naturæ, ratione cuius habet, vt non communicetur alteri, vt poſſit operari, &c.*

19 *Demum aduerte;* concretū *poſſe accipi ſpecificatiuè, & reduplicatiuè, & ſpecificatiuè quidē, cum ſupponit pro ſubiecto tantum, conſignificādo formā in obliquo modo explicato; reduplicatiuè verò, cum forma etiam accipitur in recto, & nomen ſupponit pro vtroque, & ſolent addi huiuſmodi particulæ,* Quatenus, Inquantum, vt, Prout. *&c. v.g.* album vt album, Pater quatenus pater, Homo inquantum homo, *&c. Et tunc explicatur & reſoluitur concretum per particulam coniunctiuam, Et v.g.* homo vt homo, eſt ſuppoſitum, & humanitas. *Indicium autem, quod* concretum *ſumatur reduplicatiuè, illud eſt; quia non poteſt taliter acceptum prædicari de ſubiecto v.g. hæc propoſitio.* paries eſt album vt album, *eſt falſa: quia ſenſus eſt* paries eſt, id quod habet albedinem, & albedo ipſa; *cum enim debeat eſſe identitas inter rectū ſubie-*

ſubiecti, & rectum prædicati, & albedo importetur in recto ex dictis, denotaretur quod idem eſſet paries, ac ſubiectum, & albedo. Supponit ergo concretum reduplicatiuè acceptum, etiam pro forma, vt vides, & cum accipitur hoc modo ſe habet vt concretum eſſentiale; ſumuntur enim partes illius concreti eo modo, quo ſe habent materia, & forma ſubſtantialis in ordine ad conſtituendam vnam eſſentiam, qua eſſentia ſupponit pro vtraque in recto; quare concretum accidentale, vel acceptum reduplicatiuè, vel vt totum eſt, ſemper ſupponit eſſentialiter, & importat in recto vtramque partem; idem vero acceptum ſpecificatiuè, ſupponit pro ſubiecto ſolum in recto, conſignificante tamen ſemper formã; & dicitur accipi, ſeu ſupponere denominatiuè, ſeu accidentaliter. Aduertendũ hic etiã hoc nomẽ concretũ importare vtrãq. partẽ in recto. vt etiam hoc nomen totum, compoſitum, & ſimilia; quare non poſſunt affirmari de eo, quod eſt concretũ ſpecificatiuè acceptum. v.g. de albo dicendo album eſt concretum, & ſi admittitur hæc propoſitio, eſt propter ſenſum reduplicatiuum, quem facit ly album in tali propoſitione; quod inde habetur; quia concreta ſpecificatiuè accepta poſſunt prædicari de ſolo ſubiecto, pro quo ſupponit concretum ſpecificatiuè acceptum, dicendo paries eſt album, ideſt paries eſt habens albedinem, non autem poteſt dici, parie eſt concretum, ſeu totum &c. Atque hæc breuiter innuiſſe de concretis ſit ſatis. alibi alia.

10 Hac occaſione examinantur aliqua de nomine. Primum an abſtractũ, & concretum ſpecie differant, Reſpondetur cum diſtinctione. Si concretum accipiatur concretiuè: ſeu vt totum, ideſt vt importans ſubiectum, & formam in recto; abſtractum

verò

verò importet ſolum formam, certum eſt ſpecie differre; quia concretum plus dicit quàm abſtractum: v.g. plus dicit albũ quàm albedo. Si verò abſtractũ dicat omninò idẽ, ac concretum, quemadmodum in Diuinis dicimus abſtractum prædicari de concreto: v.g Deus eſt bonitas; *tunc adhuc exiſtimo differre ſpecie quidem Logica, non phyſica, ideſt penes diuerſum modum ſignificandi non penes realitatem: modus autẽ ſignificandi diuerſus in concretis quidẽ adiectiuis patet; quia eſt per modũ adiacentis, & ſẽper requirit alium terminum, cum quo habeat completam ſignificationem ex dictis: in concretis verò ſubſtantiuis: licet non requiratur alius terminus ad habendam completam ſignificationem, tamen adhuc important formam, vt adiacentem ſubiecto. Abſtractum verò ſe habet per modum per ſe ſtantis: v g.* albedo, *concipitur non vt afficiens actu ſubiectum, ſed per ſe ſtans.*

21 *Difficultas rurſus eſt de nomine adiectiuo neutrius generis ſumpto ſubſtantiuè, an differat ſpecie à ſe ipſo ſumpto adiectiuè? cui reſpondeo; idem nomen adiectiuum neutrius generis ſumptum ſubſtantiuè differre ſpecie logica à ſe ipſo ſumpto adiectiuè propter diuerſum modum ſignificandi modo explicato.*

22 *Secundo quæri poteſt, an caſus rectus differat ab obliquo, & obliqui inter ſe? Legat de hac re qui velit Conimbr. 1. periherm. cap. 4. q. 2. art. 3.*

23 *Reſpondeo breuiter primo. Grammaticaliter certum eſſe ſpecie differre, quia habet diuerſam conſtructionem. Secundo philoſophicè loquendo aliquando differre, aliquando non; prout ſcilicet aliquando formantur diuerſi conceptus, aliquando non, de eodem nomine ſumpto in obliquo, & in recto. Nam ſi*

dicam

dicam, hic liber eſt Sotus, & hic liber eſt Soti, certum eſt, Sotus; & Soti, hic differre ſpecie, quia faciunt diuerſum ſenſum, vt vides. Si autem dicam, ego amo te, tu amaris à me, non different. Diuerſi caſus obliqui, nec differunt, quando faciunt eundem ſenſum; v. g. veſcor carnibus, & veſcor carnes, Atque hæc de his diuiſionibus.

Appendix III. gen.

22 Colligitur (& eſt radix ſolutionum multarum difficultatum in Philoſophia, & Theologia) ſi ponerentur tres albedines. v. g. in vno ſubiecto, nō futura tria alba, vt de facto non ſunt plures patres, in ſententia eorũ, qui volunt, quod idē homo haberet plures paternitates reſpectu plurium filiorum; nam non multiplicatur id pro quo ſupponunt, & importatur in recto in his concretis, album, & pater. Rurſus ſi poneretur eadem albedo in tribus ſubiectis, futura tria alba propter oppoſitam rationem, quia multiplicantur ſubiecta, pro quibus ſupponunt talia concreta accidentalia. De concretis autem eſſentialibus eſt difficultas; nam communiter dicunt, ſi poneretur eadē humanitas in tribus perſonis, non futuros tres homines, eò, quod eadem eſſentia Diuina ſit in tribus perſonis, & tamē non ſunt tres Dij, in quo eſt eadē paritas de natura humana: vt expreſsè habet S. Thom. 3. par. q. 3. ar. 7. ad ſecundum. Si duæ, inquit, perſonæ Diuinæ aſſumerent vnam naturam, humanam, dicerentur vnus homo. Et ratio eſt, quam affert ibi Caietanus, quia licet ad multiplicationem concretorum ſubſtantiuorum requiratur pluralitas ſuppoſitorum, tamen non ſufficit, ſed requiritur etiam pluralitas formarum, & hoc ex natura nomi-

nominis ſubſtantiui, vt mox conſtabit. Pro qua re ma- gis explicanda.

23 *Notandum. Certum videri non ſufficere ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium ſubſtantiuorum ſolam multiplicationem ſuppoſitorũ propter argumentum ſupra factum quod non ſint tres Dij, etiã ſi ſint tres perſonæ habentes vnam naturam Diuinam. Pro qua re ſciendum ex Ariſt. lib. 7. Metaph. cap. 1. tex. 2. per hoc differre ſubſtantiam ab accidente; quod ſubſtantia ſit primum ens intentum à natura; accidens verò ſit ens in ordine ad aliud, id eſt ad ſubſtantiam: ſubſtantia autem, vt benè notat S. Thom. 3. par. q. 2. ar. 6. ad 3. ex Ariſt. 5. Metaph: dupliciter accipitur; vno modo pro eſſentia ſiue natura, alio modo pro ſuppoſito; & vtroque modo accepta ſubſtãtiæ conuenit ſignum demonſtratiuum,* Hoc, *& ſemper ſubſtantia vno modo accepta includitur in alia; ita vt illa, quæ exprimitur, accipiatur determinatè, illa verò, quæ includitur, ſolum diſiunctim: v g. dum dico,* hic homo, *ly,* hic. *appellat naturam humanam determinatè, ſuppoſitum verò appellat diſiunctim; & ſenſus eſt,* aliquod ſuppoſitum habens hanc naturam humanam, *Cum verò dicitur,* hæc perſona, *ly* hæc *appellat ſuppoſitum determinatè, naturam verò indeterminatè: & ſenſus eſt,* hæc perſona habens aliquam naturam intellectualem. *Quomodocumque verò dicatur, ſemper tenendum, quod diximus, huiuſmodi concreta ſupponere pro ſuppoſito in recto, pro natura verò in obliquo. Concreta vero accidentalia hoc non habere, & ſemper ſignum demonſtratiuum,* Hoc, *cadere ſupra ſubiectum, ſeu ſuppoſitum; & idem dicendum de quibuſcumq; adiectiuis.*

24 *Diſcrimen autem inter concretum acciden-*

tale, ſeu quodcunque adiectiuum, ac ſubſtantiuum innuit S. Thom, 1. par. q. 39. ar. 3. corp. Cuius ratio eſt, *inquit*, quia nomina ſubſtātiua ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ; nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modū accidentis, quod inhæret ſubiecto. Subſtantia autem ſicut per ſe habet eſſe ita per ſe habet vnitatem, vel multitudinem: vnde, & ſingularitas, vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecundum formā ſignificatā per nomē. Accidētia autē ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem & multitudinem. *Et paulo poſt*. In Diuinis, inquit, eſſentia ſignificatur per modū formę, quæ quidem ſimplex eſt, & maximè vna: vnde nomina ſignificantia Diuinam eſſentiam ſubſtantiuè ſingulariter, & non pluraliter de tribus perſonis prædicantur, & ſic Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum non dicimus tres Deos, ſed vnum Deum, quia in tribus perſonis eſt vna Diuina eſſentia. *Ex quo infert Caietanus 3. par. loco citato*. Propterea, inquit, licet vnitas ſuppoſiti optimè inferat ſingularitatem concreti ſubſtantiui, quale eſt ly, homo, non tamen multitudo ſuppoſitorum infert pluralitatem nominis ſubſtantiui: & proterea non ſequitur; ergo tres perſonæ ſunt Dij. *Ex his ſumitur manifeſtum diſcrimen inter nomina ſubſtantiua ſubſtantialia, & reliqua omnia adiectiua ſiue ſubſtantialia, ſiue accidentalia, & ſubſtantiua accidentalia. Quod cum ex dictis ex Ariſt. tam ſuppoſitum, quàm eſſentia ſint ſubſtantia, & ſubſtantia ſit primum ens à natura intentum; conſequenter nomina ſubſtantiua ſignificantia*

tia

a naturam v. g. homo, important illam vt formam quidem ex dictis, non tamen vt aduenientem; ſed primariò conſtituentem ipſum primum ens, ſeu vt primariam eſſentiam eiuſdem, & ideò quando natura ſignificatur formaliter explicitè per aliquod nomen ſubſtantiuum, cum ſigno demõſtrati. uo; tale ſignum cadit ſupra naturã modo explicato, ideſt ſignificat hanc determinatam naturam & ſuppoſitum importatur vagè: Quare hic homo, v. g. ſignificat aliquod ſuppoſitum vagè habens hanc naturã; Vnde infertur, quòd ſi eſſent plura ſuppoſita habentia eãdẽ naturã, non eſſent plures homines, vt ſupra diximus. E contra verò concreta accidentalia cũ ſignificent formã accidẽtalem, de cuius ratione eſt, vt ſit ens in alio, ſeu alteri aduenièns, præſupponunt ſubiectum tamquam hoc aliquid conſtitutum in eſſe; quod demonſtrari poſſit determinatè: ideo cum habent ſignum demonſtratiuum ſupponunt determinatè pro ſubiecto, ſupra quod cadit tale ſignum. Quare, hoc album, facit talem ſenſum, hoc ſubiectum habens aliquam albedinem. Colligitur hoc ex Ariſt. qui cap. de ſubſtantia definiens accidens, ait eſſe illud, quod eſt in alio, ſed non vt pars: quod ſanè fecit ad diſtinctionem naturæ ſubſtãtialis, quæ eſt in ſuppoſito tanquam pars cõſtitutiua totius, & formæ ſubſtantialis, quæ eſt in toto vt pars conſtitutiua illius, quod dicitur, aliud, cuius accidens non eſt pars: ſed ſupponit illud, quod eſt proprium accidentis, ſcilicet eſſe in alio, & non vt partem.

25 Scotus in primo diſt. 12. q. vnica §. iuxta quæſtionem iſtam, quam ſequuntur Scotiſtæ, & ex noſtris Molina par. 1. q. 36. ar. 4. diſp. 2. aliam rationem reddit cur nomina adiectiua non multiplicentur ad multiplicationem formæ per tale nomen ſigni-

gnificata, ſed ſubiecti, ſeu ſuppoſiti: v. g. ſi poneretur vna albedo in tribus parietibus eſſent tria alba; quia ſaltẽ nomẽ numerale tria, eſt quoddã adiectiuum, vt eſt etiam album: nomen autem adiectiuum primo, & per ſe afficit ſubiectum, non alterum adiectiuum, & eidem tribuit effectum formalem numerandi, id eſt faciendi tria, non adiectiuo; cuius rei vlterior ratio eſt; quia adiectiuum habet rationem accidentis, accidens verò vt habet totum ſuum eſſe in ordine ad ſubiectum, ita illi tribuit effectum formalem; non autem vnum accidens tribuit effectum formalẽ alteri, niſi ſumatur ſubſtantiuè, & per modum ſubiecti; quo poſito adiectiuum numerale, tria, cum non afficiat alterum adiectiuum, ſcilicet album, ſed ſubiectum, & hoc ſit triplex; tria quoque erunt concreta, & alba; etiam ſi ſit vna albedo tantum in tribus ſubiectis. Hæc ſubtiliſſimus auctor: ex quo principio plura deducit in materia de Trinitate; quæ nos Theologis relinquimus; interim poſſumus tenere regulas traditas; & cum S. Thoma procedere.

26 Dices, Ex dictis videtur inferri è contra, ſi ponerentur tres humanitates in eodem ſuppoſito, futuros tres homines, quod cum alijs concedit Vaſquez 1. p. diſp. 155. cap. 4. eò quod diuerſa ſit ratio in concretis ſubſtantialibus, ac in accidentalibus; nam in ſubſtantialibus vnitas, ſeu multiplicitas concreti ſumitur à natura, in accidentalibus verò à ſubiecto. Quare ſi multiplicitas ſuppoſitorum propter vnicam naturam humanam non faceret plures homines; multiplicitas eiuſdem naturæ etiam cum vno ſuppoſito faceret plures homines; nam ex dictis, hic homo; ſonat aliquod ſuppoſitum habens hanc humanitatem; ergo ſi eſſent plures humanitates in vno

ſuppoſito, de qualibet dici poſſet; eſt aliquod ſuppoſitum habens hanc humanitatem: & ſic eſſent plures homines,

27 *Confirmatur ex S. Tho. citat. qui pluralitatem concretorum ſubſtantialium ſumit è pluralitate formarum.*

28 *Reſpōdetur tamē negando ſequelā; Tū primò, quia ſequeretur, quod Chriſtus Dominus eſſent duo viuentes contra id, quod habetur in ſymbolo Athanaſij:* Qui licet, *inquit,* Deus ſit & homo, nō duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. *Patet ſequela, quia ſi duæ humanitates cum vno ſuppoſito facerent duos homines: ergo duæ naturæ viuentes cum eodem ſuppoſito, facerent duo viuentia, legat qui velit Suar. qui hanc ſententiam ſequitur, & probat 3. p. to. 1. diſp. 13. ſect. 3. vbi multos citat pro prima ſententia, præſertim S. Tho. qui licet oppoſitum docuerit in 3. diſt. 1. q. 2. a. 5. tamen 3. p. q. 3. art. 7. retractauit, vt paulò poſt conſtabit. Tum ſecundò ex ſupradictis; quia ſicut* hic homo, *dicit aliquod ſuppoſitum & hanc naturam: ita,* plures homines *dicunt plura ſuppoſita, ſed indeterminatè; Ad hoc enim, vt aliqua ſint plura debent multiplicari illa, quæ importantur in recto in ipſis, & cum ſuppoſitum importetur in recto, licet vagè, ad hoc, vt ſint plures homines, ſimpliciter deberent eſſe plura ſuppoſita, per quæ diſtinguerentur, vt ſupra fusè oſtendi; ſcilicet omnia connotatiua, & concreta accidentalia non multiplicari ad multiplicationē formarū, ſed ſolum ſuppoſitorum, vt diximus de concretis, album pater &c. quā regulam Caietanus extendit etiam ad nomina ſubſtantiua concreta ſubſtantialia. Sic enim habet 3. p. q. 3. a. 7. §. ad hoc igitur.* Sed ponitur, *inquit,* vniuerſalis regula,

nega-

negatiuè, ſcilicet nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum. Et iſta regula eſt vera tam in concretis adiectiuis, quàm ſubſtantiuis, tam ſubſtantialibus, quàm accidentalibus: ita quod ſemper ad pluralitatem concretorũ exigitur pluralitas ſuppoſitorum: ſed cũ hoc ſtat quod pluralitas ſuppoſitorum non ſufficiat quandoque, & exigitur etiam pluralitas formæ ſignificatæ, vt de concretis ſubſtantiuis, *&c. Ratio autem eſſe poteſt, quia cum ſuppoſitum ſit terminus naturæ, per quod redditur incommunicabilis alteri: conſequenter non poſſunt eſſe plura concreta ſubſtantialia: v.g. plures homines, niſi eſſent plures rationes, per quas naturæ ſint incommunicabiles, & vnum negari poſſit de altero concreto in recto; v. g. vnus homo de altero homine: vt autem vnum negetur de altero in recto, requiritur, vt diſtinguatur etiam ſecundum id, quod dicit in recto ab eodem. Cum verò ſuppoſitum ſit quod importatur in recto in concretis; conſequenter, vt ſint plura concreta, requiritur pluralitas ſuppoſitorum.*

29 *Ad confirmationem ex S. Thom. reſpondeo ex Caietano, qui loco citato 1. parte proponit ſibi hãc obiectionem, & ſoluit.* Circa regulam quidem, *inquit,* dubium eſt; quia S. Thom. 3. p. q. 5. a. 7. ad ſecundum dicit, quod ſi verbum Dei aſſumeret duas naturas humanas, non diceretur duo homines, & tamen forma ſignificata nomine hominis plurificaretur. *Reſpondet autem ad primum dubium, inquit,* dicendum quod differentia inter adiectiuum, & ſubſtantiuum conſiſtit in hoc, quod pluralitas ſubſtantiui

exigit pluralitatem formæ, & pluralitatem ſuppoſiti: ad adiectiui vero pluralitatẽ ſufficit pluralitas ſuppoſitorũ; nec diminuta eſt propterea Auctoris doctrina, quoniam non oportuit hic exprimere, niſi id, in quo differt ſubſtantiuum cum adiectiuo. Comparanti enim ea facile apparet, quod conueniunt in pluralitate ſuppoſitorum, & differunt quo ad vnitatem, & pluralitatem formæ: vtriuſq. enim pluralitas requirit plura ſuppoſita, ſed adiectiui pluralitas non requirit pluralitatem formæ, ſubſtantiui verò ſic. Sat ergo fuit hoc in loco hanc expreſſiſſe differentiam de ſubſtantiuis concretis loquendo, vt differunt ab adiectiuis: nec tamen reticuit reliquam conditionem, quoniam ſuperius in q. 36. a. 4. ad ſecundum, eius meminit, & clariſſime eandem docuit in loco proprio 3. p. q. 3. a. 7. ad ſecundum, vbi reprehendit oppoſitam opinionem, quam ipſe ſecutus fuerat in 3. ſent. diſt. 1. q. 2. a. 5. *Hæc ille.*

30 *S. Thom. vero 1. p. 36. a. 4. in ſecundo argumento obijcit ſibi quod non poſſit Pater, & Filius eſſe vnum principium Spiritus ſancti hac ratione,* quia ſi propter vnam, *inquit*, proprietatem Pater, & Filius ſunt vnum principium: pari ratione propter duas proprietates Pater videretur eſſe duo principia Filij, & Spiritus ſancti. *Reſpondet autem ipſe ad ſecundum.* Non tamen, *inquit*, ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. *Hæc ille. Vbi Caietanus ita ſibi obijcit S. in reſponſione ad ſecundum*; quia, *inquit*, ſi regula

gula de plurificatione nominis ſubſtantiui penes pluralitatem formæ ſignificatæ vera eſt, voluntarium appareret excipere plurificationem principij in Patre. Conſtat enim formas ſignificatas eſſe plures, puta paternitatem, & ſpirationem. *Reſpondet autem ipſe ; ad hoc, inquit,* dicitur, quod aliud eſt loqui de nomine ſubſtantiuo, & aliud de ſubſtantiuo concreto. *Et ſubdit,* ſubſtantiuum concretum, quia ſubſtantiuũ, exigit pluralitatem formæ, quia concretum, exigit pluralitatem ſuppoſitorum: & ſic cum principium ſit ſubſtantiuum concretum, optimè in littera dicitur, quod implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. *Quod clariſſimè de duabus naturis in vno ſuppoſito expreſſit loco ſupra citato S. Thom. 3. p. q. 3. a. 7.* ad ſecundum, *inquit*, poſſet videri dicendum quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque eo quod eſſent ibi duo ſuppoſita *&c. pergit autem reſpondere obiectioni, in qua ponebatur vna perſona aſſumpſiſſe duas naturas humanas,* ſed hoc non videtur, *inquit*, eſſe verum, quia nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum, & ideò ſi perſona Diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo habens duas naturas humanas, *quod fusè explicat Caietanus ibidem in ſenſu ſupradicto, Et ſic patet ad confirmationem ſumptam ex S. Thom.*

31 *Demum pro pleniore intelligentia huius, & ſimilium difficultatum. Sciendum ly,* Hic Deus, *habere duplicem ſuppoſitionem, alteram ſingularem ratione eſſentiæ; alterã communem ratione perſona-*

rum ; & cum ſupponit primo modo, ſupponere ſicut, Hic homo, *in ſenſu ſupra explicato. Cum autem ſupponit communiter ſe habere ſicut ſe habet* homo *in communi ex materia de vniuerſalibus. Et quemadmodum* homo *in communi ſignificat naturam communem omnibus hominibus;ita* hic Deus *ſignificat naturam communem tribus perſonis. Rurſus ſicut* homo *in cõmuni ſunt multa indiuidua, ſeu ſuppoſita habentia humanitatē:ita* hic Deus *ſupponens communiter dicuntur tria ſuppoſita, ſeu dicitur* trinus. *Non autem hinc ſequitur quod de ſingulis perſonis poſsit dici quod ſit* trinus, *ſicut dicitur de* hoc Deo *ſupponente communiter, qua ratione de ſingulis hominibus non dicitur quod ſint multi homines, ſicut dicitur de homine in communi. Differt autem* hic Deus, *ſupponēs cõmuniter ab homine etiā ſupponēte cõmuniter.quia cū multiplicetur etiam natura humana in pluribus ſuppoſitis, poſſunt dici plures homines ; cum autem non multiplicetur natura Diuina in pluribus ſuppoſitis,non poſſunt dici plures Dij, Origo autē æquiuocationis eſt in hoc termino,* hic Deus, *quia habet duplicem ſuppoſitionem ex dictis: & licet ſit terminus ſingularis, ſubit rationem termini communis. Vnde infertur, hanc propoſitionē eſſe falſam.* hic Deus non eſt pater, *quia cum propoſitio negatiua indefinita faciat ſenſum vniuerſalem, &* hic Deus *ex dictis habeat ſuppoſitionem etiam communem, videretur dici quod* nulla perſona eſſet pater, *& ideò abſolutè eſt falſa. Infertur demum ſi tres perſonæ creatæ haberent vnam naturam humanam, de ijs poſſe dici* eſt vnus, & idem homo; *non tamen inde ſequi illas perſonas futuras idem inter ſe : nam cum ly,* hic homo, *non dicat ſuppoſitum determinatè, ſed cum diſiunctione hoc, vel illud,*

non

non bene dicitur futuras illas perſonas idem inter ſe; ſicut non benè dicitur; Petrus eſt aliquis homo, & Paulus eſt aliquis homo; ergo Petrus, & Paulus ſunt idem inter ſe; *quia cum prædicatum ſit indeterminatum, non ſumitur pro eodem omnino, & ſicut non ſunt idē ſuppoſitum, neque poſſunt dici idem inter ſe. Atque hæc obiter dicta ſunt pro penetranda natura termini concreti. videat qui velit hāc difficultatem apud Io. de Lugo diſp. 13. de Incarnatione, qui acutè, & diſtinctè illam examinat, ex quo aliqua huc tranſtulimus.*

CAPVT QVINTVM.
De Terminis in quinque claſſes diſtributis. ſeu De prædicabilibus.

Appendix I. gen.

1 Q*Voniam termini inſeruiunt propoſitionibus in quibus vnus prædicatur de alio; videndum, quot modis fiat recta* Prædicatio; Prædicatio *ergo alia eſt* naturalis, *alia eſt* innaturalis, *alia quaſi* præter naturalis, & irregularis, *omnes autem conuenire debent in eo, vt prædicatū conueniat ſubiecto, quia ex dictis* Prædicatio *importat identitatem inter rectum prædicati & ſubiecti.* Prædicatio naturalis *eſt, qua vnus terminus magis latè patens prædicatur de alio minus latè patente, vg.* homo eſt animal, *eſt prædicatio naturalis, quia* ànimal, *magis latè patet, quam* homo: prædicatio innaturalis *eſt, qua terminus minus latè patēs prædicatur de magis late patente; vt* animal eſt homo. Prædicatio irregularis, ſeu præternaturalis *eſt, in qua, vel æquale prædicatur de æquali, vt* homo

eſt rationalis, *vel idem prædicatur de eodem, ſub diuerſis formis. v.g.* album eſt dulce; *& ſenſus eſt ſubiectum habẽs albedinem eſt ſubiectum habens dulcedinem. Relictis aliјs prædicationibus ſolũ de naturali agimus. Quoniã* prædicatio *naturalis requirit, vt prædicatũ magis latè pateat, quam ſubiectum; conſequenter prædicatum debet eſſe terminus vniuerſalis, & ideò tradenda eſt notio* termini vniuerſalis, *de quo ſupra.* Vniuerſale *autem eſt, quod prædicatur de pluribus vniuocè modo dicto.*

2 *Quinque autem ſunt vniuerſalia*, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

3 Genus eſt quod prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie in quid: *& ſenſus eſt Genus eſt talis terminus, qui conuenit multis rebus, quæ differunt ſpecie inter ſe. ſic* animal *v.g. eſt* genus *reſpectu hominis, & equi, quia* homo *&* equus, *differunt ſpecie.* ſpecies *autem hic eſt idem ac natura & eſſentia rei.*

4 Species eſt, quæ prędicatur de pluribus differentibus numero in quid, *vt* homo *prædicatur de Petro & Paulo, qui differunt ſolum numero, eo quod ſecundum eſſentiã, & naturam hominis cõueniant; hæc eſt definitio ſpeciei infimæ; nam datur etiam* ſpecies ſubalterna, *quæ habet rationem ſpeciei reſpectu ſuperioris. Generis vero reſpectu inferioris vt* animal *v.g. quod eſt ſpecies reſpectu* viuentis, *quia cõſtat ex genere, ſcilicet gradu viuẽtis & gradu ſenſitiui pro differẽtia. eſt autẽ* animal *genus reſpectu hominis, equi, &c. quia illud eſt genus quod habet ſpecies ſub ſe,* homo *autẽ, &* equus *ſunt ſpecies animalis ex dictis.* Genus generaliſsimũ *eſt ſolũ genus, & nullo modo ſpecies, vt ſubſtantia v. g. quæ non habet aliud ſupra ſe,* ſpecies *vero* ſpecialiſſi-

ma,

ma, *eſt ſolum ſpecies, quia non habet alias ſpecies infra ſe, vt* homo *v.g.*

5 Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quale quid. *duplex autem eſt munus differentiæ; alterum diuidere genus, v.g.* rationalis, *&* inrationalis *differētiæ* animalis *diuidunt* animal, *ideſt limitant vniuerſalitatem illam, & differentiam, quã habet* animal; *alterum munus eſt, conſtituere ſpeciem modo ſupra dicto, cum ex* rationali, *&* animali *conſtituatur tota eſſentia hominis, qui dicitur* ſpecies.

6 *Sub ſpecie ſunt indiuidua, quæ differunt quidē, ſed non eſſentialiter, & continentur intra eandem ſpeciem. vt Petrus. Paulus in ſpecie hominis.*

7 *Ex* Genere, Specie, Differentia *conſtituitur hæc*

TABVLA.

	Subſtantia	
Materialis		Spiritualis
	Corpus	
Vegetabile		Non vegetabile.
	Viuens	
Senſitiuum		Inſenſitiuum
	Animal	
Rationale		Irrationale
	Homo	
Hic		Ille
	Petrus.	

8 *In hac tabula vides quomodo ex genere & differentia conſtituatur* ſpecies, *quomodo aliquæ ſint* genera, & ſpecies *ſubalterna, quomodo pri-*

mum ſit genus generaliſsimum, vltimum ſcilicet Homo *ſpecies ſpecialiſſima &c.*

9 Proprium eſt quod conuenit omni, ſoli, & ſemper *v.g.* riſibile *reſpectu hominis, quod conuenit omnibus, & ſingulis, & ſolis hominibus, & non alijs, conuenit etiam* ſemper, *quia nunquam homo deſinit eſſe riſibilis, etiam ſi non ſemper rideat.*

10 Accidens eſt quod poteſt adeſſe, & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem, *& ſenſus eſt, accidens eſſe tale ens, quod ſiue ſit, ſiue non ſit, nō tollitur, neque deſtruitur ſubiectum, in quo eſt. v. g.* calor *eſt accidens meæ manus, quia ſemper eſt eadem manus, ſiue ſit calor, ſiue non ſit.*

11 *Diuiſio horum prædicabilium oritur à diuerſis quæſitis, quæ fieri poſſunt pro dignoſcēda aliqua re. Primo enim quæri poteſt,* quid ſit; *per quod quæſitum inueſtigatur eſſentia rei, & ad hoc reſpondetur per* genus, *&* ſpeciem. *per* genus *quidē tanquam per partem eſſentialem, ſed quia continet ſpecies, ſe habet per modum totius poteſtatiui continentis ipſas ſpecies, v.g.* quid eſt homo? eſt animal: *per* ſpeciem *vero reſpondetur, tanquam per totā eſſentiam: v.g.* quid eſt Petrus? eſt homo, *ly enim* Homo, *eſt tota eſſentia Petri, quia Petrus, & Paulus non differunt ſecundum eſſentiam hominis, ſed per differentias ſolum indiuiduales, quas, quia non variant eſſentiam, vocant materiales. Secundo quæri poteſt qualis ſit res, & quia tripliciter qualificatur res; vel* eſſentialiter; *& ſic reſpondetur per differentiam eſſentialem. vnde eius quæſitum non eſt abſolutè* quale, *ſed* quale quid ſit res, *v.g.* homo, *& reſpondetur per differentiā eſſentialem, ſcilicet, eſt* rationalis. *vel quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter; *& tunc, vel quæritur de prædicato acci-*

accidentali, quod ſoli & ſemper conueniat ſubiecto, & reſpondetur per proprium *v.g.* qualis eſt homo; vt differt ab omni alio, quod non eſt homo? *& reſpondetur per* proprium, eſt riſibilis. *vel demum quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter *aliquid per accidentia communia. & reſpondetur per* accidens *v.g.* qualis eſt homo, *& reſpondetur.* calidus, frigidus &c. *Hæc innuiſſe ſit ſatis.*

CAPVT SEXTVM.

De Prædicamentis.

Appendix. I. Gen.

1 C*Apite præcedenti tradita ſunt quinque prædicabilia reſpondentia quinque quæſitis, quæ poſſunt fieri de aliqua re. Hoc capite traditur materia propoſitionum, ſeu termini accepti pro rebus, pro quibus ſupponunt, & quia logica vt inſtrumentum omnium ſcientiarum complectitur res omnes, & omnia numerare & complecti non poſſit ſingillatim; diuiſit in decem ſumma genera, quatenus nullum ſit ens, quod ad aliquod ex his reduci non poſſit, & dicuntur* Prædicamenta.

2 Prædicamentum *porro (Græce, κατηγορία)* eſt alicuius generis ſummi, realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio, *id eſt, eſt diuiſio generis ſupremi in alia genera, & ſpecies ſubalternas, & ſpecierum ſubalternarum in infimas, vt vides in Tabula Subſtantiæ, quæ eſt primum, & vnũ ex decem prædicamẽtis. dicitur* generis realis, *quia*

res, quæ ponuntur in prædicamentis debent eſſe reales. Reale autē vocatur quod eſt independenter ab operatione intellectus: vnde in hoc ſenſu ipſamet operatio intellectus, quia eſt, & non per hoc quod obijciatur intellectui, eſt quid reale; ens vero rationis nullum aliud habet eſſe, quam illud obijci, ſeu cognoſci ab intellectu; & ſic dicitur eſſe illud, quod habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu; cognitio vero habet eſſe ſubiectiuè in intellectu, quia recipitur & ſubiectatur in illo, ſicut albedo in pariete.

3 Omne ergo ens reale diuiſum fuit ab Ariſtotele, & alijs Philoſophis in decem claſſes, ſeu prædicamenta, & ſunt Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, Habere ex his præter primum, reliqua nouem prædicamenta ſunt accidentia.

4 Subſtantia eſt id, quod ſtat per ſe, & ſubſtentat alia, vt Homo, qui per ſe ſubſiſtit, Diuiditur in primam & ſecundam. prima ſunt ipſa indiuidua v.g. Petrus Paulus &c. ſecunda ſunt genus, & ſpecies ſubſtantiæ, vt corpus, animal, homo, primæ ſubſtantiæ aſsignantur proprietates. de quibus ſuo loco.

5 Quantitas eſt ens per ſe extenſum, ideſt habens vnam partem extra aliam, vt tabula bipalmaris, cuius vnus palmus eſt extra alium, dicitur per ſe extenſum, quia alia entia materialia, quæ non ſunt quantitas, habent extenſionem per ordinem ad quantitatem.

6 Quantitas alia continua, alia diſcreta; prima eſt cuius partes vniuntur termino communi, vt linea bipalmaris, cuius primus palmus vnitur cū ſecundo mediante puncto, quod dicitur terminus

commu-

communis .ſecunda eſt, quæ non habet partes inter ſe vnitas, *&* *eſt* numerus, *&* oratio *v.g.*ternarium, *cuius vnitates non ſunt vnitæ.*

7 Quantitas continua, *alia* ſucceſſiua, *alia* permanens.*prima eſt,quæ non habet partes ſimul, ſed vna ſuccedit alteri, vt eſt* hora, *cuius ſecunda media hora,non eſt cum prima.Secunda eſt,quæ habet partes ſimul, vt* lignũ.*Triplex autẽ eſt* quantitas permanens.*prima eſt* linea.*ideſt, lõgitudo ſine latitudine.ſecũda* ſuperficies,*ideſt lõgitudo, & latitudo ſine profunditate.tertia* corpus,*ideſt longitudo,latitudo, & profunditas . vnde* corpus *dicitur quantitas trinè dimenſa.*

8 Relatio *eſt id quo vnum refertur ad aliud v. g.* Paternitas, *per quam Pater refertur ad filium. Alia eſt* relatio tranſcendentalis, *per quam vnũ eſſentialiter refertur ad aliud, v.g. potentia ad ſuos actus .in tractatu autem de relatione videbimus, an detur talis relatio. Alia eſt* prædicamentalis, *& definitur ab Ariſtotele qui appellat illam,* Ad aliquid.Ad aliquid,inquit,ſunt quæcunque hæc ipſa, quæ ſunt,aliorum eſſe dicuntur,vel quo modolibet aliter ad alterum *de ſpeciebus relationis agimus in logicis.*

9 Qualitas *eſt id per quod res denominatur qualis. v.g. albedo eſt qualitas lactis,nigredo Mauri,&c. de ſpeciebus qualitatis agimus in logicis.*

10 Actio,& paſſio *ſunt id, quo vnum facit,& alterũ fit,v.g.*calefactio *qua ignis calefacit lignum, & quo lignum calefit ab igne.*

11 Vbi *eſt per quod aliquid eſt in loco.ſiue ipſemet locus, vt* ſurſum,deorſum,*in foro,Domi,&c.*

12 Situs *eſt poſitura partium corporis v.g.*ſedere, ſtare,*&c.*

13 *Quan-*

exigit pluralitatem formæ, & pluralitatem ſuppoſiti: ad adiectiui vero pluralitatē ſufficit pluralitas ſuppoſitorū; nec diminuta eſt propterea Auctoris doctrina, quoniam non oportuit hic exprimere, niſi id, in quo differt ſubſtantiuum cum adiectiuo. Comparanti enim ea facile apparet, quod conueniunt in pluralitate ſuppoſitorum, & differunt quo ad vnitatem, & pluralitatem formæ: vtriuſq. enim pluralitas requirit plura ſuppoſita, ſed adiectiui pluralitas non requirit pluralitatem formæ, ſubſtantiui verò ſic. Sat ergo fuit hoc in loco hanc expreſſiſſe differentiam de ſubſtantiuis concretis loquendo, vt differunt ab adiectiuis: nec tamen reticuit reliquam conditionem, quoniam ſuperius in q. 36. a. 4. ad ſecundum, eius meminit, & clariſſime eandem docuit in loco proprio 3. p. q. 3. a. 7. ad ſecundum, vbi reprehendit oppoſitam opinionem, quam ipſe ſecutus fuerat in 3. ſent. diſt. 1. q. 2. a. 5. *Hæc ille.*

30 *S. Thom. vero 1. p. 36. a. 4. in ſecundo argumento obijcit ſibi quod non poſſit Pater, & Filius eſſe vnum principium Spiritus ſancti hac ratione,* quia ſi propter vnam, *inquit*, proprietatem Pater, & Filius ſunt vnum principium: pari ratione propter duas proprietates Pater videretur eſſe duo principia Filij, & Spiritus ſancti. *Reſpondet autem ipſe ad ſecundum.* Non tamen, *inquit*, ſequitur, quod propter plures proprietates poſſit dici Pater plura principia, quia implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. *Hæc ille. Vbi Caietanus ita ſibi obijcit S. in reſponſione ad ſecundum;* quia, *inquit*, ſi regula

gula de plurificatione nominis ſubſtantiui penes pluralitatem formæ ſignificatæ vera eſt, voluntarium appareret excipere plurificationem principij in Patre. Conſtat enim formas ſignificatas eſſe plures, puta paternitatem, & ſpirationem. *Reſpondet autem ipſe*; ad hoc, *inquit*, dicitur, quod aliud eſt loqui de nomine ſubſtantiuo, & aliud de ſubſtantiuo concreto. *Et ſubdit*, ſubſtantiuum concretum, quia ſubſtantiuũ, exigit pluralitatem formæ, quia concretum, exigit pluralitatem ſuppoſitorum: & ſic cum principium ſit ſubſtantiuum concretum, optimè in littera dicitur, quod implicaretur pluralitas ſuppoſitorum. *Quod clariſſimè de duabus naturis in vno ſuppoſito expreſſit loco ſupra citato S. Thom.* 3. *p. q.* 3. *a.* 7. ad ſecundum, *inquit*, poſſet videri dicendum quod eſſent duo homines propter duas naturas, abſque eo quod eſſent ibi duo ſuppoſita *&c. pergit autem reſpondere obiectioni, in qua ponebatur vna perſona aſſumpſiſſe duas naturas humanas*, ſed hoc non videtur, *inquit*, eſſe verum, quia nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum, & ideò ſi perſona Diuina aſſumeret duas naturas humanas, propter vnitatem ſuppoſiti diceretur vnus homo habens duas naturas humanas, *quod fusè explicat Caietanus ibidem in ſenſu ſupradicto. Et ſic patet ad confirmationem ſumptam ex S. Thom.*

31 *Demum pro pleniore intelligentia huius, & ſimilium difficultatum. Sciendum ly,* Hic Deus, *habere duplicem ſuppoſitionem, alteram ſingularem ratione eſſentiæ; alterã communem ratione perſona-*

rum ; & cum ſupponit primo modo, ſupponere ſicut, Hic homo, *in ſenſu ſupra explicato. Cum autem ſupponit communiter ſe habere ſicut ſe habet* homo *in communi ex materia de vniuerſalibus. Et quemadmodum* homo *in communi ſignificat naturam communem omnibus hominibus;ita* hic Deus *ſignificat naturam communem tribus perſonis. Rurſus ſicut* homo *in cõmuni ſunt multa indiuidua, ſeu ſuppoſita habentia humanitatẽ:ita* hic Deus *ſupponens communiter dicuntur tria ſuppoſita, ſeu dicitur* trinus. *Non autem hinc ſequitur quod de ſingulis perſonis poſsit dici quod ſit* trinus, *ſicut dicitur de* hoc Deo *ſupponente communiter, qua ratione de ſingulis hominibus non dicitur quod ſint multi homines, ſicut dicitur de homine in communi. Differt autem,* hic Deus, *ſupponẽs cõmuniter ab homine etiã ſupponẽte cõmuniter.quia cũ multiplicetur etiam natura humana in pluribus ſuppoſitis, poſſunt dici plures homines; cum autem non multiplicetur natura Diuina in pluribus ſuppoſitis,non poſſunt dici plures Dij, Origo autẽ æquiuocationis eſt in hoc termino,* hic Deus, *quia habet duplicem ſuppoſitionem ex dictis: & licet ſit terminus ſingularis, ſubit rationem termini communis. Vnde infertur, hanc propoſitionẽ eſſe falſam,* hic Deus non eſt pater, *quia cum propoſitio negatiua indefinita faciat ſenſum vniuerſalem, &* hic Deus *ex dictis habeat ſuppoſitionem etiam communem, videretur dici quod* nulla perſona eſſet pater, *& ideò abſolutè eſt falſa. Infertur demum ſi tres perſonæ creatæ haberent vnam naturam humanam, de iis poſſe dici* eſt vnus, & idem homo; *non tamen inde ſequi illas perſonas futuras idem inter ſe: nam cum ly,* hic homo, *non dicat ſuppoſitum determinatè, ſed cum diſiunctione hoc, vel illud,*

non

non bene dicitur futuras illas perſonas idem inter ſe; ſicut non benè dicitur; Petrus eſt aliquis homo, & Paulus eſt aliquis homo; ergo Petrus, & Paulus ſunt idem inter ſe; *quia cum prædicatum ſit indeterminatum, non ſumitur pro eodem omnino, & ſicut non ſunt idē ſuppoſitum, neque poſſunt dici idem inter ſe. Atque hæc obiter dicta ſunt pro penetranda natura termini concreti. videat qui velit hãc difficultatem apud Io. de Lugo diſp.* 13. *de Incarnatione, qui acutè, & diſtinctè illam examinat, ex quo aliqua huc tranſtulimus.*

CAPVT QVINTVM.

De Terminis in quinque claſſes diſtributis. ſeu De prædicabilibus.

Appendix I. gen.

1 QVoniam *termini inſeruiunt propoſitionibus in quibus vnus prædicatur de alio; videndum, quot modis fiat recta* Prædicatio; Prædicatio *ergo alia eſt* naturalis, *alia eſt* innaturalis, *alia quaſi* præter naturalis, *&* irregularis, *omnes autem conuenire debent in eo, vt prædicatũ conueniat ſubiecto, quia ex dictis* Prædicatio *importat identitatem inter rectum prædicati & ſubiecti.* Prædicatio naturalis *eſt, qua vnus terminus magis latè patens prædicatur de alio minus latè patente, vg.* homo eſt animal, *eſt prædicatio naturalis, quia* animal, *magis latè patet, quam* homo: prædicatio innaturalis *eſt, qua terminus minus latè patẽs prædicatur de magis late patente; vt* animal eſt homo. Prædicatio irregularis, ſeu præternaturalis *eſt, in qua, vel æquale prædicatur de æquali, vt* homo

eſt rationalis, *vel idem prædicatur de eodem, ſub diuerſis formis. v.g.* album eſt dulce; *& ſenſus eſt ſubiectum habẽs albedinem eſt ſubiectum habens dulcedinem. Relictis alijs prædicationibus ſolũ de naturali agimus. Quoniã* prædicatio *naturalis requirit, vt prædicatũ magis latè pateat, quam ſubiectum; conſequenter prædicatum debet eſſe terminus vniuerſalis, & ideò tradenda eſt notio* termini vniuerſalis, *de quo ſupra.* Vniuerſale *autem eſt, quod prædicatur de pluribus vniuocè modo dicto.*

2 *Quinque autem ſunt vniuerſalia*, Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

3 Genus eſt quod prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie in quid: *& ſenſus eſt Genus eſt talis terminus, qui conuenit multis rebus, quæ differunt ſpecie inter ſe. ſic* animal *v. g. eſt* genus *reſpectu hominis, & equi, quia* homo *&* equus, *differunt ſpecie.* ſpecies *autem hic eſt idem ac natura & eſſentia rei.*

4 Species eſt, quæ prędicatur de pluribus differentibus numero in quid, *vt* homo *prædicatur de Petro & Paulo, qui differunt ſolum numero, eo quod ſecundum eſſentiã, & naturam hominis cõueniant; hæc eſt definitio ſpeciei infimæ; nam datur etiam* ſpecies ſubalterna, *quæ habet rationem ſpeciei reſpectu ſuperioris. Generis vero reſpectu inferioris vt* animal *v.g. quod eſt ſpecies reſpectu* viuentis, *quia cõſtat ex genere, ſcilicet gradu viuẽtis & gradu ſenſitiui pro differẽtia. eſt autẽ* animal *genus reſpectu hominis, equi, &c. quia illud eſt genus quod habet ſpecies ſub ſe,* homo *autẽ, &* equus *ſunt ſpecies animalis ex dictis.* Genus generaliſsimũ *eſt ſolũ. genus, & nullo modo ſpecies, vt ſubſtantia v. g. quæ non habet aliud ſupra ſe.* ſpecies *vero* ſpecialiſſi-

ma,

ma, *eſt ſolum ſpecies, quia non habet alias ſpecies infra ſe, vt* homo *v.g.*

5 Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quale quid. *duplex autem eſt munus differentiæ; alterum diuidere genus, v.g.* rationalis, *&* inrationalis *differētiæ* animalis *diuidunt* animal, *ideſt limitant vniuerſalitatem illam, & differentiam, quā habet* animal; *alterum munus eſt, conſtituere ſpeciem modo ſupra dicto, cum ex* rationali, *&* animali *conſtituatur tota eſſentia hominis, qui dicitur* ſpecies.

6 *Sub ſpecie ſunt indiuidua, quæ differunt quidē, ſed non eſſentialiter, & continentur intra eandem ſpeciem. vt Petrus. Paulus in ſpecie hominis.*

7 *Ex* Genere, Specie, Differentia *conſtituitur hac*

TABVLA.

	Subſtantia	
Materialis		Spiritualis
	Corpus	
Vegetabile		Non vegetabile.
	Viuens	
Senſitiuum		Inſenſitiuum
	Animal	
Rationale		Irrationale
	Homo	
Hic		ille
	Petrus.	

8. *In hac tabula vides quomodo ex genere & differentia conſtituatur* ſpecies, *quomodo aliqua ſint* genera, & ſpecies *ſubalterna, quomodo primum*

mum ſit genus generaliſſimum, vltimum ſcilicet Homo *ſpecies ſpecialiſſima &c.*

9 Proprium eſt quod conuenit omni, ſoli, & ſemper *v.g.* riſibile *reſpectu hominis, quod conuenit omnibus, & ſingulis, & ſolis hominibus, & non aliјs. conuenit etiam* ſemper, *quia nunquam homo deſinit eſſe riſibilis, etiam ſi non ſemper rideat.*

10 Accidens eſt quod poteſt adeſſe, & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem, *& ſenſus eſt, accidens eſſe tale ens: quod ſiue ſit, ſiue non ſit, nõ tollitur, neque deſtruitur ſubiectum, in quo eſt. v.g.* calor *eſt accidens meæ manus, quia ſemper eſt eadem manus, ſiue ſit calor, ſiue non ſit.*

11 *Diuiſio horum prædicabilium oritur à diuerſis quæſitis, quæ fieri poſſunt pro dignoſcẽda aliqua re. Primo enim quæri poteſt,* quid ſit; *per quod quæſitum inueſtigatur eſſentia rei, & ad hoc reſpondetur per* genus, & ſpeciem. *per* genus *quidẽ tanquam per partem eſſentialem, ſed quia continet ſpecies, ſe habet per modum totius poteſtatiui continentis ipſas ſpecies, v.g.* quid eſt homo? eſt animal: *per* ſpeciem *vero reſpondetur, tanquam per totã eſſentiam: v.g.* quid eſt Petrus? eſt homo; *ly enim* Homo, *eſt tota eſſentia Petri, quia Petrus, & Paulus non differunt ſecundum eſſentiam hominis, ſed per differentias ſolum indiuiduales, quas, quia non variant eſſentiam, vocant materiales. Secundo quæri poteſt qualis ſit res; & quia tripliciter qualificatur res; vel* eſſentialiter; *& ſic reſpondetur per differentiam eſſentialem. vnde eius quæſitum non eſt abſolutè* quale, *ſed* quale quid ſit res, *v.g.* homo, *& reſpondetur per differentiã eſſentialem, ſcilicet, eſt* rationalis. *vel quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter; *& tunc, vel quæritur de prædicato*

acci-

accidentali, quod ſoli & ſemper conueniat ſubiecto, & reſpondetur per proprium *v.g.* qualis eſt homo; vt differt ab omni alio, quod non eſt homo? *& reſpondetur per* proprium, eſt riſibilis. *vel demum quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter *aliquid per accidentia communia. & reſpondetur per* accidens *v.g.* qualis eſt homo, *& reſpondetur,* calidus, frigidus &c. *Hæc innuiſse ſit ſatis.*

CAPVT SEXTVM.

De Prædicamentis.

Appendix. I. Gen.

1 *Capite præcedenti tradita ſunt quinque prædicabilia reſpondentia quinque quæſitis, quæ poſſunt fieri de aliqua re. Hoc capite traditur materia propoſitionum, ſeu termini accepti pro rebus, pro quibus ſupponunt, & quia logica vt inſtrumentum omnium ſcientiarum complectitur res omnes, & omnia numerare & complecti non poſſit ſingillatim; diuiſit in decem ſumma genera, quatenus nullum ſit ens, quod ad aliquod ex his reduci non poſſit, & dicuntur* Prædicamenta.

2 Prædicamentum *porro (Græce, κατηγορία)* eſt alicuius generis ſummi, realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio, *id eſt, eſt diuiſio generis ſupremi in alia genera, & ſpecies ſubalternas, & ſpecierum ſubalternarum in infimas, vt vides in Tabula Subſtantiæ, quæ eſt primum, & vnū ex decem prædicamētis. dicitur* generis realis, *quia*

res, quæ ponuntur in prædicamentis debent eſſe reales. Reale *autē vocatur quod eſt independenter ab operatione intellectus: vnde in hoc ſenſu ipſamet operatio intellectus, quia eſt, & non per hoc quod obijciatur intellectui, eſt quid reale; ens vero rationis nullum aliud habet eſſe, quam illud obijci, ſeu cognoſci ab intellectu; & ſic dicitur eſſe illud,* quod habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu; *cognitio verò habet eſſe ſubiectiuè in intellectu, quia recipitur & ſubiectatur in illo, ſicut albedo in pariete.*

3 *Omne ergo ens reale diuiſum fuit ab Ariſtotele, & alijs Philoſophis in decem claſſes, ſeu prædicamenta, & ſunt* Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, Habere *ex his præter primum, reliqua nouem prædicamenta ſunt accidentia.*

4 Subſtantia *eſt id, quod ſtat per ſe, & ſubſtentat alia, vt* Homo, *qui per ſe ſubſiſtit, Diuiditur in primam & ſecundam. prima ſunt ipſa indiuidua v.g. Petrus Paulus &c. ſecunda ſunt* genus, & ſpecies *ſubſtantiæ, vt* corpus, animal, homo, *primæ ſubſtantiæ aſsignantur proprietates. de quibus ſuo loco.*

5 Quantitas *eſt ens per ſe extenſum, ideſt habens vnam partem extra aliam, vt tabula bipalmaris, cuius vnus palmus eſt extra alium. dicitur per ſe extenſum, quia alia entia materialia, quæ non ſunt quantitas, habent extenſionem per ordinem ad quantitatem.*

6 Quantitas *alia* continua, *alia* diſcreta; *prima eſt cuius partes vniuntur termino communi, vt linea bipalmaris, cuius primus palmus vnitur cū ſecundo mediante puncto, quod dicitur terminus commu-*

communis .ſecunda eſt, quæ non habet partes inter ſe vnitas, & eſt numerus, *&* oratio *v.g.*ternarium, *cuius vnitates non ſunt vnitæ.*

7 Quantitas continua, *alia* ſucceſſiua, *alia* permanens.*prima eſt, quæ non habet partes ſimul, ſed vna ſuccedit alteri, vt eſt* hora, *cuius ſecunda media hora non eſt cum prima. Secunda eſt, quæ habet partes ſimul, vt* lignũ.*Triplex autẽ eſt* quantitas permanens. *prima eſt* linea *id eſt, lõgitudo ſine latitudine. ſecũda* ſuperficies, *id eſt lõgitudo, & latitudo ſine profunditate. tertia* corpus, *id eſt longitudo, latitudo, & profunditas. vnde* corpus *dicitur quantitas trinè dimenſa.*

8 Relatio *eſt id quo vnum refertur ad aliud v.g.* Paternitas, *per quam Pater refertur ad filium. Alia eſt* relatio tranſcendentalis, *per quam vnũ eſſentialiter refertur ad aliud, v.g. potentia ad ſuos actus. in tractatu autem de relatione videbimus, an detur talis relatio. Alia eſt* prædicamentalis, *& definitur ab Ariſtotele qui appellat illam,* Ad aliquid. Ad aliquid, inquit, ſunt quæcunque hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quo modolibet aliter ad alterum *de ſpeciebus relationis agimus in logicis.*

9 Qualitas *eſt id per quod res denominatur qualis. v.g. albedo eſt qualitas lactis, nigredo Mauri, &c. de ſpeciebus qualitatis agimus in logicis.*

10 Actio, & paſſio *ſunt id, quo vnum facit, & alterũ fit, v.g.* calefactio *qua ignis calefacit lignum, & quo lignum calefit ab igne.*

11 Vbi *eſt per quod aliquid eſt in loco ſiue ipſemet locus, vt* ſurſum, deorſum, *in foro, Domi, &c.*

12 Situs *eſt poſitura partium corporis v.g.* ſedere, ſtare, *&c.*

13 *Quan-*

13 *Quando eſt tempus, ſeu menſura durationis,* *v. g.* dies, annus.

14 *Habitus, ſeu Habere, eſt eſſe veſtitum, ſeu ornatum, vt eſſe* togatum, palliatum. *Atque hæc breuiter libaſſe de prædicamentis ſit ſatis.*

CAPVT SEPTIMVM.
De Suppoſitione in communi.

1 NOtandum primo ſuppoſitionem, ſiſtendo in acceptione vocabuli, eſſe ſubſtitutionem, ſeu ſubrogationem vnius loco alterius: quomodo v. g. Vicarius ſubſtituitur loco Epiſcopi; vel calculi ſupponuntur loco pecuniæ numeratæ in ludo. Petrus Hyſp. tract. 7. de ſuppoſit. & Verſor. ibi, diſtinguunt iſta duo, *ſupponere*, & *ſignificare*: vt ſignificare ſit idem ac facere venire in cognitionem: quomodo fumus ſignificat ignem; ſupponere vero ſit ſubſtitui loco alterius modo explicato.

2 Definiri poſſet ſuppoſitio. *Eſt ſubſtitui vnius loco alterius*. loquendo de ſuppoſitione in communi. Definitio verò ſuppoſitionis termini vocalis eſt. *Eſt ſubſtitutio ſigni ſenſibilis loco conceptus, & loco etiam rei.* Teneri etiam poteſt definitio Toleti lib. 2. cap. 1. *Suppoſitio eſt vſus termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato; pro ſe*, inquam, ideſt, pro ſuo materiali ſono, quod conuenit etiam termino non ſignificatiuo, *pro ſuo* autem *ſignificato*, ideſt, pro rebus, pro quibus ſubſtituitur, quod eſt proprium termini ſignificatiui.

Ap-

Appendix. I. Gen.

3 N*Otandũ primò non pro omni eo, quod aliqua vox ſignificat. ſupponit; nam hæc vox,* pater, *ſignificat filium in obliquo; non tamen ſupponit pro filio; cum, quæ dicuntur de patre, non verificentur de filio. quod requiritur ad ſuppoſitionẽ. Latius ergo patet* ſignificare, *quàm* ſupponere, *& omne illud pro quo aliqua vox ſupponit, etiam ſignificat, nõ è contra, vt patet in hac voce,* Pater, *quæ, quia ſupponitur pro homine generante, facit etiam venire in cognitionem eiuſdem; quia vero pro filio non ſupponit, ſed ſolum illum ſignificat; ideo ſolum facit venire in cognitionem eiuſdem. Nec obſtat, quod termini non ſignificatiui dicantur etiam ſupponere, & cõſequenter quod alicui termino conueniat ſupponere, & non ſignificare; nam primo nos hucuſque egimus de terminis ſignificatiuis, in quibus tenet regula, ſi autem velimus loqui de terminis nõ ſignificatiuis: adhuc dicendum, ſicut materialiter illis conuenit* ſupponere, *ideſt pro ſuo materiali ſono; ita materialiter illis conuenire ly* ſignificare, *ideſt quod faciant venire in cognitionem ſui materialis ſoni, qua ratione Sotus citatus lib. 1. ſumm. c. 2. lect. 2. agens de voce non ſignificatiua* Blitiri. Propterea, *inquit,* voces ſupponunt pro ſe, quia conſiderantur tanquam propria nomina ſui, impoſita ad ſignificandũ ſe; *vbi vides* Blitiri, *& alijs vocibus non ſignificatiuis conuenire, vt ſupponant materialiter pro ſuo ſono; ita tamen, vt illum etiam ſignificent, & ſic nullũ eſſe terminũ, cui conueniat* ſupponere, *& nõ cõueniat* ſignificare, *aliquibus tamen conuenire ly* ſignificare *aliquid, etiam ſi non conue-*

niat

rum ; & cum ſupponit primo modo, ſupponere ſicut, Hic homo, *in ſenſu ſupra explicato . Cum autem ſupponit communiter ſe habere ſicut ſe habet* homo *in communi ex materia de vniuerſalibus. Et quemadmodum* homo *in communi ſignificat naturam communem omnibus hominibus;ita* hic Deus *ſignificat naturam communem tribus perſonis . Rurſus ſicut* homo *in cōmuni ſunt multa indiuidua,ſeu ſuppoſita habentia humanitatē:ita* hic Deus *ſupponens communiter dicuntur tria ſuppoſita, ſeu dicitur* trinus. *Non autem hinc ſequitur quod de ſingulis perſonis poſſit dici quod ſit* trinus, *ſicut dicitur de* hoc Deo *ſupponente communiter, qua ratione de ſingulis hominibus non dicitur quod ſint multi homines, ſicut dicitur de homine in communi . Differt autem,* hic Deus *, ſupponēs cōmuniter ab homine etiā ſupponēte cōmuniter.quia cū multiplicetur etiam natura humana in pluribus ſuppoſitis, poſſunt dici plures homines ; cum autem non multiplicetur natura Diuina in pluribus ſuppoſitis,non poſſunt dici plures Dij. Origo autē æquiuocationis eſt in hoc termino,* hic Deus, *quia habet duplicem ſuppoſitionem ex dictis: & licet ſit terminus ſingularis, ſubit rationem termini communis.Vnde infertur, hanc propoſitionē eſſe falſam ,* hic Deus non eſt pater, *quia cum propoſitio negatiua indefinita faciat ſenſum vniuerſalem , &* hic Deus *ex dictis habeat ſuppoſitionem etiam communem, videretur dici quod* nulla perſona eſſet pater, *& ideò abſolutè eſt falſa . Infertur demum ſi tres perſonæ creatæ haberent vnam naturam humanam, de ijs poſſe dici* eſt vnus , & idem homo; *non tamen inde ſequi illas perſonas futuras idem inter ſe : nam cum ly,* hic homo, *non dicat ſuppoſitum determinatè, ſed cum diſiunctione hoc, vel illud,*

non

non bene dicitur futuras illas perſonas idem inter ſe; ſicut non benè dicitur ; Petrus eſt aliquis homo, & Paulus eſt aliquis homo ; ergo Petrus, & Paulus ſunt idem inter ſe; *quia cum prædicatum ſit indeterminatum, non ſumitur pro eodem omnino, & ſicut non ſunt idē ſuppoſitum, neque poſſunt dici idem inter ſe. Atque hæc obiter dicta ſunt pro penetranda natura termini concreti. videat qui velit hãc difficultatem apud Io. de Lugo diſp.* 13. *de Incarnatione, qui acutè, & diſtinctè illam examinat, ex quo aliqua huc tranſtulimus.*

CAPVT QVINTVM.
De Terminis in quinque claſſes diſtributis. ſeu De prædicabilibus.

Appendix I. gen.

1 Q*Voniam termini inſeruiunt propoſitionibus in quibus vnus prædicatur de alio ; videndum, quot modis fiat recta* Prædicatio ; Prædicatio *ergo alia eſt* naturalis, *alia eſt* innaturalis, *alia quaſi* præter naturalis, *&* irregularis, *omnes autem conuenire debent in eo, vt prædicatũ conueniat ſubiecto, quia ex dictis* Prædicatio *importat identitatem inter rectum prædicati & ſubiecti.* Prædicatio naturalis *eſt, qua vnus terminus magis latè patens prædicatur de alio minus latè patente, vg.* homo eſt animal, *eſt prædicatio naturalis, quia* ànimal, *magis latè patet, quam* homo: prædicatio innaturalis *eſt, qua terminus minus latè patẽs prædicatur de magis late patente; vt* animal eſt homo. Prædicatio irregularis, ſeu præternaturalis *eſt, in qua, vel æquale prædicatur de æquali, vt* homo

eſt rationalis, *vel idem prædicatur de eodem, ſub diuerſis formis. v.g.* album eſt dulce; *& ſenſus eſt ſubiectum habẽs albedinem eſt ſubiectum habens dulcedinem.* Relictis *aliјs prædicationibus ſolũ de naturali agimus. Quoniã* prædicatio *naturalis requirit, vt prædicatũ magis latè pateat, quam ſubiectum; conſequenter prædicatum debet eſſe terminus vniuerſalis, & ideò tradenda eſt notio* termini vniuerſalis, *de quo ſupra.* Vniuerſale *autem eſt, quod prædicatur de pluribus vniuocè modo dicto.*

2 *Quinque autem ſunt vniuerſalia,* Genus, Species, Differentia, Proprium, Accidens.

3 Genus eſt quod prædicatur de pluribus differẽtibus ſpecie in quid: *& ſenſus eſt Genus eſt talis terminus, qui conuenit multis rebus, quæ differunt ſpecie inter ſe. ſic* animal *v.g. eſt* genus *reſpectu hominis, & equi, quia* homo *&* equus, *differunt ſpecie.* ſpecies *autem hic eſt idem ac natura & eſſentia rei.*

4 Species eſt, quæ prędicatur de pluribus differentibus numero in quid, *vt* homo *prædicatur de Petro & Paulo, qui differunt ſolum numero, eo quod ſecundum eſſentiã, & naturam hominis cõueniant; hæc eſt definitio ſpeciei infimæ; nam datur etiam* ſpecies ſubalterna, *quæ habet rationem ſpeciei reſpectu ſuperioris. Generis vero reſpectu inferioris vt* animal *v.g. quod eſt ſpecies reſpectu* viuentis, *quia cõſtat ex genere, ſcilicet gradu viuẽtis & gradu ſenſitiui pro differẽtia. eſt autẽ* animal *genus reſpectu hominis, equi, &c. quia illud eſt genus quod habet ſpecies ſub ſe,* homo *autẽ, &* equus *ſunt ſpecies animalis ex dictis.* Genus generaliſsimũ *eſt ſolũ genus, & nullo modo ſpecies, vt ſubſtantia v. g. quæ non habet aliud ſupra ſe,* ſpecies *vero* ſpecialiſſi-

ma,

ma, *eſt ſolum ſpecies, quia non habet alias ſpecies infra ſe, vt* homo *v.g.*

5 Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, vel numero in quale quid. *duplex autem eſt munus differentiæ; alterum diuidere genus, v.g.* rationalis, *&* inrationalis *differētiæ* animalis *diuidunt* animal, *ideſt limitant vniuerſalitatem illam, & indifferentiam, quã habet* animal; *alterum munus eſt, conſtituere ſpeciem modo ſupra dicto, cum ex* rationali, *&* animali *conſtituatur tota eſſentia hominis, qui dicitur* ſpecies.

6 *Sub ſpecie ſunt indiuidua, quæ differunt quidē, ſed non eſſentialiter, & continentur intra eandem ſpeciem. vt Petrus. Paulus in ſpecie hominis.*

7 *Ex* Genere, Specie, Differentia *conſtituitur hæc*

TABVLA.

	Subſtantia	
Materialis		Spiritualis
	Corpus	
Vegetabile		Non vegetabile.
	Viuens	
Senſitiuum		Inſenſitiuum
	Animal	
Rationale		Irrationale
	Homo	
Hic		Ille
	Petrus.	

8 *In hac tabula vides quomodo ex genere & differentia conſtituatur* ſpecies. *quomodo aliquæ ſint* genera, & ſpecies *ſubalternæ, quomodo pri-*

 mum

mum ſit genus generaliſſimum, vltimum ſcilicet Homo *ſpecies ſpecialiſſima &c.*

9 Proprium eſt quod conuenit omni, ſoli, & ſemper *v.g.* riſibile *reſpectu hominis, quod conuenit omnibus, & ſingulis, & ſolis hominibus, & non aliis. conuenit etiam* ſemper, *quia nunquam homo deſinit eſſe riſibilis, etiam ſi non ſemper rideat.*

10 Accidens eſt quod poteſt adeſſe, & abeſſe, præter ſubiecti corruptionem, *& ſenſus eſt, accidens eſſe tale ens, quod ſiue ſit, ſiue non ſit, nō tollitur, neque deſtruitur ſubiectum, in quo eſt. v.g.* calor *eſt accidens meæ manus, quia ſemper eſt eadem manus, ſiue ſit calor, ſiue non ſit.*

11 *Diuiſio horum prædicabilium oritur à diuerſis quæſitis, quæ fieri poſſunt pro dignoſcēda aliqua re. Primo enim quæri poteſt,* quid ſit; *pèr quod quæſitum inueſtigatur eſſentia rei, & ad hoc reſpondetur per* genus, & ſpeciem. *per* genus *quidē tanquam per partem eſſentialem, ſed quia continet ſpecies, ſe habet per modum totius poteſtatiui continentis ipſas ſpecies, v.g.* quid eſt homo? eſt animal: *per* ſpeciem *vero reſpondetur, tanquam per totā eſſentiàm v.g.* quid eſt Petrus? eſt homo, *ly enim* Homo, *eſt tota eſſentia Petri, quia Petrus, & Paulus non differunt ſecundum eſſentiàm hominis, ſed per differentias ſolum indiuiduales, quas, quia non variant eſſentiam, vocant materiales. Secundo quæri poteſt qualis ſit res, & quia tripliciter qualificatur res; vel* eſſentialiter; *& ſic reſpondetur per differentiam eſſentialem. vnde eius quæſitum non eſt abſolutè* quale, *ſed* quale quid ſit res, *v.g.* homo, *& reſpondetur per differentiā eſſentialem, ſcilicet, eſt* rationalis. *vel quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter; *& tunc, vel quæritur de prædicato*

acci-

accidentali, quod ſoli & ſemper conueniat ſubiecto, & reſpondetur per proprium *v.g.* qualis eſt homo; vt differt ab omni alio, quod non eſt homo? *& reſpondetur per* proprium, eſt riſibilis. *vel demum quæritur quomodo qualificetur* accidentaliter *aliquid per accidentia communia. & reſpondetur per* accidens *v.g.* qualis eſt homo, *& reſpondetur,* calidus, frigidus &c. *Hæc innuiſse ſit ſatis.*

CAPVT SEXTVM.

De Prædicamentis.

Appendix. I. Gen.

1 C*Apite præcedenti tradita ſunt quinque prædicabilia reſpondentia quinque quæſitis, quæ poſſunt fieri de aliqua re. Hoc capite traditur materia propoſitionum, ſeu termini accepti pro rebus, pro quibus ſupponunt, & quia logica vt inſtrumentum omnium ſcientiarum complectitur res omnes, & omnia numerare & complecti non poſſit ſingillatim; diuiſit in decem ſumma genera, quatenus nullum ſit ens, quod ad aliquod ex his reduci non poſsit, & dicuntur* Prædicamenta.

2 Prædicamentum *porro (Græce, κατηγορία)* eſt alicuius generis ſummi, realis, & eorum quæ ſub ipſo ſunt naturalis diſpoſitio, *ideſt, eſt diuiſio generis ſupremi in alia genera, & ſpecies ſubalternas, & ſpecierum ſubalternarum in infimas, vt v ides in Tabula Subſtantiæ, quæ eſt primum, & vnũ x decem prædicamẽtis. dicitur* generis realis, *quia*

res, quæ ponuntur in prædicamentis debent eſſe reales. Reale *autẽ vocatur quod eſt independenter ab operatione intellectus: vnde in hoc ſenſu ipſamet operatio intellectus, quia eſt, & non per hoc quod obijciatur intellectui, eſt quid reale; ens vero rationis nullum aliud habet eſſe, quam illud obijci, ſeu cognoſci ab intellectu; & ſic dicitur eſſe illud,* quod habet tantum eſſe obiectiuè in intellectu; *cognitio verò habet eſſe ſubiectiuè in intellectu, quia recipitur & ſubiectatur in illo, ſicut albedo in pariete.*

3 *Omne ergo ens reale diuiſum fuit ab Ariſtotele, & aliis Philoſophis in decem claſſes, ſeu prædicamenta, & ſunt* Subſtantia, Quantitas, Relatio, Qualitas, Actio, Paſſio, Vbi, Situs, Quando, Habere *ex his præter primum, reliqua nouem prædicamenta ſunt accidentia.*

4 Subſtantia *eſt id, quod ſtat per ſe, & ſubſtentat alia, vt* Homo, *qui per ſe ſubſiſtit, Diuiditur in primam & ſecundam. prima ſunt ipſa indiuidua. v.g. Petrus Paulus &c. ſecunda ſunt* genus, *&* ſpecies *ſubſtantiæ, vt* corpus, animal, homo, *primæ ſubſtantiæ aſsignantur proprietates. de quibus ſuo loco.*

5 Quantitas *eſt ens per ſe extenſum, ideſt habens vnam partem extra aliam, vt tabula bipalmaris, cuius vnus palmus eſt extra alium, dicitur per ſe extenſum, quia alia entia materialia, quæ non ſunt quantitas, habent extenſionem per ordinem ad quantitatem.*

6 Quantitas *alia* continua, *alia* diſcreta; *prima eſt cuius partes vniuntur termino communi, vt linea bipalmaris, cuius primus palmus vnitur cũ ſecundo mediante puncto, quod dicitur terminus communi-*

communis .*ſecunda eſt, quæ non habet partes inter ſe vnitas*, *&* *eſt* numerus, *&* oratio *v.g.*ternarium , *cuius vnitates non ſunt vnitæ.*

7 Quantitas continua, *alia* ſucceſſiua, *alia* permanens.*prima eſt,quæ non habet partes ſimul. ſed vna ſuccedit alteri, vt eſt* hora, *cuius ſecunda media hora,non eſt cum prima.Secunda eſt,quæ habet partes ſimul, vt* lignũ.*Triplex autẽ eſt* quantitas permanens.*prima eſt* linea.*ideſt, lõgitudo ſine latitudine.ſecũda* ſuperficies,*ideſt:lõgitudo, & latitudo ſine profunditate.tertia* corpus,*ideſt longitudo,latitudo, & profunditas . vnde* corpus *dicitur quantitas trinè dimenſa.*

8 Relatio *eſt id quo vnum refertur ad aliud v. g.* Paternitas, *per quam Pater refertur ad filium. Alia eſt* relatio tranſcendentalis, *per quam vnũ eſſentialiter refertur ad aliud, v.g. potentia ad ſuos actus .in tractatu autem de relatione videbimus , an detur talis relatio. Alia eſt* prædicamentalis, *& definitur ab Ariſtotele qui appellat illam,* Ad aliquid.Ad aliquid,inquit,ſunt quæcunque hæc ipſa, quæ ſunt,aliorum eſſe dicuntur,vel quo modolibet aliter ad alterum *de ſpeciebus relationis agimus in logicis.*

9 Qualitas *eſt id per quod res denominatur qualis. v.g. albedo eſt qualitas lactis,nigredo Mauri,&c. de ſpeciebus qualitatis agimus in logicis.*

10 Actio,& paſſio *ſunt id, quo vnum facit,& alterũ fit,v.g.*calefactio *qua ignis calefacit lignum, & quo lignum calefit ab igne.*

11 Vbi *eſt per quod aliquid eſt in loco ſiue ipſemet locus, vt* ſurſum,deorſum,*in foro, Domi,&c.*

12 Situs *eſt poſitura partium corporis v.g.*ſedere, ſtare,*&c.*

13 *Quan-*

13 *Quando eſt tempus, ſeu menſura durationis*, *v. g.* dies, annus.

14 *Habitus, ſeu Habere, eſt eſſe veſtitum, ſeu ornatum, vt eſſe* togatum, palliatum. *Atque hæc breuiter libaſſe de prædicamentis ſit ſatis.*

CAPVT SEPTIMVM.

De Suppoſitione in communi.

1 NOtandum primo ſuppoſitionem, ſiſtendo in acceptione vocabuli, eſſe ſubſtitutionem, ſeu ſubrogationem vnius loco alterius: quomodo v. g. Vicarius ſubſtituitur loco Epiſcopi; vel calculi ſupponuntur loco pecuniæ numeratæ in ludo. Petrus Hyſp. tract. 7. de ſuppoſit. & Verſor. ibi, diſtinguunt iſta duo, *ſupponere*, & *ſignificare*: vt ſignificare ſit idem ac facere venire in cognitionem: quomodo fumus ſignificat ignem; ſupponere vero ſit ſubſtitui loco alterius modo explicato.

2 Definiri poſſet ſuppoſitio. *Eſt ſubſtitutio vnius loco alterius*. loquendo de ſuppoſitione in communi. Definitio verò ſuppoſitionis termini vocalis eſt. *Eſt ſubſtitutio ſigni ſenſibilis loco conceptus*, & *loco etiam rei.* Teneri etiam poteſt definitio Toleti lib. 2. cap. 1. *Suppoſitio eſt vſus termini pro ſe, vel pro ſuo ſignificato; pro ſe*, inquam, ideſt, pro ſuo materiali ſono, quod conuenit etiam termino non ſignificatiuo, *pro ſuo* autem *ſignificato*, ideſt, pro rebus, pro quibus ſubſtituitur, quod eſt proprium termini ſignificatiui.

Ap-

Appendix. I. Gen.

3 N*Otandũ primò non pro omni eo, quod aliqua vox ſignificat. ſupponit; nam hæc vox,* pater, *ſignificat filium in obliquo; non tamen ſupponit pro filio; cum, quæ dicuntur de patre, non verificentur de filio. quod requiritur ad ſuppoſitionẽ.* Latius *ergo patet* ſignificare, *quàm* ſupponere, *& omne illud pro quo aliqua vox ſupponit, etiam ſignificat, nõ è contra, vt patet in hac voce,* Pater, *quæ, quia ſupponitur pro homine generante, facit etiam venire in cognitionem eiuſdem; quia vero pro filio non ſupponit, ſed ſolum illum ſignificat; ideo ſolum facit venire in cognitionem eiuſdem.* Nec *obſtat, quod termini nonſignificatiui dicantur etiam ſupponere, & cõſequenter quod alicui termino conueniat ſupponere, & non ſignificare; nam primo nos hucuſque egimus de terminis ſignificatiuis, in quibus tenet regula, ſi autem velimus loqui de terminis nõ ſignificatiuis: adhuc dicendum, ſicut materialiter illis conuenit* ſupponere, *ideſt pro ſuo materiali ſono; ita materialiter illis conuenire ly* ſignificare, *ideſt quod faciant venire in cognitionem ſui materialis ſoni, qua ratione Sotus citatus lib.* 1. *ſumm. c,* 2. *lect.* 2. *agens de voce non ſignificatiua* Blitiri. Propterea, *inquit,* voces ſupponunt pro ſe, quia conſiderantur tanquam propria nomina ſui, impoſita ad ſignificandũ ſe; *vbi vides* Blitiri, *& aliis vocibus non ſignificatiuis conuenire, vt ſupponant materialiter pro ſuo ſono; ita tamen, vt illum etiam ſignificent, & ſic nullũ eſſe terminũ, cui conueniat* ſupponere, *& nõ cõueniat* ſignificare, *aliquibus tamen conuenire ly* ſignificare *aliquid, etiam ſi non conue-*

niat

niat pro illo ſupponere, *vt patet in voce,* Pater. *Pro pleniore autem intelligentia, & vſurpatione huius vocis,* ſupponere.

4 *Notandũ ſecundo ex Fonſec. lib. 8. c. 20. non benè dici, terminum ſupponere pro re, ſed debere dici ſupponi: terminus enim non ſupponit, ſed ſupponitur loco alterius, ideſt ſufficitur. vt ait Fonſeca citatus, & Sot. lib. 2. Summ. cap. 9. lect. vnic. notab.* 3. Dialecticus *inquit*, dicit terminum ſupponere, quod ſignificãtius alij dicunt, terminus ſupponitur; *ideſt ponitur vice rei. Verſorius tamen loco citato in Petrum Hyſpanum ait ſuppoſitionem eſſe in termino actiuè, ſicut in eo, quod ponit ſub ſe rẽ ſignificatam per ipſum, & eſſe in re paſſiuè: ideſt terminum poſſe dici ſupponere, quia ponit ſub tali voce rem: Addi poteſt, cum ſuppoſitio terminorum maximè habeatur in propoſitione, & in ea ſubiectum ponat ſuũ ſignificatum ſub prædicato; benè poſſe dici terminũ ſupponere, licet tunc non benè diceretur terminus ſupponere pro re, ſed rem. In re ergo leuiſſima, licet propriſſimè loquendo cum Soto, Fonſeca, & alijs terminus dici debeat ſupponi, non ſupponere; tamen nõ propterea grauiſsimè peccaſſe cenſerem illum, qui diceret, terminum ſupponere.*

5 *Notandum tertio Hurtad. diſput. 2. Summ. ſect.* 1. *fusè probare voces ſupponi pro conceptibus, eo quod ſubrogentur loco illorum. De qua re, licet fusè agatur in libris Perihermenias, nunc breuiter cum diſtinctione procedendum arbitror; vt voces dicantur ſupponi pro conceptibus in genere cauſæ finalis: pro rebus verò in genere obiecti: eò quod voces habeant pro fine manifeſtationem conceptuum: pro termino, ſeu obiecto res repræſentatas; & ſic ſaluatur quod habet Ariſtoteles* 1. *elench. cap.* 1. *voces ſuppo-*

ſupponi pro rebus ; cum illas non poſſimus afferre in medium ; & eaſdem voces rurſum ſupponi pro conceptibus ; vt idem habet primo. periherm. cap. 1. *quia voces ponuntur loco conceptuum internorum, quos intendit homo manifeſtare.*

6 Quares primo. An terminus ſupponat etiam extra propoſitionem. ſenſus eſt; an hoc quod diximus conuenire termino, dum eſt in propoſitione, conueniat etiã illi extra propoſitionem ; v.g. an homo *ſupponat ſolùm, dum eſt in propoſitione v.g.* homo eſt animal, *an etiam, cum eſt ſolitariè poſitus.*

7 Villalpand. lib. 1, *ſumm.* 3. *p. c.* 1. *citat. ab Hurtad. diſput.* 2. *ſumm. ſect.* 1. *exiſtimat terminum non ſupponere, vel ſupponi, niſi in propoſitione; quod adeò verũ cenſet. vt ipſum* ſupponere *definiat per hoc* quod ſit exiſtere rem, quam ſignificat terminus tempore importato per copulam. *Quare in hac propoſitione :* Adam fuit; *ly,* Adam, *ſupponere, quia vere habet exiſtentiam pro tempore, quod denotat copula : in hac verò alia ;* Adam eſt *ly,* Adam, *non ſupponere, quia, non habet exiſtentiam nunc, vt denotat copula : Idem habet Bagnes lib.* 2. *ſumm. tract. vnico c.* 1. *vbi definit* ſuppoſitionem *eſſe acceptionem termini pro aliquo, de quo verificatur. Quare ad ſuppoſitionẽ requirit verificationem;* verificari, *inquit*, terminum, quando res illa quam ſignificat, & pro qua accipitur, exiſtit à parte rei ſecundum exigentiam differentiæ temporis per verbum, eſt. *Addit rurſus Bagnes in propoſitione etiam falſa, terminos ſupponere; eò quod vterque accipiatur pro ſuo ſignificato, de quo verificatur, quod exiſtat, v.g.* homo eſt lapis; & homo *verificatur de homine exiſtente, &* lapis *de lapide exiſtente ; eſt tamen falſa, quia vnum non verificatur*

rificatur de alio, quod requiritur ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ. Et in ſumma, inquit, dicam verificari, eſt vere affirmari de ſuo ſignificato iuxta exigentiam differentiæ temporis importatæ per verbum propoſitionis. Ratio autē cur hoc ſentiant, eſſe poteſt; quia multæ propoſitiones negantur, non propter diſconuenientiam ſubiecti cum prædicato, ſed quia ſubiectum non ſupponit: v.g. Antichriſtus eſt crudelis, eſt falſa, non quia crudelitas illi non conueniat, ſed quia non exiſtit tempore præſenti importato per copulam, Idem ferè habet Sotus lib. 2, ſumm. cap. 9. lect. vnic. notab, 2. à quo videntur ſumpſiſſe alij.

8 Verſorius citatus, Fonſeca lib, 8. cap. 20. & alij volūt terminū etiam ſupponere extra propoſitionem; quia ſupponere, vel ſupponi eſt ſubrogari loco alterius: at verè terminus extra propoſitionem ſubrogatur vt ſignum loco rei ſignificatæ, benè ergo poterit dici terminus ſupponere etiā extra propoſitionē. Pro ſolutione

9 Notandum, ab aliquibus Summuliſtis diſtingui iſta quatuor; ſignificare, ſupponere, verificari, & accipi. Et primum quidem eſſe, quod ſupra explicauimus. ſecundum ſcilicet, ſupponere, tripliciter accipi. primo pro eo, quod eſt, ſubrogari loco alterius & eſt idem ac ſupponi modò explicato ſecundo pro eo, quod eſt ponere ſuum ſignificatum ſub prædicato in propoſitione. tertio pro eo, quod eſt exiſtere ſubiectum tempore importato per copulā. Verificari verò eſſe, ſignificatum prædicati conuenire ſubiecto. Accipi demum eſſe, ex multis ſignificatis, quæ habet terminus, limitari ad vnum iuxta exigentiam prædicati: v.g in hac propoſitione; homo pingit; ly homo accipitur prout habet artem pingendi: quare, accipi, eſt aliquid commune ad verificari

ficari

ficari, & ſupponi: *vnde etiam extra propoſitionẽ acceptio conuenit termino, quam Sotus definit* eſſe vſum terminorum paſſiuum pro re *v.g. videns ſtatuam; ſi dicam ſigno demonſtratiuo,* hic homo, *ly* homo *accipitur pro ſtatua: licet Sotus ſumat pro eodem* accipi, & ſupponi; *His poſitis*.

10 *Certum videtur primo ly,* accipi, *in ſignificatione modò allata conuenire termino etiam extra propoſitionem. vt patet in exemplo recitato* hic homo *ſignificãdo ſtatuã, & in hoc ſenſu non differre a* ſupponi, *primo modo accepto; vnde Petrus Hyſpan. citat. ait* ſuppoſitionem eſſe acceptionem termini ſubſtantiui pro aliquo: *niſi dicamus ly,* accipi, *eſſe modificationem ſuppoſitionis, quatenus termini multipliciter ſupponentis limitetur ſuppoſitio per acceptionem, vt ſupponat in tali genere: v. g. in exemplo allato ly,* homo, *poteſt ſupponere propriè, & impropriè: cum autem per ſignum demonſtratiuum oſtendendo ſtatuam dicitur,* hic homo *per talem acceptionẽ ſupponit impropriè. Itẽ ſi ſit terminus habens multas perfectiones, pro quibus poteſt ſupponere, per acceptionem limitatur eius ſuppoſitio ad vnam ex illis: v. g. cum dicimus:* homo pingit; *ly* homo *ſupponit pro habente artem pingendi, non ædificandi, &c.*

11 *Certum videtur ſecundo ly,* verificari, *non poſſe conuenire termino extra propoſitionem, nam cum hoc verbum deriuetur à veritate, & veritas formalis, de qua eſt ſermo, ſit ſolum in propoſitione conſequenter verificari conueniet termino ſolum in propoſitione. Rurſus* verificari *propriiſſimè loquendo* prædicato *conuenire in recto,* ſubiecto *verò in obliquo. Nam prædicatum dicitur in recto: verificari, de ſubiecto autem in obliquo dicitur*

præ-

prædicatum verificari.

12 *Certum videtur tertio. Primo ly* ſupponi, *acceptum pro ſubrogari loco alterius, conuenire etiam termino extra propoſitionem: nam dum dico,* homo, *hæc vox ponitur loco rei ſignificatæ per ipſum. Secundo ſi ly,* ſupponere, *accipiatur pro eo, quod eſt ponere ſuum ſignificatum ſub prædicato, certum videtur non conuenire termino niſi in propoſitione, in qua ſolum eſt prædicatum; atq; vt prædicato propriè diximus conuenire ly,* verificari, *ſic ſubiecto cõuenire propriè* ſupponere, *vt communiter dicunt veteres ſummuliſtæ, licet Sotus, Bagnes & alij, applicent, ly,* ſupponere *etiã prædicato, quatenus ipſum quoque ponit ſuum ſignificatum ſub tota propoſitione, licet non ita propriè.*

13 *Addunt Petrus Hyſpanus, Sotus, Bagnes, & alij, & ſumitur ex S. Thoma* 1.*p.q.* 39.*ar.* 5. *ad quintum, ly* ſupponere *conuenire ſolum nominibus ſubſtantiuis, quatenus eſt deriuatum à* ſuppoſito, *quod importatur per ſe, ſolum à nomine ſubſtantiuo: nam adiectiuum non fert ſuum ſuppoſitum: vnde inquit S. Thomas.* Sophiſtæ dicunt; quod nomina ſubſtantiua ſupponunt, adiectiua verò non ſupponunt, ſed copulant: *ex quo infert Sotus in hac propoſitione;* Petrus eſt albus; *non eſſe ſenſum; quod res alba ſit Petrus; ſed tantum albedo denotatur adiacere Petro, Item, inquit ex S. Thoma loco citato hanc propoſitionem,* eſſentia generat, *eſſe falſam; quia non eſt ſenſus; eſſentia eſt res generans: qua ratione eſſet vera: ſed applicat tantum actum generandi ad eſſentiam; quod eſt falſum.*

14 *Hæc doctrina; ſi ſolum velit, quod adiectiua non trahant formaliter ſuppoſitum, ſed ſolùm identicè*

ticè, & materialiter: poteſt habere bonum ſenſum; quatenus adiectiua formaliter ſe habent per modum adiacentis; conſequenter de formali non videntur dicere ſuppoſitum: quod eſt ratio per ſe ſtandi: Si autem velit nullo modo adiectiua importare ſuppoſitum; contra eſt; quia, cum copula importet identitatem recti prædicati cum recto ſubiecti, ſi ſubiectum, vt nomen ſubſtantiuum importat per ipſos in recto ſuppoſitum, adiectiuum quoque idem importabit. Alioqui non eſſet vera hæc propoſitio: Petrus eſt albus, *quæ ſolum vera eſt, quia ex parte prædicati importatur in recto, habens albedinem, quod eſt idem, ac ſuppoſitum: qua ratione reſolui debent omnes propoſitiones de prædicato concreto. Facit ſolum difficultatem propoſitio illa theologica allata, ſcilicet* eſſentia generat, *quæ eſt falſa; cum tamen ex regulis de reſolutione propoſitionum de verbo adiectiuo deberet eſſe vera: ſenſus enim huius propoſitionis;* eſſentia generat; *eſt, eſſentia eſt res generans, quæ ſanè vera eſt. Pro ſolutione.*

15 *Sciendum primo. Nullum terminum poſſe ſupponere pro re, quam non ſignificat ex ſupra dictis; benè tamen ſi ſignificet vnum mediatè, alterum immediatè ſiue vnum implicitè, alterum explicitè, poſſe pro vtroque ſupponi; ſic dicemus, termino, cum accipimus pro mediato ſignificato, conuenire ſuppoſitionem perſonalem; cum verò pro immediato ſignificato, ſimplicem, ſiue abſolutam. Primo modo ſupponitur terminus, cum dicitur,* homo currit, *vbi ly* homo, *ſupponit pro mediatis, & implicitis ſignificatis; ſcilicet* Petro, Paulo, *&c. Secundo modo cum dicitur;* homo eſt ſpecies; *ly,* homo, *accipitur pro immediato, & explicito ſignificato tantum.*

16 *Secundo, Propoſitiones aliquando facere ſenſum materialem, ſeu identicum; aliquando formalē. Formalem communiter faciunt, cumſunt propoſitiones de verbo adiectiuo: v.g.* Petrus currit. *materialem verò, ſeu identicum, cum ſunt de verbo ſubſtantiuo* homo eſt albus, *ſenſus formalis eſt, cum prædicatum denotatur conuenire ſubiectò ratione alicuius determinatæ formæ; v.g. cum dico,* Petrus pingit, *eſt ſenſus formalis; quia prædicatū* pingens *conuenit* Petro *ratione formæ artis pingendi. Quare cum ex parte ſubiecti exprimitur forma. cui non conuenit prædicatū dicitur falſa propoſitio, & eſſe fallacia accidentis; v. g.* muſicus ædificat, *quia ſenſus formalis eſt, quod muſicus ſecundum formam artis muſicæ ædificet. Poſſet autem eſſe vera ſolū in ſenſu identico. & materiali, ſed eſſet exponenda per verbum.* eſt, *ideſt ille, qui eſt muſicus, eſt ille, qui ædificat: & hic eſt ſenſus identicus, ſeu materialis, cum ſcilicet ſolum denotatur prædicatum conuenire ſubiecto, quatenus materialiter, & identicè idem ſubiectum habet vtranque perfectionem; quomodo eſt vera iſta,* album eſt dulce; *quia ſenſus eſt. idem ſubiectum, quod habet albedinem, habet dulcedinem.*

17 *Tertio, omnia nomina abſtracta, ſi ſint realiter diſtincta à ſuppoſito, importare ſolā formā: v. g.* albedo: *ſi verò nō ſint ab illo diſtincta realiter, importare quidē in recto ſuppoſitū, ſed ſolum materialiter, & identicè, quantū ſatis eſt, vt poſſit* abſtractū, *prædicari de concreto v.g.* ens eſt entitas. *Cæterum ex modo ſignificandi, vt habet S. Thomas citatus, non habere quod ſupponat pro ſuppoſito, Exemplum primi eſt* albedo, *quæ ſupponit ſolum pro forma. Exemplum ſecundi eſt* Eſſentia Diuina,

quæ

quæ propter identitatem, quam habet cum perſonis, poteſt de illis prædicari v.g: pater eſt eſſentia, *ex modo tamen ſignificandi ſupponit ſolum pro natura Diuina abſtracta, quod eſt valdè notandum. Nam, vt inquit S. Thomas,* ad veritatem locutionum non ſolum oportet conſiderare res ſignificatas, ſed etiam modum ſignificandi. *Vbi obiter aduerte hoc nomen:* Deus, *æquè immediatè ſignificare naturam Diuinam, & perſonas; & ſic de eodem dicitur quod ſit* trinus, *&* vnus; *vnus in eſſentia, trinus in perſonis.*

18 *Quarto; Omnes propoſitiones importantes* actionem notionalem *in Diuinis facere ſenſum formalem. Nomine* actionis notionalis *intelligitur actio productiua, vt* eſt, generare, ſpirare, *&c. Per huiuſmodi enim actiones diſtinguūtur perſonæ: & conſequenter principium formale immediatum non poteſt eſſe aliquid ſolum commune: nihil enim diſtinguitur ab alio per id, quod eſt idem cum illo. Quare hæc propoſitio;* eſſentia generat; *falſa eſt; quia, cum eſſentia de formali dicat naturam communem,* & generare *ſit verbum adiectiuum notionale faciens ſenſum formalem; denotaretur, quod eſſentia eſſet ratio formalis generãdi. Sicut in exemplo ſupra allato denotabatur, quod árs pingendi eſſet ratio formalis ipſius actionis pingendi,* Eſſentia *verò cum non ſit diſtincta à perſona genita, non poteſt illi conuenire ratio generandi, quia ſignificaretur, vt inquit S. Thomas citatus in fine corporis,* quod eſſet diſtinctio in eſſentia Diuina, ſicut eſt diſtinctio in ſuppoſitis. *Pro quartre.*

19 *Quinto, valdè notandũ eſt; quotieſcunque prædicatũ importat de formali aliquod repugnans immediato ſignificato ſubiecti, quod eſt abſtractũ talem*

lem propoſitionem eſſe falſam; quia tunc ſaltem ex modo ſignificandi ſubiectum non ſupponit pro alio formaliter, quã pro eo, quod exprimit. Quare hæc eſt falſa; albedo eſt nigra; *nam ſenſus eſſet, quod* albedo *eſſet ratio eſſendi nigrum; vera autem hæc;* album eſt nigrum; *quia ly,* album, *ſupponit immediatè pro ſuppoſito ex modo ſignificandi, illudque immediatè ſignificat, licet non explicet diſtinctè, & determinatè, quodnam ſubiectum ſit illud, cui non repugnat albedo, & dulcedo. Quare hæc propoſitio:* eſſentia generat *falſa eſt; quia, cum ly* generare, *importet diſtinctionem, quæ repugnat immediato ſignificato* eſſentiæ; *ideo non poterit de eſſentia affirmari, quod generet.*

20 *Ad argumentũ autem ſupra factũ de reſolutione huius propoſitionis, ſcilicet;* eſſentia generat. *dico non reſolui in hanc,* eſſentia eſt res generãs; *quia ly,* res, *eſt nomen commune eſſentiæ, & perſonis: at ly,* eſſentia *ex modo ſignificandi non dicit perſonam; reſolui ergo debet in hanc.* eſſentia eſt principium formale generationis. *& ideo* eſſentia generat, *eſt falſa. Nam omnis propoſitio reſolui debet ex parte prædicati in rectum, quod immediatè importat tale prædicatum ex ſupradictis propter ſenſum formalem, quem faciunt huiuſmodi propoſitiones; rectum autem huius prædicati,* generat, *eſt principium formale generãdi. ſi autẽ, cũ verè* eſſentia, *ſupponat pro ſuppoſito, licet non ex modo ſignificandi, velis reſoluere in hanc,* eſſentia eſt res generans, *debes addere,* eſſentia eſt res generans ſecundum rationem formalem eſſentiæ, *ſicut cũ dicitur,* muſicus canit, *ſenſus eſt,* muſicus eſt res canens, *ſecundum rationem formalem artis muſicæ, propter ſenſum formalem,*

malem, quę faciunt propoſitiones de verbo adiectiuo, & importante actum notionalem ex dictis: & ſic falſa etiam eſſet talis propoſitio, ſicut falſa eſt illa, eſſentia generat.

21 *His obiter adnotatis. Dici poteſt pro ſolutione completa quæſiti, termino in propoſitione conuenire ampliationem, ſeu reſtrictionem ſuppoſitionis; extra propoſitionem verò conuenire illi ſupponere ſinè addito. loquendo de ſupponere pro eo quod eſt poni pro alio, ſumendo verò* ſupponere, *pro eo, quod eſt exiſtere in propoſitione pro tempore importato per copulam, certum eſt conuenire illi ſolum, vt eſt in propoſitione; de quare mox dicemus.*

22 *Quæres ſecundo. Quid ſit argumentari à ſubiecto non ſupponente. Pro ſolutione*

23 *Notandum hunc modum dicendi eſſe inuentum ad explicandã falſitatem propoſitionis ortã non ex eo, quod nõ conueniat prædicatũ ſubiecto, ſed quod ponatur ſubiectum exiſtere, cum non exiſtat: v. g. hæc propoſitio;* Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedens gubernat eccleſiam, *eſt falſa, non quia gubernatio eccleſiæ Spiritui Sancto non conueniat, ſed quia non datur talis Spiritus Sanctus, qui à Patre ſolum procedat. Hoc poſito.*

24 *Prima ſententia eſt Villalpandi ſupra citati. Soti, & Bagnes loco item citato, & aliorum, qui cenſent; tunc propoſitionem eſſe falſam de ſubiecto non ſupponente, quando ſubiectum non habet exiſtentiam tempore importato per copulam & loquũtur de propoſitionibus de prædicato accidẽtali, vt habet Sotus, nam in alijs, per verbũ* eſt, *non importatur exiſtentia ſubiecti, ſed connexio eiuſdem cum prædicato, vt bene Sotus citatus cap. 10. lect. 3.* illæ inquit, pro-

poſitiones doctrinales ab omnibus antiquis conceduntur, etiam ſi nullus eſſet mundus, ſcilicet: omnis homo eſt rationalis, *&c. quæ non poſſunt eſſe verè, niſi terminis ſupponentibus naturaliter pro rebus non exiſtentibus. Et pro hac re citat Auguſtinũ, Albertũ, & alios.* *Concludit demum notabili* 10. Igitur, *inquit*, quando prædicatum eſt de intrinſeca ratione ſubiecti, verbum impeditur ratione illius habitudinis extremorum, ne reſtringat extrema ſecundum exigentiam illius temporis, quare tunc verbum dicit ſolum vnionẽ prædicati ad ſubiectum ſine ordine ad aliquam differentiam temporis, *& citat Ariſt. 4. phyſic. tex.* 120. illa, *inquit*, quæ aliter ſe habere non poſſunt, in tempore non ſunt. *Et in hac ſententia fusè proſequitur Sotus. Bagnes verò lib. 2. tract. 1. cap. 6. agens de ſuppoſitione naturali, ait, cum terminus ſupponit naturaliter, abſolui à tempore; ſupponunt autem naturaliter extrema cum conſtituunt propoſitiones æternæ veritatis: v.g.* homo eſt animal, *vel æternæ falſitatis:* vt, homo eſt lapis, *dicuntur autem hoc modo; quia earum veritas vel ſalſitas non eſt affixa alicui tempori; cum verò terminus ſupponit accidentaliter, tunc non abſolui à tempore, ſed vt verè ſupponat, debere exiſtere pro differentia temporis importata per verbum. Ex his patet, prædictos Autores velle applicare hunc dicendi modũ,* A ſubiecto non ſupponente, *ſolum terminis conſtituentibus propoſitionem accidentalẽ: de propoſitione autem negatiua non faciunt mẽtionem, quia ex dicendis clarè conſtat, illam*

non

non requirere existentiam ſubiecti.

25 *Secunda ſententia eſt, tunc dici argumentari à ſubiecto non ſupponente, quando aliquis arguit ex aliqua propoſitione tanquã conceſſa, cũ non ſit: vt ſi quis dicat* Supponamus Petrum eſſe honeſtum: *tunc ſic.* Omnis honeſtus, eſt dignus laude: Petrus eſt honeſtus: ergo Petrus eſt dignus laude. *Sed contra; tum primò, quia antequam fieret argumentũ, abſolutè negari poſſet prima propoſitio, cum tamen talis modus dicendi ſit inuentus ad detegendam fallaciam argumenti, ſeu propoſitionis in argumento, non extra illud: tum ſecundo, quia talis propoſitio eſſet abſolutè falſa; ex eò quod prædicatum non conueniat ſubiecto, non propter defectum ſubiecti; propter quem ſolum explicandum inuentus eſt talis modus dicendi. His poſitis.*

26 *Notandum certum eſſe, aliquas propoſitiones eſſe falſas, quia prædicatum non conuenit ſubiecto v.g. ſi de Petro ſedente, dicerem,* Petrus currit, *falſa eſſet; quia prædicatũ non conuenit* Petro: *item in propoſitionibus neceſſariis, propoſitiones nunquam eſſe falſas à ſubiecto non ſupponente in ſenſu iam explicato, quod ſubiectum non exiſtat: nam in ijs denotatur ſolum neceſſaria connexio prædicati cum ſubiecto, quæ non requirit exiſtentiam ſubiecti; ſunt enim propoſitiones, quas vocant* æternæ veritatis, *quæ præſcindunt ab exiſtentia. De propoſitionibus ergo in materia contingenti eſt difficultas, an importent exiſtentiam ſubiecti, & in hac re.*

27 *Dicendum breuiter propoſitiones affir-*

matiuas de tertio adiacente in materia contigenti de prædicato reali exiſtenti, circa quod ſubiectum exerceat aliquid, licet non importent expreſsè, & formaliter, aliam de ſecundo ex parte ſubiecti; importare tamen interpretatiuè, arguitiuè, ſuppoſitiuè, ſeu æquiualenter, quatenus reſolui poteſt in copulatiuam. Dixi in materia contingenti de prædicato reali exiſtente, *ad diſtinctionem propoſitionis in materia contingenti quidem, ſed quod prædicatum illud contingens, ſeu accidentale nihil tribuit ſubiecto, niſi extrinſecam denominationem, v. g.* Antichriſtus eſt cognitus, *prædicatū* cognitus *nihil tribuit Antichriſto, & ſic non requrit in illo exiſtentiā; in hac vero,* Petrus eſt albus, *quia albedo realiter exiſtens afficit actu Petrum, requiritur, vt ſubiectum Petrus exiſtat. quo poſito illa propoſitio. v. g.* Petrus eſt albus *æquiualet huic.* & Petrus exiſtit, & idem eſt albus. R*atio autem, cur talis propoſitio affirmatiua de prædicato accidentali æquiualeat copulatiuæ, eſt; quia requiritur exiſtentia ex parte ſubiecti: cur autem requiratur exiſtentia, eſt, quia requiritur ex parte prædicati, cum quo ſubiectum habens identitatem, non poteſt idem ſubiectum non exiſtere; cur item prædicatum debeat exiſtere, ratio eſt, quia cum importet de formali formam accidentalem, & accidens non poſſit eſſe niſi per informationem, ſeu adhærentiam actualem in ſubiecto; conſequenter ſi ſit prædicatum importans formam accidentalem actualem, circa quam ſubiectum exercet aliquod munus, debet eſſe actuale, & exiſtens*

& in

& in hoc fundatur regula Sūmuliſtarum infra tradenda; quod ad hoc vt ſit vera copulatiua, debet vtraque pars eſſe vera: propoſitionem autem affirmatiuam de prædicato contingenti actuali æquiualere copulatiuæ modo probauimus: ergo ad hoc vt ſit vera affirmatiua de prædicato accidentali, debet ſubiectum ſupponi exiſtens. Ex hoc colligitur contraria ratione, cum per negationem tollatur identitas prædicati cum ſubiecto; vt ſit vera propoſitio negatiua, ſufficere ſi vna pars ſit vera; vnde infertur, propoſitionem contradictoriam tali affirmatiuæ æquiualere diſiunctiuæ: diſiunctiua autem, vt ſit tota vera, ſatis eſt, ſi vna tantum pars ſit vera; quare vera eſt hæc. Si ego ſim in ſchola, vel ego ſum in ſchola, vel Deus non eſt in mundo, *quia prima pars eſt vera. Ad rem noſtram. ex his propoſitionibus contradictorijs*, Antichriſtus eſt crudelis, Antichriſtus non eſt crudelis: *ex regulis contradictoriarum, cum prima reſoluatur in copulatiuam, vt mox dicemus ratione particulæ coniunctiuæ, &, quæ æquiualet vniuerſali: ſecunda reſolui debet in diſiunctiuam, quæ æquiualet particulari. Quare ſeruando eoſdem terminos per mutationem affirmationis in negationem, & particulæ copulatiuæ in diſiunctiuam, ſi prima affirmatiua æquiualet huic copulatiuæ ſcilicet*, & Antichriſtus exiſtit, & eſt crudelis, *ſecunda contradictoria negatiua æquiualebit huic diſiunctiuæ; ſcilicet*, vel Antichriſtus non exiſtit, vel Antichriſtus non eſt crudelis, *quæ vera tota eſt, quia prima pars*

eſt vera; ſcilicet, Antichriſtus non exiſtit. Eadem regula habet locum in propoſitionibus categoricis contradictorijs, vniuerſali affirmatiua cui æquiualet copulatiua affirmatiua; & particulari negatiua, cui æquiualet diſiunctiua negatiua: v.g. ad hoc vt ſit vera iſta; omnis homo eſt animal; *debent ſinguli eſſe animal: vt autem ſit vera iſta*; aliquis homo non eſt animal, *ſatis eſt, quod vnus tantum non ſit animal; eò quod vniuerſalis affirmatiua reſoluatur in copulatiuam*: & hic eſt animal, & ille, & ille *&c. Particularis verò negatiua in diſiunctiuam: v.g.* vel hic homo nō eſt animal, vel ille *&c. Vbi vides hanc negatiuam non negare de ſingulis hominibus quod ſunt animal, ſed de vno ſub diſiunctione: Nam contradictoria immediatè ſolum negat vniuerſalitatem, quæ ſufficienter intelligitur negata, ſi vna pars illi deſit: v.g. in exemplo allato, ad veritatem huius propoſitionis;* aliquis homo non eſt animal, *ſatis eſt, quod vnus non ſit animal, etiam ſi alij omnes eſſent animal, quia per hoc tollitur illa vniuerſalitas, quã per copulationem explicabatur modo dicto. Breuius reſponderi poſſet, primam propoſitionem* Antichriſtus eſt crudelis, *eſſe falſam; quia ſenſus eſt, nunc de facto crudelitas ineſt Antichriſto: Secundam eſſe veram,* Antichriſtus non eſt crudelis, *quia ſenſus eſt, nunc de facto crudelitas Antichriſto non conuenit. Placuit tamen addere ſupra dicta, quia ex ijs multarum propoſitionum veritas, vel falſitas dignoſcetur.*

28 *Collige denium, poſſe retineri communē vſum*

vſum loquendi; quod aliquando propoſitio ſit falſa à ſubiecto non ſupponente: intelligendo tamen de ſuppoſitione, non prout eſt ſubſtitutio loco alterius; qua ratione non poſſunt termini nõ ſupponere, cum hoc modo ſupponant etiam extra propoſitionem; ſed de ſuppoſitione terminorum in propoſitione importante exiſtentiã ſubiecti ratione prædicati accidentalis, & affirmata copulæ: quod eſt idem, ac eſſe propoſitiones falſę ſuppoſitionis, *vt volũt Auctores ſupra citati, qui diſtinguũt iſtas duas ſuppoſitiones: & primam ſcilicet cum ſuppoſitio accipitur pro ſubrogatione loco alterius, appellant ſuppoſitionem terminorum; ſecundam verò, cũ ſuppoſitio accipitur pro eò, quod eſt ſubiectum exiſtere pro exigentia temporis importati per copulam, vocant ſuppoſitionem propoſitionis.*

CAPVT OCTAVVM,
Quotuplex ſit ſuppoſitio.

1 Diuiditur primo ſuppoſitio in materialẽ & formalẽ Prima rurſus in materialem intrinſecam, & extrinſecã; *Intrinſeca* eſt ex Tolet.lib.2.c.1.*vſus termini pro ſe ſecundũ id quod ſibi naturaliter ineſt*, ideſt cum accipitur pro ſuo materiali ſono: quomodo diximus terminum ſignificare naturaliter, quod faciat venire in cognitionem ſolius ſoni materialis; dicitur autem *intrinſeca*, quia non pendet ab alio extrinſeco, v. g. cum dicitur. *homo eſt vox*, ly, *homo*, ſupponit materialiter intrinſecè pro tali ſono; quæ ſuppoſitio conuenit

etiam termino non ſignificatiuo: v.g. *Bliti-ri eſt vox: Extrinſeca ſuppoſitio eſt vſus termini pro ſe ſecundum id, quod ei prœuenit ab intellectu*, & conuenit ſolum terminis ſignificatiuis: v.g. *homo eſt nomen*, *amo eſt verbum*. Atque hæc ſuppoſitio eſt materialis, quia tam ly *homo*, non accipitur pro habente naturam humanam, quam ly, *amo*, non accipitur pro exercitio amoris: ſed accipiuntur pro talibus vocibus, quæ tali modo inflectuntur. Eſt etiam hæc ſuppoſitio extrinſeca, quia potuiſſet eſſe talis ſonus, *homo*, & non eſſe nomen. Videat, qui velit aliquas regulas huius ſuppoſitionis apud Sotũ lib. 2. Summ. cap. 10. lect. 2. Fonſec. lib. 8. Summ. cap. 21. *Formalis ſuppoſitio* eſt ex Toleto citato *vſus termini pro ſuo ſignificato* Dicitur autem formalis ex Soto ibidem, quia forma termini eſt ſignificatio. *Et ideò*, inquit, *quando non tenetur ſignificatiuè, non tenetur formaliter, ſed materialiter*.

2 Diuiditur ſecũdo formalis in impropriã, & propriã. Prima eſt ex Soto, & Tolet. citatis *vſus termini pro re, quam impropriè ſignificat*, ideſt ad quam ſignificandam per ſimilitudinẽ, vel aliquam figuram à propria transfertur, vt cum oſtendendo imaginem hominis dico, *hic homo eſt pictus*; & Chriſtum appellamus *Leonem*; & hominem crudelem *Neronem*. *Propria eſt vſus termini pro re, quam propriè ſignificat*, ideſt, ad quam ſignificandam primo eſt nomẽ impoſitum; vt *homo* pro ſuppoſito habente naturam humanam. Sotus citatus primo diuidit ſuppoſitionem in propriam, & impro-

impropriam, deinde in materialem, & formalem; quia putat ſuppoſitionem materialem eſſe propriam. Sed verè ſuppoſitio tam propria, quàm impropria videtur importare ſuppoſitionem formalem, quæ eſt acceptio termini pro re ſignificata: cum ergo vtraque iſta ſuppoſitio ſumatur pro re ſiue translatè, ſiue propriè; & ſuppoſitio materialis non ſit acceptio termini pro re, non videtur contineri ſub ſuppoſitione propria, ſed benè tam propria, quam impropria ſub formali.

3 Diuiditur tertio propria ſuppoſitio in ſimplicem, & perſonalem. Circa hanc diuiſionem multa congerunt Sotus citatus, & Hurtadus in diſputatione ſecunda Summ. Sect. 3. Suppoſitio perſonalis deriuatur à *perſona*; *perſona* verò propriè eſt ſuppoſitum naturæ rationalis; hic autem nomine *perſona* intelligitur quodlibet indiuiduum ſingulare, ſeu nomen ſubſtantiuum, etiam abſtractū, vt cum dicitur. *albedo diſgregat viſum*, intelligitur hæc albedo ſingularis: vt benè notat Bagnes lib. 2. Summ. tract. vnic. cap. 3. vbi aduertit ex S. Thoma in tertium ſent. diſt. 1. q. 2. ar. 5. ad quartum: *perſonam*, à qua denominatur ſuppoſitio perſonalis, non accipi vt ſuppoſitum naturæ ſubſtantialis, ſed vt importat ſuppoſitum locutionis, quomodo hoc nomen *albedo* accipitur pro ſuis ſuppoſitis, ſcilicet pro hac, & illa albedine, quæ ſingulares qualitates, ſunt ſuppoſita illius termini communis logicè loquendo de ſuppoſito reſpectu albedinis in communi, in abſtracto ſignificatæ.

4 Toletus lib. 2. c. 1. ita definit vtramque ſuppoſitionem. *uppoſitio ſimplex eſt vſus termini pro ſuo tantum immediato ſignificato*, ideſt pro re, quam primò ex ſe repræſentat. *Perſonalis eſt vſus termini pro ſuo mediato ſignificato*. Hæ definitiones, vt iacent, videntur ſubobſcuræ: vnde ipſemet Toletus ſub ſuppoſitione perſonali comprehendit etiam ſuppoſitionem termini ſingularis, perſonaliter tamen accepti, vt ipſe ait, v.g. *Petrus currit*; Petrus in tali propoſitione non videtur poſſe ſupponere pro alio mediato ſignificato, ſed ſolum pro ſe immediatè: ergo definitio ſuppoſitionis ſimplicis huic termino videtur conuenire. Propterea addit Toletus; tunc terminum ſingularē ſupponere perſonaliter, cum prædicatum, quod illi tribuitur, conuenit etiam termino communi; & ſic habere ſuo modo mediatum ſignificatum. Cum verò prædicatum illius termino communi non poteſt conuenire, tunc terminū ſingularē ſupponere ſimpliciter; v.g. in exemplo allato *Petrus currit*, ly, *Petrus*, ſupponere perſonaliter, quia poteſt inferri, *ergo homo, ergo animal currit*; cum autē dicitur, *Petrus eſt indiuiduū*, tunc *Petrum* ſupponere ſimpliciter, quia nō poteſt inferri, *ergo homo eſt indiuiduum*. Idem habet Sotus, qui propterea ait, tunc terminum ſupponere ſimpliciter, cū ſupponit *immobiliter*. Verùm huic doctrinæ nō poſſum acquieſcere: nam quis vnquam dicet in hac propoſitione; *Petrus currit*; ly, *Petrum*, non accipi pro ſuo immediato ſignificato? quod adeo verum eſt, vt, quotieſcumque propoſitio

tio eſt de huiuſmodi prædicatis accidentalibus etiam ſi ſubiectum ſit terminus communis: tamen accipi debeat pro ſingularibus: imò hoc ipſum quod eſt terminum commune ſupponere in huiuſmodi propoſitionibus perſonaliter, ſeu med atè, non poteſt cõſiſtere, niſi dicendo, quod, quando propoſitiones ſunt de termino ſingulari, talis terminus ſupponat pro ſuo immediato ſignificato: & in tantum ex ea propoſitione, quæ dicit, *Petrus currit* poteſt inferri, ergo *homo currit*: in quantum eſt verum qnod *homo* ſupponit perſonaliter, hoc eſt mediatè, ſcilicet pro ſingularibus hominibus. His poſitis.

5 *Suppoſitio ſimplex ita poſſet definiri, eſt vſus termini pro ſuo immediato ſignificato tantum, vt ſubeſt conceptui, à quo accipit denominationem*. Definitio clara eſt, & comprehendit omnes terminos ſecundæ intentionis, qui in recto ſignificant rem, & in obliquo tanquam formam, conceptum: taliter ſupponit *homo* in hac propoſitione; *homo eſt ſpecies*; vbi ly, *homo* in recto & tanquam aliquid materiale dicit naturam: in obliquo verò dicit talem cõceptum, qui appellari poteſt *ſpecieitas*, quæ eſt ratio conſtitutiua ſpeciei, ſicut *albedo* eſt ratio conſtitutiua *albi*, & differt hæc ſuppoſitio à ſuppoſitione materiali extrinſeca, quia illa ſupponit ſolũ pro materiali ſono, iſta vero, de qua hic agimus, ſupponit pro re, vt ſtat ſub illo conceptu.

6 *Suppoſitio perſonalis eſt vſus termini pro ſuo mediato ſignificato, ſi ſit terminus communis, immediato verò ſi ſit ſingularis ſe-*

eundum quod illi conuenit à parte rei. Pro explicatione. Sciendum in communi vſurpatione, tunc terminum dici ſupponi perſonaliter in aliqua propoſitione, cum prædicatum illius non poteſt conuenire, niſi ſingularibus & exiſtentibus: cuiuſmodi eſſe diximus omnia prædicata accidentalia & contingentia. Nam cum huiuſmodi prædicata requirant exiſtentiam ſubiecti, conſequenter ſubiectum illorum non poteſt ſupponi niſi pro ſingularibus. Quare in omnibus propoſitionibus in materia contingenti, ſi ſubiectũ ſit terminus communis, ſupponit perſonaliter, vt etiam ſupponit, ſi ſubiectũ ſit ſingulare: & quia ſingularia ex dictis ſunt ſignificatum mediatum termini communis, conſequenter in huiuſmodi propoſitionibus, ſi ſubiectum ſit terminus communis, ſupponet mediatè, ſi ſingularis, immediatè. Vnde rurſus infertur nunquam terminum communem poſſe ſupponere pro ſuo immediato ſignificato in his propoſitionibus; quia ſemper ſupponere debet pro ſingularibus. Quo poſito patet definitio ſupra allata. In qua addidi *pro ſuo mediato ſignificato, ſi ſit terminus communis*, quia per illas explicatur propria ratio ſuppoſitionis perſonalis, quatenus deriuatur à perſona, ſeu ſuppoſito, quod, ex doctrina ſupra allata S. Thomæ, Soti, & Bagnes, conuenit ſingularibus, quæ ſunt ſignificata mediata termini communis.

7 Fonſeca citatus c. 26 affert aliã acceptionẽ ſuppoſitionis, quam vocat *abſolutã, qua eſt vſus termini pro ſuo mediato & immediato ſignifica-*

gnifica-

gnificato. Pro qua ſciendũ, eſſe aliquas propoſitiones in quibus prædicatum neceſſariò cõuenit ſubiecto: v.g. *homo eſt animal*: item eſſe alias, in quibus prędicatũ nullo modo conuenit ſubiecto: v g. *homo eſt lapis*. In his autẽ omnibus ſubiectum ſupponere tam pro ſuo immediato, quam pro mediato: vt in exemplis allatis, ly *homo*, ſupponit pro habẽte naturã humanam in communi, & pro ſingulis hominibus; eo quod & *animal* ſit de eſſentia illius, & *lapis* repugnet naturæ humanæ. Quare tam homini in communi, vt ſtat ſub illo conceptu, quam ſingulis, talia prædicata conueniunt, vel non conueniunt. Ex his patet quomodo ſuppoſitio abſoluta differat, à perſonali, & ſimplici.

8 Diuiditur quarto ab aliquibus *ſuppoſitio* in communem, & diſcretam. Et *Diſcreta* eſt ex Toleto *vſus termini ſingularis perſonaliter accepti*. *Communis* verò *eſt vſus termini communis pro ſuis inferioribus*. Sed hæc diuiſio videtur ſuperflua; nam prima eſt ipſiſſima ſuppoſitio perſonalis ſecundum eam partem, qua comprehendit terminos ſingulares. Secunda reducitur ad abſolutam, & perſonalem. Nam ſi ſermo ſit de propoſitionibus prædicati accidẽtalis *Homo currit*, reducitur ad perſonalem: ſi verò ſit de prędicato eſſentiali v.g. *Homo eſt animal*, reducitur ad abſolutam. Terminus autem, *Deus*, non habet ſuppoſitionem propriè communem, ſeu abſolutam, quia non habet propriè inferiora, in quibus plurificetur ex dictis.

9 Diuiditur quinto ſuppoſitio in naturalẽ & acci-

& accidentalem. Ita Toletus citatus, Fonſeca citatus c. 28. Bagnes citat. c. 4. qui poſtremus multa notatu digna in hac diuiſione affert. *Naturalis eſt vſus termini pro omni ſuo inferiori ſignificato*: vt *omnis homo eſt animal. Accidentalis eſt vſus termini pro inferioribus ſecundum exigentiam temporis, quod importatur per copulam ſuæ propoſitionis*: v.g. *homo ſcribit*: ly *homo*, ſupponit pro ſingularibus exiſtentibus. Nomine autem *accidentis* intelligitur quodcunque prædicatum cõtingens, ideſt, ſine quo poteſt eſſe ſubiectũ. Quare in hac propoſitione; *homo exiſtit*; ly, *homo*, ſupponit accidentaliter; quia contingens eſt, quod aliquis homo exiſtat: Vbi aduerte ex Bagnes citato eodem modo debere ſupponere ſubiectum, ac prædicatum, ideſt, vel vtrunque accidentaliter, vel vtrunque naturaliter.

Appendix I. Gen.

10 A*It Bagnes cit. in hac propoſitione*; animal eſt homo; *licet prædicatum non conueniat neceſſariò omni ſubiecto; & ſic imitetur naturam contingentis: tamen quia verificatur homo de aliquo animali, & eſt de intrinſeca ratione illius*, *ly*, animal, *ſupponere naturaliter. Nam talis propoſitio benè infertur ex præmiſſis naturalibus in* Darapti; omne riſibile eſt homo, omne riſibile eſt animal: ergo animal eſt homo. *Sed contra eſt; primo, quia non infertur ex his præmiſſis concluſio indefinita, ſed particularis*

ris; ſcilicet, ergo aliquod animal eſt homo; *quia*, *ly* animal; *nunquam eſt diſtributum in præmiſſis; & ſic concluſio debet eſſe particularis; ſecundo nec concluſio eſt naturalis in hoc ſenſu, quod prædicatum vel magis latè pateat ſubiecto, vel ſaltem æquè latè pateat, quod requiritur ad prædicatione naturalem: nam, vt vides ſubiectum magis latè patet quã prædicatum: nec eſt abſurdum, quod ex præmiſſis naturalibus ſequatur cõcluſio innaturalis; vt nõ repugnat, quod ex præmiſſis directis ſequatur cõcluſio indirecta, præſertim cũ tertia figura non ſit perfecta vt prima. Si autẽ nomine propoſitionis naturalis intelligatur propoſitio neceſſaria, concedo illam concluſionem eſſe neceſſariam; quia neceſſarium eſt aliquod animal eſſe hominem, hoc ipſo quod neceſſario omnis homo ſit animal; atque hoc eſt quod videtur velle* Bagnes, *cum ait illam propoſitionem eſſe naturalem. Quanquam hæc doctrina tangat difficultatem infra examinãdam, an ex præmiſſis neceſſariis ſequi poſsit propoſitio contingens.* Pro pleniore *autem intelligentia huius ſuppoſitionis*

11 Notandum *Sotum citat. lect. 3. notab. 4. tribuere etiam termino ſingulari ſuppoſitionem naturalẽ in propoſitione de prædicato neceſſario; v.g.* Petrus eſt homo; Petrus eſt animal. *Verum cum* Petrus; *& alia nomina ſingularia importent exiſtentiam contingenter, eò quod omnes creaturæ non neceſſario exiſtant: conſequenter non neceſſariò illi conuenire videtur. Quare ly* Petrus, *ſupponit accidentaliter: quod inde clarius patet, quia*

cum

cum talis propoſitio ſit de tertio adiacente, & ſubiectum includat exiſtentiam; importabit ex parte eiuſdem ſubiecti aliam propoſitionem de ſecundo adiacente; & ſic reſoluetur in iſtã copulatiuam; & Petrus exiſtit, & eſt animal: *copulatiua verò tota contingens eſt, ſi pars ſit contingens: vt communiter notant Sumuliſtæ. Cum autem prima pars ex dictis ſit contingẽs, tota contingens erit. Non negarem, quod ſi ly* Petrus *acciperetur pro indiuiduo, non actu exiſtente, ſed pro aliquo homine; tunc supponeret naturaliter: ſed tunc ratione prædicati neceſſarij quod conueniret termino communi dici poſſet pertinere ad ſuppoſitionem abſolutam reductiuè, quatenus nec eſſet perſonalis, qualem eſſe diximus propriam terminorum in propoſitione de prædicato accidentali, in qua prædicatum non poteſt verificari, niſi de ſingularibus exiſtentibus: nec eſſet ſimplex, quia non ſupponeret terminus prout ſubeſt conceptui, ſed pro re; ad abſolutam ergo reducetur.* Dico, *reducetur, quia, cum ſit terminus ſingularis, habet ſolum ſupponere immediatè: ſuppoſitio verò abſoluta propriè dicta, eſt vſus termini pro immediatò, & mediato ſignificato.*

12 *Ex his colligitur huius etiam diuiſionis primam partem reduci ad abſolutam, ſecundam ad perſonalem, vt patet ex dictis.*

CA.

CAPVT NONVM.

De ſuppoſitione terminorum ratione ſyncategorematis.

1 NOmine *ſyncategorematis* intelligitur ſignum aliquod ex ſe nullius rei determinatè ſignificatiuum, ampliantis, vel reſtringentis ſignificationem, & ſuppoſitionem termini, cui affigitur: v. g. *aliquis homo*, reſtringit terminum *homo*, vt ſupponat ſolum pro vno, ſed indeterminatè; *omnis homo*, ampliat eundem terminum *homo*, vt ſupponat pro pluribus, & ſingulis. Definiri ergo poterit *ſyncategorema eſſe dictionem indicantem vniuerſalitatem, vel particularitatẽ termini communis. cui affigitur.*

2 Multæ enumerantur tales dictiones à Sumuliſtis, quæ in duas claſſes diſtribui poterunt.

3 Prima eſt earum, quæ indicant vniuerſalitatem, & ſunt *omnis nullus, neuter, vterque duo, tres &c.* item particulæ coniunctiuæ, *&, nec, ſemper nunquam, nullibi*, &c. ſecunda eſt earum dictionum, quæ indicant particularitatem, & ſunt, *aliquis, alterute, alter, vel, nonnullus, aliquando, alicubi, hic*, item pronomen *hic, Ille*, &c.

4 Diuiditur primo ſuppoſitio termini cõmunis affecti ſigno vniuerſali in collectiuã, ſeu copulatiuam, & diſtributiuam. Prima eſt, *cum terminus communis ſumitur pro omnibus*

bus ſignificatis ſimul ſumptis: v. g. *omnes Apoſtoli ſunt duodecim;* vbi ly, *Apoſtoli*, ſupponuntur pro ſingulis ſimul, non ſeorſim ſumptis: vnde non valet; *Petrus, & Andreas ſunt Apoſtoli; ergo ſunt duodecim*. Diſtributiua, ſeu diſtributa ſuppoſitio eſt, cum terminus communis accipitur pro omnibus inferioribus ſignificatis ſeorſim ſumptis: v. g. *omnis homo eſt animal*; ly *homo*, ſupponit diſtributiuè; nam poteſt dici de ſingulis hominibus. quod ſint animal.

5 Rurſus diſtributiua ſuppoſitio; alia eſt diſtributiua ſimpliciter, cum terminus communis ſumitur pro ſingulis inferioribus nullo excepto, vt in exemplo allato; alia eſt diſtributiua accommoda, in qua excipitur vnum ex ſignificatis; v. g. *cœlum tegit omnia corpora*, intelligitur excepto cœlo; tertia dicitur incompleta, quando terminus communis accipitur pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generū: v. g. *omne animal fuit in Arca Noe*. ſenſus eſt, quod ſingula genera animalium, non verò quod ſingula indiuidua ſingulorum generum fuerint in arca Noe.

6 Diuiditur ſecundo ſuppoſitio termini cōmunis affecti ſyncategoremate particulari in confuſam, & determinatam. confuſa eſt vſus termini communis disiunctim accepti pro inferioribus, pro nullo tamen determinatè, quæ ab alijs propterea dicitur vaga: v g. *aliqua nauis eſt neceſſaria ad nauigandum*; ly, *nauis*, pro nulla determinata ſupponitur Suppoſitio determinata eſt vſus termini

ni communis pro ſuis inferioribus diſiũctiuè acceptis, ita vt prædicatum verificetur de vno determin.to cõtento ſub ſubiecto illius propoſitionis: v.g *aliquis diſcipulus habet annulum*: ſi ſint centum diſcipuli, quorum vnus tantum habeat annulum, poteſt enumerando omnes, deueniri ad vnum, de quo verifi. cetur prædicatum habendi annulum; in quo differt à prima, quod illa nullum determinatum requirit, de quo prædicatum illius propoſitionis verificetur.

Appendix II. gen.

7 Q*Vares vnde oriatur diuerſitas* ſuppoſitionis confuſæ, & determinatæ.

8 R*eſpondetur oriri ex eo, quia prima ſuppoſitio eſt de termino communi ita ſupponente pro inferioribus, vt in ſingulis ſit ſufficiens fundamentum, vt de iis verificetur prædicatum*: v.g. aliqua nauis eſt neceſſaria ad nauigandum; *potentia ad nauigandum, in qua fundatur neceſſitas prædicati, in qualibet naui reperitur. Habere verò annulum vni tantum conuenit. Cuius diſtinctionis vlterior ratio fundamentalis eſt: quod quotieſcunque propoſitio eſt de prædicato contingenti quidem, ſed potentiali, hoc eſt non exiſtente, ſubiectum ſupponit ſolum confusè, & non eſt neceſſe, vt ratione vnius determinati verificetur prædicatum. Quotieſcunque verò propoſitio eſt de prædicato item contingenti, ſed actuali, & exiſtenti; tunc ſupponit ſubiectum determinatè, & prædicatum verificatur de*

vno

vno determinato: v. g. in exemplis allatis; in primo ſuppoſitionis confuſa; quia neceſſitas nauigandi non importat actualem nauigationem, non requirit actualem nauim, & conſequenter nec determinatam, de qua prædicetur; vt requireretur, ſi dicerem, nauigo, *in ſecundo exemplo ſuppoſitionis determinatæ: quia habere annulum eſt prædicatum actuale, requirit actuale ſubiectum, & conſequenter determinatũ, de quo verificetur. Diuerſitas autem harum propoſitionũ infra explicabitur, cũ de reſolutione ſuppoſitionis.*

8 Pro *vlteriore cognitione, & vſu harum propoſitionum. Notandum primo in omni propoſitione indefinita ſubiectum ſupponere vel confusè, vel determinatè: confusè ſi ſit de prædicato potentiali, determinatè, ſi ſit de prædicato actuali, in propoſitione vero impoſsibili negatiua ſubiectũ ſupponere diſtributiuè: v. g.* homo nõ eſt lapis; *ly*, homo, *ſupponit pro ſingulis. Alia exempla habes in ſuperioribus. In quacunque autem materia eo genere ſuppoſitionis ſubiectum in propoſitione ſupponit, quod importat ſignum, à quo afficitur*; diſtributiuè *quidem, ſi ſit ſignum vniuerſale numeri ſingularis:* determinatè *verò, ſeu* confusè, *ſi ſignum ſit particulare. Quare in iſta propoſitione materia contingentis:* omnis homo currit; *ly*, homo, *ſupponit pro ſingulis.*

9 *Notandum ſecundo pro vſu ſupradictarum dictionum: primo, ly* omnis, *ſemper ſupponere diſtributiuè, modò non ſonet idem ac totum; vt Ioannis 8.* omnis populus venit ad eum; *vbi ly*, omnis, *non ſumitur diſtributiuè*

pro

pro ſingulis populis, ſed ſolum pro populo, qui erat vbi Christus erat. omnes *verò in plurali aliquando etiam collectiuè, vt;* omnes Apoſtoli ſunt duodecim. *Et idem dicendum de alijs particulis indicãtibus pluralitatem, vt ſunt omnes dictiones numerales, particula,* Et, *&c. ſecundo ly,* Nullus, *& cæteras particulas negatiuas ſemper ſupponere distributiuè, vt alias particulas vniuerſales indicantes tempus, & locum. tertio ly;* Aliquis, *& alias particulas ſignificantes particularitatē, ſemper ſupponere vel confuſè, vel determinatè iuxta regulam ſupra traditam de prædicato potentiali, vel actuali. quarto ſigna demonstratiua, quatenus indicant ſingularitatem, ſolum terminis ſingularibus conuenire, ſiue ſupponant ſimpliciter, ſiue perſonaliter: v.g.* hic homo eſt indiuiduum ſubijcibile: *ſeu* hic homo currit. *Aduerte ly,* Nulli, *ſignificare negationem ſingulorum binariorum ad minus. Quare etiam ſi vnus tantum curreret, eſſet vera propoſitio;* nulli homines currunt. *Item ſi vnus tantum curreret, non futuram veram propoſitionem;* aliqui homines currunt, *quia ly,* aliqui, *ſupponit ad minus pro binario. Sed de his fuſius infra.*

10 N*otandum tertio. Quoniam diximus aliqua ſigna ſupponere* copulatim, *alia* diſtributiuè: *rurſus alia modò* diſtributiuè, *modò* collectiuè *ſupponere. Pro his vltimis dignoſcendis de quibus poteſt eſſe difficultas hanc tradi regulam* Primo *pro particula,* Et, *quotieſcunque in propoſitione in qua eſt talis particula, replicari poteſt prædicatum, vel ſaltem*

copula, tunc ſupponere diſtributiuè, & uniuerſaliter: cum verò non poteſt, tunc facere ſenſum collectiuum & coniũgere partes ſubiecti, vel prædicati. Exemplum primi eſt; Petrus & Paulus ſtudet: *hæc propoſitio poteſt reſolui in duas, repetendo verbum, ſcilicet:* & Petrus ſtudet, & Paulus ſtudet. *Exemplum ſecundi eſt* Petrus, & Paulus ſunt duo; *hæc propoſitio non poteſt reſolui in duas; non enim poteſt dici,* Petrus eſt duo, Paulus eſt duo. *Idem dicendum de aliis ſignis numeralibus*, vterque, Duo, Binarium, *&c. Præterea addendum pro ſyncategoremate*, omnes, *cum etiam reſoluatur per particulam*, Et; *tunc ſupponere diſtributiuè, cum ad replicationem ſubiecti repeti poteſt prædicatum, & copula: v.g.* omnes diſcipuli ſtudent; *ly*, omnes, *ſupponere diſtributiuè; quia ita reſolui poteſt hæc propoſitio:* hi diſcipuli ſtudent, & illi, & illi, *&c. Cum verò ad replicationem ſubiecti prædicatum non replicatur, tunc ſupponere collectiuè; vt in exemplo trito;* omnes Apoſtoli ſunt duodecim.

11 *Notandum quarto. Pro pleniore notione horum ſignorum: primo ſubiectum, cui eſt affixum ſignum vniuerſale ſupponere diſtributiuè in propoſitione affirmatiua; prædicatum verò non ſupponere diſtributiuè, ſed determinatè, ſeu confusè: v.g.* omnis homo eſt animal; *ly* homo, *ſupponit pro ſingulis: ly* animal, *verò pro aliquo; ſecundo quando ſubiectum in propoſitione affirmatiua notatur aliquo ſigno particulari, tunc nec ſubiectum, nec prædicatum ſumi diſtributiuè, ſed vel confusè, vel de-*

determinatè: v. g. aliquis homo eſt albus; *vagè ſumitur vtrunque. tertio quando ſubiectum eſt notatum ſigno vniuerſali negatiuo, tũc ſubiectum, & prædicatum ſumi diſtributiuè:* v g. nullus homo eſt lapis. *quarto quando negatio ponitur ante copulam, tunc diſtribui prædicatum, non ſubiectum:* v. g. aliquis homo non eſt albus: *ſenſus eſt, quod alicui homini nulla albedo conueniat. Per hanc regulam non intendo aliquid mutare ex ijs, quæ ſupra dixi, quod propoſitio indefinita in materia neceſſaria, ſeu impoſſibili æquiualeat vniuerſali, ſed ſolum hic explico vim ſignorũ. Si autem negatio ponatur ante ſubiectum, tunc ſubiectũ infinitari modo ſupra explicato, & propoſitionem eſſe affirmatiuam: ſi vero ſumatur negatio neganter, æquiualere propoſitioni negatiuæ modo dictae:* v g. non aliquis homo ſtudet; *poteſt habere vtrunque ſenſum; quod aliquid, quod nõ eſt homo ſtudeat; & quod nullus homo ſtudeat.* Demum, *quando negatio praeponitur ſubiecto notato ſigno vniuerſali:* v. g. non omnis homo eſt animal: *tunc immutari totum ſenſum propoſitionis; & ſubiectum, quod ante ſupponebat diſtributiuè, nunc ſupponere determinatè, ſeu confusè: praedicatum verò, quod ſupponebat determinatè, nunc ſupponere diſtributiuè & totam propoſitionem aequiualere huic;* aliquis homo non eſt animal; *quod oritur à natura negationis, quae, cum ſit malignantis naturae, immutat totum, quod eſt poſt ſe, ponendo eius oppoſitum, vt vides in exemplo allato.*

12 N*otandum quinto primo omnes caſus*

obli-

obliquos ſupra quos cadit particula exceptiua ſupponere diſtributiuè : omne animal præter belluā eſt rationale, *ly* bellua *ſupponit diſtributiuè, ideſt quod neq. hac, neq; illa, nec qualibet alia ſit rationalis. Item ſecundo, omnem particulam determinatiuam, ſeu excluſiuam immediatè affixam ſubiecto diſtribuere prædicatum, quod per conuerſionem tranſire poteſt in ſubiectum cum ſigno vniuerſalitatis ipſius ſubiecti : v.g.* tantum homo loquitur; *ita conuerti poteſt* omne, quod loquitur eſt homo. *tertio nullum terminum communem ſigno particulari, vel vniuerſali notatum ſupponere ſimpliciter, ſed vel abſolutè, vel perſonaliter; quia terminus talibus ſignis notatus non accipitur pro ſuo tantum immediato ſignificato, ſed etiam pro mediato; quod eſt contra rationem ſuppoſitionis ſimplicis ; v.g.* aliquis homo eſt animal, *ly*, aliquis homo, *non poteſt ſupponere ſimpliciter. quarto omnem terminum communem, ſub quo non licet deſcendere, ſupponere ſimpliciter : vt è contra, ſub quo licet deſcendere. ſupponere vel abſolutè, vel perſonaliter : v.g.* homo eſt ſpecies ; *ly* homo *ſupponit ſimpliciter quia non licet deſcendere,* Petrus eſt ſpecies, Paulus eſt ſpecies, &c. *In hac verò alia*, homo ſtudet, *ly* homo *ſupponit perſonaliter; quia licet deſcendere*, vel Petrus ſtudet, &c.

13 *Sed contra in hac propoſitione;* aliquod animal eſt ſpecies, *quæ ſanè videtur bona, ly* animal *ſupponit ſimpliciter, & tamen eſt notatum ſigno particulari, ergo, &c. Reſpondetur ex Hurtado diſput. 2. ſumm. ſect. 3.*

hanc

hunc terminum ſupponere ſimpliciter, imo infert cõtra Fonſ. lib. 8.cap. 26.ex vno termino ſupponente ſimpliciter poſſe inferri aliũ terminũ ſimpliciteri ſupponentem in diuerſo tamen genere: v.g. animal eſt genus;ergo aliquod animal eſt ſpecies, *quod verum eſt,ſi terminus habeat ſub ſe alium terminum vniuerſalem;vndè eadem ratione poſſet inferri;* homo eſt ſpecies ; ergo hic homo eſt indiuiduũ; *hoc poſito ly,*animal,*in propoſitione allata,* Aliquod animal eſt ſpecies,*ſupponet ſimpliciter ratione prædicati, perſonaliter verò ratione ſigni, quod illi additur;per quod implicitè importatur differentia animalis ,cum qua facit vnam eſſentiam completam , & de ea dici poteſt, quod ſit ſpecies : deinde in hac propoſitione ;* omnis homo eſt ſpecies ; *quæ eſt falſa; ly* homo *ſupponit quidem ſimpliciter ratione prædicati, ratione verò ſigni ſupponit perſonaliter pro ſingulis; & quia differentia indiuiduali, quæ implicitè additur termino ratione ſigni diſtributiui* omnis *non conuenit prædicatum,ideò abſolutè eſt falſa propoſitio . Nam ſenſus eſſet, quod homini conueniret eſſe ſpeciem ratione differentiarum indiuidualium, & conſequenter, quod indiuiduum eſſet ſpecies ; propter eandem rationem ; hæc propoſitio eſt falſa;* hic homo eſt ſpecies; *quia ly,*homo,*ratione prædicati ſupponit ſimpliciter, ratione verò ſigni demonſtratiui , ita ſupponit perſonaliter,vt addatur differentia indiuidualis, ratione cuius prædicatum non conuenit ſubiecto tali differentia affecto, quod eſt non conuenire illi,vt ſupponit perſonaliter; falſa eſt hæc etiã* aliquis homo eſt ſpecies , *quia* aliquis homo *non eſt terminus communis, & vniuerſalis,vt etiam falſa eſt iſta,* omnis homo eſt ſpecies.*& ratio eſt, quia in prima propoſitione* aliquis homo *ſuppoenit*

pro vno tantum licet vagè, & ſic non poteſt eſſe ſpecies, quia non eſt vniuerſalis, & prædicabilis de pluribus, nec obſtat, quod de ſingulis poſſit dici aliquis homo; *v.g.* Petrus eſt aliquis homo, Paulus eſt aliquis homo *&c. nã non prædicatur vt ſuperius, & tanquam gradus vniuocus, quod requiritur ad rationem vniuerſalis, qualis eſt ſpecies. ly autem* aliquis homo, *non poteſt eſſe ſuperior, & vniuocus, cum dicat pluralitatem, & ex pluralitate ſupponat pro vno licet vagè, idem enim eſt* aliquis homo, *ac aliquod indiuiduum hominis. quia ly,* aliquis *ſupponit pro vno; & dicit aliquo modo pluralitatem ſub diſiunctione. An autem ſit terminus communis ſaltem anologus: puto quod ſit, ea ratione, qua* indiuiduum, *ſeu* aliquod indiuiduũ *eſſe poteſt terminus communis analogus reſpectu Petri, Pauli, &c.*

CAPVT DECIMVM.

De aſcenſu, & deſcenſu, ſeu reſolutione ſuppoſitionis, ſeu de inductione.

1 SVb his titulis a varijs Auctoribus comprehenduntur quæ ſequuntur. Primo *aſcenſus* eſt conſequentia à ſingularibus enumeratis ad vniuerſale, ſeu commune: v.g. *Petrus eſt rationalis, Paulus rationalis, &c. ergo omnis homo eſt rationalis. Deſcenſus* verò eſt conſequentia ab vniuerſali, ſeu communi ad ſingularia v g, *omnis homo eſt rationalis, ergo Petrus eſt rationalis, Paulus rationalis &c.* talis modus dicitur *reſolutio*, eò quod per aſcenſum, & deſcenſum explicemus vim terminorum ratione ſignorum, quibus afficiuntur: dicitur

demum

demum etiam *inductio*, quæ eſt argumentatio à ſingularibus ad vniuerſale.

Appendix I. Gen.

2 A*Duertè, quoniam non poſſumus omnia indiuidua enumerare, debere nos, facta enumeratione multorum, ſiſtere in aliqua ratione, qua eadem reperiatur in omnibus v.g.* hic ignis calefacit, & ille, &c. & non eſt ratio cur in alijs non ſit talis vis calefaciendi : ergo omnis ignis calefacit. *Communiter Summulistæ ad veritatem inductionis requirunt*, conſtantiam. *Nomine autem* conſtantiæ *intelligitur propoſitio affirmatiua, in qua prædicatur terminus communis in numero plurali cum ſigno vniuerſali collectiuè accepto de ſingulis enumeratis : v. g.* hic homo eſt animal, & hic *&c. vt teneat conſequentia:* ergo omnis homo eſt animal, *requiritur alia propoſitio, intermedia*, & hi ſunt omnes homines; *quæ propoſitio vocatur* conſtantia, *quæ ſi non ponatur, erit tantum conſequentia topica, & probabilis. Quærit Sotus lib. 1. cap. 22. an inductio ſit conſequentia formalis, an ſolum materialis? Sed de hac re nos infra, cum de argumentatione.*

3 *Porro pro quadruplici ſuppoſitione termini communis, quadruplex eſt* aſcenſus, *&* deſcenſus. *Primus*, diſtributiuus, *ſeu* copulatiuus, *ſecundus* copulatus, *tertius* diſiunctus. *quartus* diſiunctiuus.

4 *Diſtributiuus, ſeu copulatiuus deſcenſus eſt,* qui fit per particulam, Et, copulatiuè acceptam, *id eſt iungentem integras propoſitiones : v. g.*

& hic homo eſt animal, & ille eſt animal, *&c,* *Talis autem reſolutio debetur termino ſupponenti diſtributiuè v.g.* omnis homo eſt animal; *ſeu* nullus homo eſt lapis: *quæ ſecunda propoſitio reſoluitur per particulam,* nec, *v.g.* nec Petrus eſt lapis, nec Paulus, *&c. Id, quod dixi de deſcenſu, dicendum de aſcenſu.*

5 *Copulatus aſcenſus, vel deſcenſus debetur termino ſupponenti copulatim ſeu collectiuè, &* fit per particulam, &, copulatim acceptam *modo explicato: v.g.* omnes Apoſtoli ſunt duodecim: ergo Petrus, & Andreas, Ioannes, & alij ſimul ſunt duodecim.

6 *Diſiunctus aſcenſus, vel deſcenſus debetur termino ſupponenti diſiunctim, &* fit per particulam vel, diſiunctim acceptam: *ita vt in propoſitione prædicatum nulli determinatè conueniat, ſed omnibus, & ſingulis ſub diſiunctione: v.g.* aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum, *ita reſolui debet;* vel hic, vel iſte, vel ille, *&c.* eſt neceſſarius: *non autem ita;* vel hic eſt neceſſarius, vel ille eſt neceſſarius, *&c. nam ſenſus eſſet, quod aliquis determinatus eſſet neceſſarius, quod eſt falſum.*

7 *Diſiunctiuus aſcenſus, & deſcenſus conuenit termino ſupponenti diſiunctiuè, &* fit per particulam, vel, diſiunctiuè acceptam, *idest quod prædicatum in propoſitione replicetur cum ſingulis contentis in communi: v.g.* aliquis diſcipulus habet librum; *ita reſolui debet;* vel Petrus habet librũ, vel Paulus habet librum, *&c. Nam ſenſus eſt, quod enumerando ſingulos, tandẽ deueniri poſſit ad vnum determinatum, qui habeat librum, vt ſupra diximus de ſuppoſitione confuſa & determinata.*

8 *Pro vſu*

8 *Pro vſu harum reſolutionum. Notandum primo terminos, qui reguntur ex verbis determinatis, quæ determinãtur per aduerbia numeralia, ſupponere tantum confusè ſeu determinatè, & eorum reſolutionem pendere ex reſolutione aduerbij: v.g. in hac propoſitione;* bis feci ſacrum; *non poſſe reſolui ly,* ſacrum, *hac ratione*, bis feci hoc ſacrum, & bis feci illud ſacrum, & bis feci aliud, *&c. imo neque benè reſolui, vt admittit Fonſeca, ita vt remaneat inuariatũ ly,* bis, *& diſiunctim accipiatur* ſacrum: *v.g.* bis feci vel hoc, vel illud, vel iſtud ſacrum. *Nam ſenſus eſſet obnoxius æquiuocationi, ſcilicet, quod vnum ſacrum* fecerim bis, *licet ſub diſiunctione: quemadmodũ, cum dicos* vel hic, vel ille diſcipulus ſtudet, *non eſt ſenſus, quod duo ſtudeant, ſed quod vnus ſub diſiunctione: ego autem per eam propoſitionem;* bis feci ſacrum, *volo dicere, me feciſſe duo ſacra: reſoluendum eſt ergo prius aduerbium hac ratione;* ſemel feci, vel, hoc, vel, illud ſacrum; & iterum feci hoc, vel illud ſacrum. *Secundo*, verbi promittendi, deſiderandi, & indicantia neceſſitatẽ, facere terminum ſupponere confusè: *v.g.* promitto tibi equum, deſidero tibi equũ, deſidero tibi honorem, oculus eſt neceſſarius ad videndum, *ita reſolui debent;* promitto tibi vel hunc, vel illum, vel illum equum; deſidero hunc, vel illum honorem; hic, vel ille oculus eſt neceſſarius. *Tertio terminos depẽdentes a verbis importãtibus locũ, vel coniũctis cum aduerbijs localibus ſi indicent pluralitatẽ, ſupponere confusè, & prius reſoluenda eſſe dicta aduerbia, ſeu ſi ſint plura loca, repetendam cum ſingulis eſſe propoſitionem integrã; v. g.* Romæ, & Pariſijs eruditur

.iuuentus; *nō benè diſſoluitur.* Romæ,& Pariſijs eruditur hæc iuuentus, & hæc iuuentus, ſeu vel hæc, vel illa iuuentus, *ſed reſolui debet hac ratione;* Romæ eruditur vel hæc,vel illa iuuētus,& Pariſijs alia,vel hæc,vel illa. *Item* vtrobiq. venditur piper, *eodem modo reſoluendum aduerbium; & hic* venditur piper, & ibi venditur aliud piper, &c,

9 *Notandum,multas à Summuliſtis tradi regulas pro reſolutione harum ſuppoſitionum, quas videat, qui velit apud illos, præſertim Sotum lib. 2. cap. 9. & Tolet. lib. 2. cap. 5. quas, quia neſcio an habeant plus vtilitatis, quàm obſcuritatis, omitto. Certè in vſum non cadunt communiter quantum aduertere potui.*

CAPVT VNDECIMVM.

An, & quando liceat argumentari à diſtributiuo ad collectiuum.

1 NIhil inter diſceptandum frequentius, quàm vſurpatio horum terminorum, *diſtributiui,* & *collectiui,* in quorum acceptione graues ſæpe committuntur æquiuocationes: Ideo neceſſarium duxi eorum vſum, & vim argumentandi ex illis diligenter examinare. quæ quia ſuperant captum Tyronum ſub appendice reponimus.

Appendix II.gen.

2 *NOtandūm primo non valere argumentum à ſenſu diuiſo ad cōpoſitū:cōpoſitus eſt cū accipitur ſubiectū vt connexū cūm forma ; quomodo etiā*

dici ſolet

dici ſolet accipi terminũ reduplicatiuè. Diuiſus eſt cũ accipitur ſubiectum præſcindendo à tali forma; quomodo dici ſolet accipi terminum ſpecificatiuè. Senſus compoſitus, ſeu reduplicatiuus eſt. v.g. Petrus prout ſedet non poteſt ambulare. *Senſus diuiſus ſeu ſpecificatiuus eſt, v.g.* Petrus, qui ſedet poteſt ambulare. *Pro qua re, Sciendum in hoc fundari neceſſariam, quæ in multis adhibetur, diſtinctionem, quod aliud* ſit potentia ſimultatis, *aliud* ſimultas potentiæ; *& prima eſt potẽtia coniungendi ſimul duos actus. ſecunda eſt coniunctio unius actus cum potentia ad alium. v.g. cum Petrus ſedet, dicitur habere ſimultatem potentiæ, quia habet ſimul potentiam ad ambulandum cum actu ſedendi, non autem dicitur habere potentiam ſimultatis, quia non poteſt ſimul coniungere iſtos duos actus ſeſſionẽ, & ambulationẽ, vnde non bene arguitur à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis. Pro ſenſu autem compoſito adhuc ſciendum duplicem illum eſſe, alterum antecedentem, alterum conſequentem, & ex primò oriri neceſſitatem, quæ dicitur antecedens, ſeu conſequentis, vel ſecundum cauſam; ex ſecundo oriri neceſſitatem, quæ dicitur conſequens, vel conſequentiæ, vel ſecundum effectum. Ponitur doctrina ad aſſignandum diſcrimen inter cauſam neceſſariam, & liberam. Exemplum primi ſenſus eſt,* ex eo quod Sol eſt, dies eſt; *& eſt neceſſitas antecedens: nam poſito Sole, vt cauſa neceſſaria, non poteſt non eſſe dies. Exemplum ſecundi eſt;* ex ſuppoſitione, quod video Petrum ſedentẽ neceſſario ſedet, *non neceſſitate antecedenti, ſicut in primo caſu, ſed ex ſuppoſitione viſionis & ſenſus eſt; quod ex ſuppoſitione, quod ſedere videatur, non poteſt nõ ſedere, ſed de hac re fusè egimus in Phyſicis*

de Cauſis. His obiter adnotatis. Ad punctum difficultatis magis accedendo.

3 *Notandum ſecundo; ſub termino ſupponente ſimpliciter non licere aſcendere; neque deſcendere, ita communiter Summuliſtæ, Sotus lib. 2. c. 12. lect. 2. &c, 14. lect. 2. Tol. lib. 2. c. 5. & alij communiter; v. g. non valet;* Homo eſt ſpecies, ergo Petrus eſt ſpecies, *&c. Item nec valet;* Petrus eſt indiuiduum ſubijcibile, & Paulus eſt indiuiduum ſubijcibile *&c.* ergo Homo eſt indiuiduũ ſubijcibile, *& ratio eſſe poteſt, quia termini ratione talis prædicati ſupponunt* immobiliter; *vnde Fonſ. lib. 8. c. 27. habet;* nullum, *inquit.* nomen, quod accipitur ſimpliciter accipi ſimul abſolutè, aut perſonaliter *&c, quibus ſolum terminis conuenit aſcenſus, & deſcenſus. Quare, ſi ad terminos ſupponentes ſimpliciter daretur aſcenſus, vel ab iis eſſet deſcenſus, daretur antecedens verum: & conſequens falſum, vt patet in exemplis allatis, & in hac re maximè aduertẽdum, ne decipiamur admittentes aſcenſum ad terminum tanquam ſupponentẽ diſtributiuè, qui ſupponat ſolum ſimpliciter, vt infra conſtabit.*

4 *Quidam recentior agnoſcit aſcenſum à termino ſupponẽte* ſimpliciter; *quare ab hoc termino* homo eſt ſpecies, *licet deſcendere,* hic homo eſt indiuiduum, & hic homo eſt indiuiduũ &c. *verũ non eſt proprius deſcenſus, quia non reperitur idem prædicatum ſcilicet* ſpecies, *ſed aliud, id eſt,* indiuiduum: *in deſcenſu autem idem prædicatum, quod conuenit termino communi ſupponenti pro inferioribus debet de illis prædicari per deſcenſum, vt de illo loquuntur ſummuliſtæ.*

5 *Notandum tertio ex ſupradictis; cum cuilibet*

bet termino taliter ſupponenti debeatur proprius aſcē-ſus, & deſcēſus, maximè cauendū, nè confundantur, & termino v.g. ſupponenti copulatim, ſeu collectiuè tribuatur aſcenſus diſtributiuus, vel diſiūctiuus, aut è contra, & ſic de cæteris, nam in iſs certum eſt non tenere huiuſmodi aſcenſus & deſcenſus, nec eſſe formalem conſequentiam à ſingularibus ad terminum communem, quare ad inferendam hāc propoſitionē- Poſſum ferre centum libras ſimul, *non valet quomodocumque dicere.* Poſſum ferre hanc, vel hanc, vel illam, *&c. ſeu,* poſſum ferre hanc determinatam, vel hanc *&c. ſed eſſet dicendum,* poſſum ferre hanc inſuper, & aliam *vſque ad centeſimam, ergo* poſſum ferre omnes centū. *Rurſus mihi videri certum ab aſcenſu copulatiuo ad terminum ſupponentem diſtributiuè: item ab aſcēſu copulato ad terminum ſupponentem copulatim, ſeu collectiuè; ab aſcenſu etiam diſiunctiuo ad terminum ſupponentem determinatè; demum ab aſcē-ſu diſiunctiuo ad terminum confusè ſupponentem eſſe formalem conſequentiam, quorum exempla habes in capite ſuperiori. hunc aſcenſum apppellat inductionem Ariſtot. qui 1. Top. c. 12. ſic habet.* Inductio *inquit,* quæ eſt progreſſio à ſingulari ad vniuerſale eſt inſtrumentum aptius ſyllogiſmo ad perſuadendum, & apertius, & ſecundum ſenſum notius, & multis commune *&c. ergo Ariſtoteles agnoſcit, vt bonā conſequentiam talem progreſſum, ſeu inductionem. Non autem hic contendo, eſſe Demonſtrationem rigoroſam, neque quod ſemper teneat; nam ſæpe non poteſt fieri enumeratio ſingulorum; ſed ſolum, quod ſit conſequentia formalis, ideſt, quod non poſſit eſſe antecedens verum, & conſequens falſum, poſita debita conſtantia, ſcili-*

cet, quod ſit facta omnium enumeratio. Probatur hoc idem ratione; quia ratio, cur non teneat conſequentia, cum permiſcentur aſcenſus, eſt; quia fit aliqua variatio, vel ex parte ſubiecti, vel prædicati in aſcenſu, vel in termino communi, vt infra conſtabit; ſed inductio nullam dicit talem variationem, ſed ſolum differunt aſcenſus, & terminus communis ſecundum implicitum, & explicitum: ergo eſt bona cõſequentia. Patet maior. Probatur minor, quia cum dico: v.g. hic homo currit hic, & hic &c. & iſti ſunt omnes: ergo omnis homo currit; *Conſequens differt ab antecedenti tantum ſecundũ implicitum, & ſicut differt definitum, & definitio, & tamen à definitione ad definitum eſt bona conſequentia, ergo, &c. Impugnant hoc aliqui dicentes; quod, licet teneat conſequentia, tamen ſit inutilis, eo quod non plus, imò minus, & peiori modo cognoſcamus rem in concluſione, ac in præmiſſis, eo quod in iis diſtinctè, in hac confusè rem cognoſcamus. Sed contra eſt; tum primo, quia idem ſequitur in exemplo argumentationis à definitione ad definitum; tum ſecundò, quia ſaltem ſcitur de nouo diſtinctè; quod multitudini conueniat prædicatum, quod ſingularibus tantum conuenire ſciebatur; tum tertio quia eſt vtilis ad ſcientias; quæ, cum agant de vniuerſalibus, ad ea manu ducimur per inductionem. Pro difficultate propoſita.*

6 *An* liceat argumentari à diſtributiuo ad collectiuum *fusè egi in prima editione, videat qui velit S. Thom. prima ſecundæ q. 109. a. 8. ad 1. vbi Caietanus. Capreolum in primo diſt. 1. concl. 4. Gilium 1 p. lib. 1. tract. 8. c. 7. Albertinum tom. 1. corollar. 5. princ. Philoſophico, Faſolum p. 1. q. 2. a. 3. dub. 2. & alios: communis ſententia Summuliſta-*

liſtarum eſt non valere argumentum a diſtributiuo ad collectiuum, Difficultas autem eſt in illo termino collectiuum. *nam ſi accipiatur pro termino ſupponente* copulatim. *v.g.* omnes Apoſtoli ſunt duodecim; *certum eſt non valere ab antecedenti, quod contineat terminū collectiuum inferre deſcenſum diſtributiuum. v.g. omnes Apoſtoli ſunt* 12. *ergo Petrus eſt* 12. *Ioannes eſt* 12. *&c. vt neq; valere ab antecedenti, quod continet* aſcenſum diſtributiuū *inferre conſequens de prædicato ſupponente* copulatim, *ſeu* collectiuè, *v.g.* poſſum comedere hanc libram, poſſum comedere hanc libram *&c.* ergo poſſū comedere omnes libras *ſimul; nam plus eſſet in conſequenti, quam in antecedenti, & poſſet eſſe antecedens verum, & conſequens falſum, vt in caſu poſito. & ſi aliquando valet, eſt ratione materiæ, v.g. hic homo eſt animal, hic homo eſt animal, &c, ergo omnis homo eſt animal, ſed de hoc exemplo paulo inferius.*

7 *In hac re ſir miter, & diſtinctè tenendæ ſunt notiones terminorum*, Aſcenſus, Deſcenſus, *& eorundem ſuppoſitiones. quibus poſitis cenſeo ſemper tenere conſequentiam, modo non miſceantur* aſcenſus *&* deſcenſus, *& cuilibet termino tribuatur debitus* aſcenſus, *&* deſcenſus; *quare.*

8 *Tenet primo aſcenſus* diſiunctiuus, *vel* diſiunctus *ad terminum ſupponentem* diſiunctiue, *vel* diſiunctim. *v.g.* vel hic, vel ille, vel ille oculus eſt neceſſarius ad videndum, ergo aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum.

9 *Tenet ſecundo ab* aſcenſu copulato *ad terminum ſupponentem* copulatim, *ſeu* collectiuè; *v.g.* Petrus, & Andreas, & Ioannes *&c.* ſunt

Apoſtoli;ergo omnes Apoſtoli ſunt 12. *ſed ad veritatē conſequentis requiritur enumeratio omniũ in antecedēti,quare ſubintelligitur alia propoſitio;ſcilicet,* & non ſunt alij Apoſtoli, præter hos.

10 *Tenet tertio ab aſcenſu diſtributiuo,ſeu copulatiuo ad terminum ſupponentem copulatiuè, ſeu diſtributiuè; tenet enim* hic homo eſt animal, & hic homo aſt animal,& hic eſt animal *&c.*ergo omnis homo eſt animal, *ſed requiritur alia propoſitio,* & non eſt alius homo.

11 *Aduerte aliquando in aſcenſu poni particulam* Et;*ſed adhuc æquiualere diſiunctioni, & particulæ* vel, *verbaliter ſolum eſſe coniunctiuam. regula autem ad dignoſcendum, an ly,* Et, *accipiatur copulatiuè,eſt videre an æquiualeat particula* inſuper, *& ſi æquiualebit,ſupponet* copulatiuè,*alioquin ſupponet* diſiunctiuè, *v.g.* hic homo eſt animal, *&* hic homo eſt animal, & hic *&c. bene poſſum inferre.* ergo omnis homo eſt animal, *quia in aſcenſu qui continetur in antecedēti, loco particulæ, &, poſſum ponere* inſuper,*dicendo* hic homo eſt animal, inſuper & hic,inſuper & hic, *&c. in hoc vero alio aſcenſu*,poſſum ferre hanc librā, & hanc,& hāc *&c.* ergo poſſum ferre omnes libras, *ly* &,*nō ſupponit* copulatiuè,*quia loco illius non poſsũ ponere,* inſuper,*dicendo*, poſſum ferre hanc librā,inſuper & hāc *&c. ut etiam in hoc alio caſu* poſſum vitare hoc peccatũ, & hoc, & hoc;ergo poſſum vitare omnia; *ly* &,*æquiualet, vel; & ſenſus eſt,*poſſum hoc,*vel* illud,*& nullum eſt,quod non poſſim vitare moraliter,modò non euitauerim aliud;non autem eſt verum,*poſſum vitare hoc,inſuper & illud,inſuper & illud *&c.eadē ratione non valere.*Deus videt hanc cogitationē

Ange-

Angeli exiſtentem, & hanc & hãc, & nulla eſt quam non videt, ergo videt omnes exiſtentes. *non valet in ſententia aliquoru m. quia non videt per modum vnius collectionis, ſed plurium; & hoc eſt idem ac dicere non videt ita, vt poſſit dici de ſingulis,* videt hanc, inſuper & hãc, inſuper & hãc *&c. æquiualet ergo diſiunctioni particula &. ſcilicet, videt, vel hanc, vel illam collectionem cogitationũ exiſtentem. alij vero dicunt videre, & poſſe fieri aſcenſum per particulã inſuper, quia omnes & ſingulas videt exiſtentes ſucceſsiue, non ſimul, ſimultate obiecti, ita vt omnes exiſtant, ſed ſimultate cognitionis: ideſt vnica cognitione videt omnes: an autẽ ex hoc ſequatur infinitum fuſè tractauimus in phyſicis.*

12 *Aduerte præterea ex ſupradictis, ex termino ſupponente* ſimpliciter, *neque poſſe aſcendi, neque deſcendi, quare nõ valet,* hic homo eſt vnus: & hic eſt vnus, & hic *&c.* ergo omnes ſunt vnus: *itẽ nec valet in cõtinuo,* hæc pars habet aliã ante ſe, & hæc habet aliã ante ſe, & hæc. *&c. ergo* omnes, *nam ſi* omnes *accipiantur* copulatim, *non licet aſcendere per aſcenſum* diſtributiuum, *ſed* copulatũ. *dicendo & hæc, & hæc ſimul cũ alia, & hæc ſimul, & hæc ſunt omnes &c. quod eſt falſum, quia non poſſunt numerari omnes; & falſum eſt quod ſingula ſimul habeãt aliã ante ipſas; ſi vero* omnes *accipiantur copulatiuè, licet illo modo aſcendere. quia ſenſus ſolum eſt quod illis omnibus ſingillatim acceptis conuenit habere partẽ ante ſe.*

13 *Ratio vniuerſalis horum omnium eſt, quia vis inductionis fundatur in eo, quod idem affirmetur, vel negetur in conſequenti, quod in antecedenti ſed diuerſo modo; confuſè in vno, diſtinctè in alio.*

vnde

vnde ſit, vt quando plus eſt in vno ac in alio, non valeat inductio, nec teneat aſcenſus. Atque hæc innuiſſe ſufficiat.

CAPVT DVODECIMVM.

De Statu, Ampliatione, Reſtrictione, Alienatione, Diminutione.

1 DE his fusè Petrus Hiſpanus tra 3. par- uorum logicalium, vbi Verſorius. Sotus lib. 1. c. 23. & deinceps. Fonſ. lib. 8. à c. 36. Bagn. lib. 1. tract. 1. c. 6. Tolet. lib. 2. à c. 8. & alij communiter. Nos vtiliora, relictis ambagibus Summuliſtarum colligemus.

2 Status eſt, *cum res accipitur pro tempore importato per copulam*: vt, ſi verbum ſit præſens, res ſtet pro tempore præſenti; & ſic de cæteris: v. g. *Petrus eſt albus*, denotatur albedo de præſenti eſſe in Petro.

3 Ampliatio opponitur ſtatui, & *eſt extenſio temporis à minori ad maiorem ſuppoſitionem*: ita omnes communiter. Tripliciter autem ampliari poteſt terminus. Primo ſecundum tempus, ſecūdo ſecundum ſuppoſita, tertio ſecūdū formā importatā in concreto ſubiecti propoſitionis. Primo ſecundū tēpus, ampliatur terminus; cum non ſolum ſupponit pro tempore importato per copulam, ſed etiam pro alijs. Quatuor communiter enumerātur tempora. Præſens, Præteritum, Futurum, & Poſſibile: alij enumerant quintum, ſcilicet tempus imaginarium: verum in Phyſicis probaui

baui, non eſſe diuerſum tempus imaginarium à poſſibili: v.g. *Homo eſt mortuus*, ly *homo*, ampliatur ad tempus præteritum, ideſt ille, qui fuit homo; ſecundo ſecũdum ſuppoſita, ideſt, quod non ſolum extendatur ad plura tempora, ſed etiam ad plura ſubiecta, quæ dicuntur ſuppoſita. Et hoc accidit, cum terminus qui ampliatur eſt communis, & ſupponit pro ſuis inferioribus; v. g. *iuſtus ſaluabitur*; ly *iuſtus*, ampliatur ad ſingulos iuſtos, qui continẽtur ſub illo termino *iuſtus*; quod eſt ſubiectũ talis propoſitionis; tertio ſecundum formam importatam in concreto, quod eſt ſubiectum propoſitionis: v.g. *album eſt nigrum*; ampliatur forma albedinis ad tempus præteritum, ideſt illud, quod habuit albedinem. Et hæc ampliatio conuenit terminis connotatiuis, ſeu adiectiuis.

4 Sotus citatus c. 13. tradit octo regulas; alias tradunt Petrus Hyſpanus. Fonſeca, Bagnes, Toletus; quarum aliquas, quia difficiliores ſunt captu, quàm ipſæ res, ideo omitto. Generatim autem aduertendum ex Soto, temporis differẽtias ad quas extenditur terminus, debere accipi diſiunctim, non copulatim, ideſt per particulam, *vel*, non per particulam, *Et*, nam ſi fieret per particulam, Et, reſtringeretur determinatè terminus ad illa tempora, ſimul accepta, non ampliaretur ad vnum ex illis, vt patebit in ſequentibus exemplis. His poſitis, Prima regula eſt, quæ communiter traditur à Summuliſtis, præſertim citatis. Si ſubiectum propoſitionis habeat tempus præteritum, tunc ampliari ad præ-

præſens, *Et* præteritum: v.g. *ſenex fuit iuuenis*. Senſus eſt, qui eſt, vel fuit ſenex; non autem benè èxplicaretur per particulam *Et*, dicẽdo *qui eſt, & fuit ſenex eſt iuuenis*; eſſet enim falſa propoſitio Si verò habeat tempus futurum, tunc ampliari ad præſens, & futurum: v. g. *iuuenis erit ſenex*, ſenſus eſt, qui eſt, vel erit iuuenis. Regula iſta mihi videtur obnoxia multis æquiuocationibus. Vnde Sot. ait, ex ea concedere Summuliſtas propoſitiones mirabiles: v.g. *Samſon in ventre matris occidit Philiſtæos* & ſenſus eſt; & hic occidit Philiſtæos, & eſt, vel fuit Sãſon, &c. Regula ergo melior eſſe poteſt, vt ſpectetur natura Prædicati, & ſenſus loquentis.

5 Secunda regula ab ijſdem tradita eſt; terminum, qui habet verba ſignificantia inceptionem, ampliari ad præſens, & futurũ; v.g. *motus incipit*; ſenſus eſt motus qui eſt, vel erit, incipit. Itẽ in propoſitione, in qua res denotatur incipere fieri, ampliari eodem modo: v.g. *Petrus ædificat baſilicã*, ideſt, quæ eſt, vel erit. E cõtra verò terminum denotantem deſitionem ampliari ad tempus præſens, & præteritum: v. g. *motus deſinit*, ideſt, qui eſt, vel fuit: *Petrus deſtruit domum*; ideſt quæ eſt, vel fuit. Item terminos, qui reguntur à verbis importantibus, potentiã, ampliari ad omne tempus: v. g. *poſſibile eſt, Petrum currere*, ſeu *poteſt Petrus currere*; ideſt Petrus, qui eſt, vel fuit, vel erit, vel poteſt eſſe. Item *homo eſt corruptibilis* &c. Huc reuocantur aduerbia; *Neceſſario, Poſſibiliter, Impoſſibiliter, Contingenter*, in quorum vſu cautè procedendum. Nam facile eſt æqui-
uocare

uocare propter diuerſum ſenſum, quem pariunt huiuſmodi aduerbia, ſi cadant ſupra diuerſos terminos, vel diuerſo modo ſupponẽtes in propoſitione. Quare in hac propoſitione; *Deus eſt neceſſariò creans*; ſi ly, *creans*, ſumatur *nominaliter*, propoſitio eſt vera: ſenſus enim eſt: Deo conuenit neceſſariò potentia creatiua: ſi autẽ accipitur *participialiter*, eſt falſa. nã ſenſus eſt, quod Deus, dum actu creat, neceſſariò creat, non libere. Eodem modo ampliari aiũt Summuliſtæ terminos, qui reguntur à verbis exprimentibus actum animi, v. g. *Alexander appetebat alium mundum*: ly, *mundus*, extenditur ad omnia tempora, imo ad omnia ſuppoſita, ideſt ad hunc, vel illum mundum, qui eſt, vel fuit, vel erit, vel poteſt eſſe. Verum neſcio, an regula ſit infallibilis: nam in hac propoſitione; *Petrus appetit Pontificatum*; ly, *Pontificatus*, non extenditur ad tẽpus præteritum, nec ad poſſibile, quod nunquam erit, ſed ad futurum, quo poteſt aſſequi Pontificatum. Item, cum dicitur, *homo moritur*; Bagnes citatus in fine cap. 6. ait, ly, *homo*, extendi ad tempus immediatè ante. Sed hæc omnia pendent ex vſu, & intentione loquentis, vt diximus. Regulas arguendi in ampliationibus videat, qui velit apud Sotum citat. lect. 2. notab. 3. vbi ſex enumerat regulas; ſed vt nimis minutas, & non admodum neceſſarias omitto.

6 Reſtrictio eſt, *contractio termini à maiori ad minorem ſignificationem*: v. g. *homo iuſtus diſputat*; ly, *homo*, reſtringitur ad eum, qui habet iuſtitiam. Vbi nota, valere conſequentiã

à non

a non amplo, ſeu reſtricto ad amplum; & non è contra: & aduerte magis amplum intelligi terminum, qui ſecundum ſe poſſit accipi, & eſt indifferens ad plura, pro quibus poteſt ſupponere, non verò pro eo, qui dicat aliquid plus in conſequenti, quam fuit in antecedenti; nam tunc non teneret conſequentia; Valet itaque *eſt homo iuſtus; ergo eſt homo*, non è contra: Fit autem reſtrictio quatuor modis. Primo per appoſitionem adiectiui, vt in exemplo allato: Secundo per copulam implicationis, ideſt per copulam quæ ponitur in ipſo ſubiecto, & relatiuū *qui, quæ, quod*; & eſt fere idem ac ſuperior. v. g. *homo, qui eſt iuſtus ſaluabitur*. idem eſt ac ſi diceretur; Homo iuſtus ſaluabitur. Tertio per appoſitionem caſus obliqui, vt *equus Pauli currit*. Quarto per appoſitionem alterius ſubſtantiui: vt *Deus Pater genuit*; vbi ly, *Deus*, ita reſtringitur, vt non ſupponat pro filio.

7 Addunt aliqui *Diminutionem*, quæ ſit *vſus termini cum aliqua voce addita, quæ ſignificet terminum non abſolutè, ſed ſecundum partem, ſiue ſecundum quid*. Sumitur ex Petro Hyſpano, qui ita definit. *Diminutio eſt detractio ſignificationis termini adiuncti*; vt *Aethyops albus ſecundum dentes*; ly, *albus*, limitatur à particula, *ſecundum dentes*, vt non ſignificet totum ſubiectum album. Reducitur autem diminutio ad reſtrictionem; vt bene notat Sotus citatus lect. 3. notab. 8. Regulas reſtrictionis videat qui velit apud Auctores citatos: ego enim illas, vt non admodum neceſſarias, prætermitto.

8 Alie-

8 Alienatio,ſeu diſtractio eſt *vſus termini pro improprio ſignificato;* v.g.*homines picti vaneunt;* vbi ly,*homines,* per vocem, *picti,* alienatur à proprio ſignificato.

9 Aliqui addunt *Remotionem.,* quæ ſit *auocatio termini ab omni acceptione, & ſuppoſitione:* cum ſcilicet terminus ab aliquo prædicato ita determinatur, vt pro nulla re poſſit accipi, v.g. *homo irrationalis diſputat.* Quæri hic ſolet; an propoſitio de tali ſubiecto remoto ſit propriè propoſitio, Negant aliqui, quia non eſt ſubiectum, Sed contra eſt, quia aliud eſt non poni in propoſitione ſubiectum, aliud vero, quod, vel ſubiectum non exiſtat, vt requirit copula, vel prædicatum illi non conueniat, Primo modo non eſſet propoſitio. ſecundo eſſet alioqui, nec eſſet propoſitio, quãdo prædicatum vel non exiſtit, vel ſubiecto non conuenit. Quare cum poſſit eſſe propoſitio, vel de ſubiecto impoſſibili, vel de ſubiecto non exiſtenti: conſequenter non poterit dari iſta auocatio ſignificationis, ſeu ſuppoſitionis in termino, ratione cuius non ſufficienter in propoſitione ſupponatur, v. g. cum dico, *Petrus; qui dormit, legit:* ſi verè dormiet, eſt bona propoſitio, ſed falſa, vt vides: ſi autem Petrus non dormiat, & legat dicendo; Petrus, qui dormit, legit; erit etiam bona, ſed falſa propoſitio ſecũdum eam partem, quæ dicit, *Petrus qui dormit,* & conſequenter tota falſa erit, quia æquiualet copulatiuæ; ſcilicet, & *Petrus dormit, & Petrus legit.*

CA-

CAPVT DECIMVMTERTIVM.
De Appellatione.

1 Appellatio definitur a Tolet. lib. 2, c. 11. eſſe *applicatio ſignificati formalis vnius termini ad formale, ſeu ad immediatum ſignificatum alterius termini*: & ſenſus eſt, quod appellatio ſit traditio quædam ſignificationis vnius termini alteri termino, attendendo, vel ad ſignificatum, quod habet indepedenter ab intellectu, quod eſt eſſe ſignificatum formale; vel ad ſignificatũ immediatum, ideſt quod habet ab intellectu exemplum primi eſt. *Homo albus eſt logicus*, ly, *albus*, qui dicitur *terminus appellans* cadit ſupra hominem determinando illum per hoc; quod det illi ſuum ſignificatum habendi albedinem. exemplum ſecundi eſt *homo eſt ſpecies*, ly, ſpecies appellat hominem, pro vt ſtat ſub conceptu intellectus; & talis appellatio non requirit alium terminũ, præter ſubiectum, cum terminus appellans ſit prædicatum determinãs acceptionem ſubiecti; dicitur autem tale ſignificatum eſſe immediatum, quia tale prædicatum eſſendi *ſpeciem* nõ conuenit alijs; ſed ſolum termino illi, qui exprimitur; ad diſtinctionem ſignificati formalis quod conuenit alijs, etiam non expreſſis in illo termino, cui tale prædicatum applicatur, v. g. dum dico *homo eſt albus*, prædicatum *albus*, poteſt applicari Petro, Paulo, &c. contentis quidem in homine, non autẽ explicitè poſitis in termino *homo*; eſſe verò

rò ſpeciem, quod prædicatur de homine,nō poteſt prædicari de Petro, Paulo, &c. Dupliciter autem vnus terminus applicat ſuum formale ſignificatum alteri;vel vt cadat ſupra prædicatum,vel ſupra ſubiectum propoſitionis ; quod contingit, quando in propoſitione ſunt duo termini , & tertius appellans : v.g. *Petrus eſt magnus logicus* ; ly,*magnus*, qui dicitur terminus appellans , applicat ſuum ſignificatum formale magnitudinis ſupra formale ſignificatum prædicati, nimirum ſupra logicam , quare ly , *logicus*, erit terminus appellatus . Si autem diceretur ; *Petrus magnus eſt logicus;* ly , *magnus*, appellaret ſupra formale ſubiecti,ideſt ſupra molem, & quātitatem Petri. Generatim autē terminus appellans ſupra illud extremū appellat, cui immediatè adiungitur,vt patet in exēplis allatis. Aduertit tamē Bagnes lib.2.tract.vnic. cap. 7. aliquando nomen appellans appellare ſupra prædicatum , etiam ſi ponatur ante copulam, modo inter ſubiectum, & terminum appellantem fiat aliqua ſuſpenſio,vel dicatur modo quodam proferendi, quo ſeiungatur à ſubiecto : v.g. *Petrus ... magnus eſt logicus;*ſiue *Petrus .. .. logicus eſt magnus* : adhuc ly, *magnus* appellat ſupra logicam. Idem ſentit Sotus lib. 2. c.14, lect.1, notab.3.

Appendix III. Gen.

29 C*Ollige hanc propoſitionem de Chriſto Domino;* hic homo eſt æternus,*eſſe verā nā ly* æter.

æternus *appellat ſubiectum,* hic homo. *qui ſuppo-nit pro ſuppoſito, quod cum in Chriſto ſit diuinũ, be-ne dicitur, quod ſit æternum, ſicut in ea propoſitio-ne,* hic logicus eſt magnus, *ly* magnus, *appellat ſupra,* hic, *ideſt hominem. Hanc autem eſſe falſam;* hic, eſt æternus homo; *nam eſſet ſenſus, quod Chriſto conueniret æternitas ratione humanitatis: ſi-cut in ea propoſitione;* Petrus eſt logicus ma-gnus: *magnitudo cadit ſupra logicam, eò quod, ex dictis, terminus appellans cadat ſupra formale termi ni, cui adiungitur. Item eſſe falſam hanc de eodẽ Chriſto,* hic homo eſt factus; *nam ſenſus eſſet, quod, eſſe factum, conueniat huic homini ratione per-ſonæ Diuinæ, quam denotat particula,* hic homo *ſupponens pro perſona diuina. Hanc autem eſſe ve-ram:* hic eſt factus homo; *nam ſenſus eſt, quod huic ſuppoſito conueniat eſſe factum ratione huma-nitatis. Cũ autem in ſymbolo dicitur,* & homo fa-ctus eſt; *adhuc ly,* factus, *cadit ſupra homi-nem s[?], ſicut diximus in ea propoſitione, in qua intercedit morula inter ſubiectum, & alium termi-num, qui ponitur ante copulam: v.g.* Petrus, lo-gicus eſt magnus; *ly,* magnus, *appellare logicam. Ita loquendo de Chriſto, dum dicitur,* hic homo fa-ctus eſt; *ly,* factus: *cadit ſupra hominem. Fonſeca verò lib. 8. cap. 42. ait, hanc propoſitionem eſſe fal-ſam:* Chriſtus eſt homo factus; *quia ly;* factus *cadit ſupra materiale ſignificatum vocis,* homo, *quod eſt ſuppoſitum Diuinum. Sed contra eſt; quia, ex dictis nomina connotatiua appellant ſupra formale, non ſupra materiale termini appellati, & ſenſus eſt Chriſtus eſt factus ſecundum humanitatem.*

30 *Aduerte demum, omnes ferè Summuliſtas, poſt multa de hac re, tandem fateri ſpectan-*

dum

dum eſſe, quem terminum appellet terminus appellans iuxta intenſionem proferentis; & præterea, eandem appellationem ſeruādam, ne in argumentatione fiat variatio appellationis, ſicut ſit in hoc ſyllogiſmo, Aſinus eſt pater; Aſinus eſt tuus; ergo Aſinus eſt pater tuus. *Fit enim variatio apellationis, vt vides: nam ly,* tuus *modo cadit ſupra* Aſinum, *modò cadit ſupra* patrem. *Atque hæc de appellatione.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM. *De Definitione.*

1 DE hac communiter Summuliſtæ, præſertim Sotus lib. 2. cap. 4. Tolet. lib. 1. à c. 3. & deinceps Fonſeca lib. 4. & 5. qui poſtremus omnium fuſiſſimè de hac reagit. Nos breuiter vtiliora ſeligemus.

2 Ariſtoteles 1. topic. cap. 4. ſic illam deſcribit. *Definitio eſt oratio ſignificans quodquid erat eſſe rei.* Vbi aduerte frequentem eſſe locutionem apud Ariſtotelem loco, *eſſentia,* ponere, *quod quid erat eſſe rei.* Communiter autem deſcribitur definitio; eſſe *oratio explicans naturā rei.* Dicitur, *oratio*, quia vna vox non eſſet definitio, quæ debet explicare diſtinctè naturam rei, vt non explicat vna vox. Nomine autem, orationis comprehenditur etiam m ntalis, Dicitur *explicans naturam rei,* ad excludendas orationes, quæ rei naturam non explicāt; v. g. ſi quis definiendo hominem diceret; *homo eſt arbor inuerſa,* non explicaret naturam rei, ſicut explicaret, ſi diceret; *eſt animal rationale.*

3 De-

3 Definitio duplex eſt. Altera nominis, altera rei. Prima dicitur etymologia: v. g. ſi quis definiendo hominem diceret; homo dictus eſt ab humo, quia de terra formatus eſt, & pertinet ad grammaticos. Secunda eſt, quæ explicat rem ipſam.

4 Definitio rei triplex eſt. Prima dicitur eſſentialis. Secunda cauſalis. Tertia accidentalis. Prima rurſus duplex eſt; altera phyſica, altera metaphyſica. Prima eſt, quæ conſtat ex materia, & forma, quæ sũt partes phyſicæ: v. g. *homo conſtat ex anima rationali, & corpore.* Secunda eſt, quæ conſtat ex genere, & differentia v. g. *homo eſt animal rationale;* genus eſt, quod conuenit pluribus; differẽtia verò, quæ contrahit genus, & cũ eo integrã facit eſſentiam, vt in exemplo allato, *animal* eſt genus quod conuenit non ſolum homini, ſed etiam equo, & alijs; *rationale* eſt differentia, quæ conuenit ſolum homini. Vtraque dicitur eſſentialis, quia per vtranque rei natura exprimitur.

5 Cauſalis definitio eſt; qua per cauſas explicamus rem. Sunt autem quatuor genera cauſarum Materialis, ex qua aliquid fit; vt ex ligno fit ſtatua. Formalis, per quam aliquid fit; ſeu quæ determinat materiam; vt eſt figura ſtatuæ in ligno, & in homine eſt anima. Efficiens, à qua aliquid producitur; vt ab igne calor, lumen à ſole &c. Demum finalis propter quam aliquid eſt v. g. homo eſt factus propter beatitudinem. Quare ita definiri poſſet homo per omnes cauſas. *Homo eſt conflatus ex corpore, & anima rationali; creatus*

à Deo

à Deo propter beatitudinem.

6 Definitio accidentalis eſt, per quam explicatur res per accidentia ſiue communia, ſiue propria: communia quidem, v. g. *homo eſt animal implume, bipes* &c. propria vero. v.g. *Homo eſt riſibilis* &c. riſibilitas enim eſt accidens proprium hominis.

7 Tres demum ſunt leges bonæ definitionis. Prima eſt, vt ſit clarior definitio, quã definitum: quare non eſt bona definitio hominis ſupra allata: *homo eſt arbor inuerſa*; quia eſt obſcurior definito. Secunda eſt, vt definitio, & definitum conuertantur, ideſt, vt prædicari poſſint ad inuicem: v.g. *homo eſt animal rationale*: item *animal rationale eſt homo*. Vnde infertur; vt, de quocunque affirmatur, vel negatur definitum, affirmari, vel negari poſſit definitio; & è contra. Tertia demum, vt definitio nihil habeat ſuperfluum, aut mancum. Quare hæc non eſt bona. *Homo eſt animal rationale, coloratum, ſeptem palmorum* &c. Item non eſſet bona hæc, *homo eſt animal tãtum* &c.

Appendix I. gen.

8 Q*Vares, an definitio ſit tota integra propoſitio cũ ſua copula, an verò ſolũ genus, & differẽtia. Reſpondetur probabilius videri, eſſe ſola duo nomina: quia, cũ de definito prædicatur definitio, & cũ illo conuertitur; non prædicatur cum copula: v.g. cum dico de* Petro quod ſit homo, *& de eodem explicando, quid ſit homo; abſolutè dico:* Petrus eſt animal rationale. *non autè* Petrus eſt, eſt animal rationale *; ergo integra definitio eſt ſolum* animal

rationale *ſine copula.*

9 *Dices Ariſtoteles 1. poſter. c. 7. ait, definitionem vel eſſe principium demonſtrationis, ideſt præmiſſam quæ eſt integra propoſitio, vel ipſam demõſtrationem, ideſt concluſionem; ergo definitio eſt integra propoſitio.*

10 *Reſpondetur ex Conimbricenſibus ibi in explicatione textus, ab Ariſtotele nomine definitionis intelligi enunciationem, in qua ſit definitio; ideſt in qua ſit genus, & differentia. Intelligit ergo potius enunciationem definitiuam, quàm puram definitionem. Vbi obiter aduerte propria definitione eſſentiali metaphyſica non definiri poſſe genus ſupremum: quia non habet aliud genus ſupra ſe; ſed ſolum ſpeciem poſſe propriè definiri.*

11 *Ob. primo Definitio eſt oratio: ſed definitum non eſt oratio; ergo non omnia, quæ conueniunt definitioni, conueniunt definito.*

12 *Reſpondetur; diſtinguo conſequens:* non omnia *loquendo de rebus ſignificatis, ſeu de definitione obiectiua, nego;* non omnia, *intelligendo modum ſignificandi, concedo. Imò non debet eſſe idẽ modus ſignificandi definiti, & definitionis; cum definitio habeat modum ſignificandi diſtinctum, & ſit diſtincta cognitio, definitum verò confuſum per cognitionem confuſam.*

13 *Dices,* Definitio *conuerti debet cum ſuo definito: ſed definitio definitionis non poteſt conuerti cum illo, ideſt cum ipſa definitione; ergo non eſt bona. Patet maior. Probatur minor.* Definitio *in communi, quæ definitur, eſt vniuerſalis:* Oratio explicans *naturam rei, quæ eſt definitio illius, eſt ſingularis: nam eſt determinata vox, & ſingularis conceptus; ergo &c.*

14 Re-

14 *Reſpondetur; diſtinguo maiorem; debet conuerti ratione rei ſignificatæ, concedo; ratione ſignorum, nego. Siue dicas. Definitionem definitionis eſſe ſingularem in eſſendo, concedo; in repræſentando, ſeu ſignificando, nego. Quemadmodum ſpeculum eſt ſingulare in eſſendo; etiam ſi repræſentet plura obiecta. Adde quod ipſum definitum, nimirum hæc vox* definitio *materialiter ſumpta, eſt quid ſingulare, licet dicatur de re vniuerſali: nam de animali rationali, quæ eſt definitio hominis, dicitur, quod ſit definitio ſingularis, & tamen animal rationale eſt quid vniuerſale.*

15 *Ob. ſecundo. Definitio non eſt ſecunda operatio: ergo non eſt oratio. Patet antecedens. Probatur conſequentia; oratio debet habere copulam, quæ ſolum conuenit propoſitioni, quæ eſt ſecunda operatio.*

16 *Reſpondetur; concedo antecedens, diſtinguo conſequens, non eſt oratio ſtrictè ſumpta, concedo; latè pro aggregato plurium vocum, nego.*

17 *Obijcies tertio. Non poteſt idem eſſe definitio, & definitum: ſed iſtæ voces, quibus dicitur;* eſt oratio explicans *&c. eſt definitio, & definitum: ergo non eſt bona, Probatur maior; quia definitio debet eſſe clarior definito; Probatur minor; Illis vocibus;* oratio explicans *&c. comprehenditur omnis definitio, ſed ipſa quoque oratio explicans eſt definitio: ergo eſt definitio ſui ipſius; quia ſub definitione in communi comprehẽduntur ſingula definitiones particulares, qualis eſt ipſiſſima definitio definitionis.*

18 *Reſpondetur; & pro ſolutione. Notandum, varias afferri reſponſiones, quibus rem pluſquam leuiſſimã confundant magis, quam explicent. Diffi-*

cultas hæc eſt communis omnibus terminis ſecundæ intentionis. Nam ſi quis velit cognoſcere omnem actum intellectus, profectò eodem actu, per quem intelligeret omnes, intelligeret ipſummet: Nec implicat, vt actus diſtinctus ſit repræſentatio ſui ipſius in confuſo, vt fusè docuimus in libris de anima. Siue, vt Summuliſtæ loquuntur, non implicat, vt idem actus ſit cognitio ſui ipſius mediatè. In obiecto enim omnes actus; continetur etiam talis actus, quo dico omnes actus, & quo omnes cognoſcūtur cōfusè, ſed mediatè, hoc eſt mediāte terminino cōmuni. Sic in re noſtra, dū dicitur oratio explicans &c. eſt definitio ſui ipſius mediatè, quatenus ipſa quoque continetur confusè ſub ratione communi definitionis. Idem accidit in his vocibus. Dictio, Nomen, Vox, &c. quæ mediatè comprehendunt ſe ipſas. Aduerte rurſus, cum dicitur, definitio eſt oratio, non definiri definitionem primò intentionaliter, qualia ſunt prædicata, quæ conueniunt rebus indepẽdenter à cognitione; vt eſt animal rationale reſpectu hominis; ſed ſecundò intentionaliter, id eſt, quatenus omnes definitiones reales ſtant ſub hoc conceptu communi definitionis quomodo dicitur: homini conuenire eſſe ſpeciem, prout concipiuntur ſinguli homines ſub hoc conceptu communi. Per hanc ergo vocem, oratio explicans, &c. definiuntur ipſæ ſecundæ intentiones; id eſt omnes mentales conceptus, ſeu vocales dictiones: vt conuenientes, in hac ratione explicata.

19 Ad argumentum igitur in forma; diſtinguo maiorem; non poteſt eſſe definitio, & definitum, ſeu definitio ſui ipſius immediatè, concedo; mediatè nego. Quæ ratione eſt clarior definito. Nam definitio ſecundo intẽtionaliter; quæ definitur, nō dicit implicitè,

cite, qualis eſſe debeat definitio, vt dicit oratio explicans, *&c.*

20 *Plura qui velit de definitione, videat apud Auctores citatos, præſertim Fonſecam, qui fuſè etiam tradit modum inueſtigandi definitionem lib. 1. c. 7. quem nos omittimus, vt non admodum neceſſarium; & quia facilius vſu*, & *cognitione rerum, quæ debent definiri addiſcitur, quam præceptis.*

CAPVT DECIMVMQVINTVM.
De Diuiſione.

1 Diuiſio, eſt *quæ totum aliquod in ſuas partes partimur.* Totum, quod diuiditur, dicitur diuiſum: partes, in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia.

2 Porrò duplex eſt diuiſio; altera nominis altera rei. Prima eſt termini æquiuoci: v. g. *canis alius terreſtris eſt, alius cœleſtis, alius marinus, alius ludi talaris* Secunda eſt, qua rem partimur in partes. Diuiſio rei rurſus duplex eſt, altera eſſentialis, altera accidentalis. Prima, eſt qua totum eſſentiale diuiditur in ſuas partes quæ iterum duplex eſt; altera *actualis*, altera *potentialis*, *Actualis* eſt, qua totum actuale in partes, quibus actu componitur, diuiditur. Quæ rurſus actualis duplex eſt, altera pyſica, altera metaphyſica. Phyſica eſt, cum totum phyſicum diuiditur in ſuas partes phyſicas: v.g. cum *homo* diuiditur in *animam*, & *corpus*. Metaphyſica eſt, cum aliquid diuiditur in genus, & differentiam: v. g. *homo* in *animal* & *rationale*, Po-

ſentialis eſt qua totum potentiale diuiditur in partes, non ex quibus conſtat, ſed quas ſub ſe, quaſi ſub ſua poteſtate continet; vt dicitur *genus* continere *ſpecies*: ſic *animal* diuiditur in *rationale*, & *irrationale*.

2 Addi poteſt diuiſio totius integralis, ſeu totius quantitatiui in ſuas partes; & quia quantitas duplex eſt, altera continua, altera diſcreta; datur etiam duplex totum integrale continuum, & diſcretum. Exemplum primi eſt, cum homo v. g. diuiditur in caput, manus, pedes, &c. Exemplum ſecundi eſt cum diuiditur aliqua multitudo in plures numeros, ſeu vnitates: eò quod quantitas diſcreta ſit idem, ac numerus; v. g. denarium in ſuas vnitates.

3 Diuiſio *accidentalis* triplex eſt. Prima qua ſubiectum diuiditur in accidentia, quæ habet; v. g. hominum alius liberalis, alius prodigus, alius auarus. Secunda eſt, cum accidens diuiditur in ſubiecta, in quibus eſt: v. g. alborum aliud eſt cycnus, aliud eſt liliũ &c. tertia eſt, cum accidens diuiditur in alia accidentia, cum quibus iungitur v. g. dulcium, aliud eſt flauum, vt mel, aliud album, vt ſaccarum &c. Quæ duæ diuiſiones à Summuliſtis appellãtur accidentium, cum potius ſint ſubiectorum, pro quibus in recto ſupponi diximus concreta accidentalia; dicuntur tamen accidentium, quatenus diuiduntur concreta ratione formæ accidentalis; quæ, vt non habet eſſe indepedenter à ſubiecto, ita nec perfectè diuiditur, niſi cum ſubiecto.

Ap-

4 LEges bonæ diuiſionis multæ ſunt: Prima, vt diuiſum plura ſub ſe cõtineat, quã aliquod ex membris diuidentibus. Secunda eſt, vt omnia membra diuidentia contineantur in diuiſo: quare hæc nõ eſt bona diuiſio Animaliũ, aliud rationale, aliud irrationale, aliud terra: non eſt, inquam, bona; quia ly, terra, non continetur in animali. tertia eſt, vt vnum diuidens non contineatur in alio: Quare hæc non eſſet bona diuiſio: Animalium, aliud rationale aliud irrationale, aliud bipes: nam bipes continetur in vtroque.

5 Multiplex modus argumentandi eſſe poteſt in hac re qui præſertim conuenit diuiſioni totius poteſtatiui. Primus eſt, vt de quo dicitur diuidens, dici poſſit & diuiſum. v.g. animal, quod eſt diuiſum in hominem, equum & c. quæ ſunt diuidentia ita ſe habet, vt de quo dicitur homo, dici poſsit & animal; non autem è contra, de quo dicitur diuiſum: dici poſsit quodlibet membrum diuidens; nam de equo poteſt dici, quod ſit animal, non autem quod ſit homo. Amplectẽdo verò ſingula mẽbra diuidentia de quo dicitur diuiſum, dici poſſunt membra diuidentia ſub diſiunctione; v.g. equus eſt animal: ergo vel rationale, vel irrationale. Secundus modus eſt, vt de quo negamus omnia membra diuidentia, negemus, & diuiſum: v.g. Lapis non eſt, neque rationalis, neque irrationalis; ergo non eſt animal; non autem de quo negamus vnum membrum diuidens, negare neceſſario debeamus, & diuiſum. non enim valet; homo v.g. non eſt irrationalis; ergo non eſt animal; de quo verò negamus diuiſum, negare debemus omnia membra diuidentia; v.g. lapis non eſt animal; ergo non

eſt rationalis neque irrationalis. *tertius modus argumentandi eſt à poſitione diuiſi, & negatione vnius membri diuidentis ad poſitionem alterius: v.g.* equus eſt animal, & non rationale: ergo irrationale. *Quartus demum eſt ab affirmatione vnius membri diuidentis ad negationem alterius: v.g.* homo eſt rationalis; ergo non eſt irrationalis.

5 *Obijcies. Idem cognoſcimus per hanc definitionem* homo eſt animal rationale; *ac per diuiſionem eiuſdem in partes metaphyſicas: ergo non differunt definitio, & diuiſio.*

7 *Reſpondeo hoc eſſe per accidens, non ex natura diuiſionis cuius eſt, rem in ſuas partes diuidere, & ſic diuiſio diſſoluit eſſentiam: definitio verò ſuo modo illam componit. Differunt enim illæ duæ propoſitiones non ratione obiecti, ſeu rei ſignificatæ, ſed modi ſignificandi: & manifeſtandi eandem rem, qui diuerſus eſt in definitione, ac diuiſione; quia primus eſt modus compoſitiuus, alter diuiſiuus.*

8 *Quæres an aliquod ex membris diuidentibus poſſit eſſe poſitiuum, alterum negatiuum per negationem ſolum diuerſum à poſitiuo: v. g.* animal, aliud homo, aliud non homo.

9 *Reſpondetur; negare aliquos, ſed immeritò; nam ſatis eſt ſi ſubintelligitur aliud membrum, quod implicitè continetur in ly,* aliud, *& ſolum additur negatio ad diſtinguendum illud ab alio membro diuidente. Senſus illius diuiſionis eſt; animalis aliud eſt homo, aliud verò aliquid indefinitum, cui conuenit negatio hominis. Atq; hæc de diuiſione; ac proinde de toto primo libro.*

LIBER SECVNDVS.

De ijs quæ pertinent ad ſecundam operationem intellectus.

1 HVc ſpectat notio propoſitionum cuiuſcunque generis, quatenus propoſitio eſt iudicium, & iudicium affirmationem cõtinet, & negationẽ, in quibus conſiſtit ſecunda operatio. Quoniam verò omnis propoſitio eſt oratio, & oratio conſtat ex nomine, & verbo: de vtroque breuiter prius agendum.

CAPVT PRIMVM.

De Nomine.

2 DEfinitur *nomen* ab Ariſtotele primo Periherm. cap 2. & communiter; *eſſe vox ſignificatiua ſecundum placitũ ſine tempore; cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata, finita, & recta, faciens cum verbo veram, vel falſam orationem*. Explicatur. Dicitur, *vox ſignificatiua ad placitum*, quia voces ex dictis non habent ſignificare res naturaliter, ſed ex beneplacito hominum. Dicitur, *ſine tempore*, ideſt, non connotando exercitium temporis: quare hæ voces, *Tempus*, *Hora*, *Præteritum*, *Futurum*, non ſunt verba, ſed nomina quia non ſignificant actionem factam cum tempore; vt ſignificant: v.g. *ſtudeo, legi, ſcribam*. Participia, Gerundia paſſiua redu-

cuntur ad nomen, ſumpta adiectiuè, *&* verò verbaliter, ſeu participialiter, reducuntur ad verbum. Dicitur, *finita*, ad excludenda nomina infinitata: v. g. *non homo*, quæ determinatè ſolum negant ſignificatum vocis, cui additur negatio, cæterum indeterminatè ſignificant reliqua omnia: v. g. *Leo eſt non homo*; excluditur homo, affirmari verò poteſt quodcunque aliud. Verum huiuſmodi nomina non videntur excludi a propria ratione, nominis, niſi in ſenſu explicando. Dicitur, *recta*, ad excludendos caſus obliquos, qui nō ſunt ſimpliciter nomina, ſed cum addito, ſcilicet caſus nominum. Quare non ponuntur per ſe in propoſitione, vt termini ſed vt partes termini: v. g. *Liber eſt Platonis*; ſenſus eſt, liber eſt aliquid poſſeſſum à Platone. Dicitur demū *faciens veram, vel falſam cum verbo orationem*, per quas particulas excluduntur omnes aliæ voces, quæ non poſſunt eſſe per ſe partes propoſitionis.

Appendix. 1. Gen.

1 OBijcies primo. Proconſul, Prorex, Reſpublica, *& alia nomina compoſita, quorum, quælibet pars eſt ſignificatiua, ſunt vera nomina, & tamen non comprehenduntur ſub definitione Ariſtotelis. Deinde caſus obliqui ſunt etiam vera nomina, cum ſignificent idem, ac recti, qui etiam excluduntur à definitione Ariſtotelis.*

3 *Reſpōdetur; in hac re, vt in reliquis, ſpectandum eſt intentum Auctoris: Nomen enim*

non

non definiuit grãmaticaliter, quomodo etiam caſus comprehendiſſet obliquos, quorum non eſt oblitus Ariſtoteles, ſed infra meminit, & excludit à Nomine, cum de eo ſolum egerit in ordine ad propoſitionem, vt patet legenti. Propoſitionem autem ſolum, per ſe loquendo, caſus recti conſtituunt.

Proconſul, Prorex, *&c. Nec ſunt pura nomina, qualia ſolum ſunt ſimplicia, ſed compoſita vel ex adiectiuo, & ſubſtantiuo, vel ex propoſitione, & nomine; eò quod compoſita, cum reſolui poſſint in ſimplicia, illa primò, & per ſe, & abſolutè ſunt nomina; reliqua verò ſunt nomina cum addito, & ſecundum quid.*

4 *Obijcies ſecundo. Hæ voces,* Cœna, Prandium, *&c. ſignificant cum tempore; nam prima ſignificat comeſtionem in tempore veſpertino, ſecunda eandem in matutino.*

5 *Reſpõdetur. Illa nomina ſignificare quidem rem, & tempus licet non ſupponant pro tempore; non tamen exercitium ipſum temporis ſicut ſignificatur cum dico,* comedo.

6 *Obijcies tertio. Nomina infinita ſunt vera nomina, & tamen excluduntur a definitione Ariſtotelis.*

7 *Reſpõdetur; excludi ab Ariſtotele nomina infinita à vera ratione nominis; quia, inquit,* non homo: *v.g* non poſitum eſt nomen, quo illud oportet appellare: neque enim oratio, neque negatio eſt, quoniam ſimiliter in quolibet eſt, & quod eſt, & quod non eſt: *& ſenſus eſt; quod nomen infinitum in nullius certæ rei cognitionem faciat venire, & conſe-*

quenter non ſit nomen, quod ſolum eſt impoſitum ad ſignificandam rem certam. Nomen enim infinitum poteſt dici tam de ente, quàm de non ente: nam tam chimæra, quàm equus poſſunt dici non homo. Quare non negauit Ariſtoteles nomen infinitum eſſe nomen, cum expreſsè dicat, Sed ſit, *inquit*, nomen infinitum: *ſed ſolum eſſe abſolutè nomen, propter rationem dictam. Video me longiorem fuiſſe, quam res exigebat: ſed Magiſtri, hoc eſt, Ariſtotelis, tuendæ dignitatis ſtudium hoc fecit, vt aſſueſcant Tyrones nec ipſas Ariſtotelis locutiones tam facilè præterire: ſed vt fas eſt, venerari.*

8 *Si quis verò vellet omnia nomina, etiam latè ſumpta, definire; poſſet vti definitione Hurtadi diſput. 3. ſumm. ſect. 1.* Nomen eſt vox declinata per caſus. *Hæc deſcriptio fortè non placet Grammaticis; quia ſunt aliqua nomina non habentia caſus: v.g.* Veru, Cornu, *&c. Sed hæc quoque nomina habent caſus, non tamen diſſimiles; & ideò Grammatici vocãt indeclinabilia ad captum Puerorũ.*

CAPVT SECVNDVM.
De Verbo.

1 VErbum definitur ab Ariſtotele 1. Periherm. cap. 3. *eſſe id, quod conſignificat tempus, cuius partes nibil ſignificant ſeorſim, & eſt ſemper eorum, quæ de altero prædicantur nota, vox finita, & recta.*

2 Definitio clara eſt, & explicatione non indiget,

indiget, niſi vltimæ particulæ. Dicitur (*eſt ſemper eorum quæ de altero prædicantur nota*, ideſt verbum eſt ſignum, quod prædicatũ conueniat ſubiecto. Quare excluduntur imperfectæ enunciationes per modum temporis optandi, &c. v. g. *vtinam diſcipuli ſtuderent*; vbi non eſt proprium, & abſolutum iudicium, quod prædicatum conueniat ſubiecto. Additur, *recta*, per quam particulam comprehenditur ſolum tempus præſens; eo quod alia tempora participent rationem verbi per ordinem ad præſens. Dicitur, *finita*, quia verbum non poteſt infinitari, vt ſentiunt Conimbr. eò quod negatio ante verbum non faciat propoſitionem affirmatiuam infinitam ſeu infinitatam, ſed negatiuam: quare v. g. *homo non currit*, ſenſus eſt, *homo non eſt currens*.

Appendix 1. Gen.

3 D*ices ex Bagnes lib. I. Summ. tract. 3. c. 3. qui vult, verbum poſſe infinitari. Ariſtoteles facit hunc ſyllogiſmum*. Omnes ſtellæ non ſcintillantes ſunt prope nos. Planetæ non ſcintillãt, ergo planetæ ſunt prope nos. *Minor huius ſyllogiſmi debet eſſe affirmatiua de verbo infinitato, vt ſenſus ſit*, planetæ ſunt non ſcintillantes. *Nam ex regula infra tradenda, ſi minor eſſet negatiua, concluſio quoque deberet eſſe negatiua, cum tamen ſit affirmatiua*.

4 *Reſpondetur, & primo Boetius, Albertus Magnus, S. Thomas, & alij antiqui, vt refert*

Sotus

Sotus lib.2. cap.2. §. ſed eſt dubium: cenſent verbum in propoſitione infinitari non poſſe: quam ſententiam ipſe problematice ſuſtinet. Deinde ad argumentũ reſpondetur; (pace tanti viri) argumentum nudè ſumptum non eſſe in forma, niſi ſubintelligatur talis minor; Sed planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillantes, ſeu quæ nõ ſcintillant: vbi copula principalis affirmatur ſcilicet, planetæ ſunt ſtellæ, vt ſeruetur debita diſpoſitio medij termini cum extremis: de qua re fusè infra. Nunc autẽ ſatis ſit ſcire; ly, nõ ſcintillant, æquiualere participio, nõ ſcintillantes; qua ratione, cum participiũ ſortiatur etiam naturã nominis, benè poterit infinitari.

5 Cõtra Ariſtotelis definitionẽ inſurgit Hurtadus diſp.3. ſect.2. quod in eaſdẽ labatur difficultates, ac præcedens de nomine; ſed eaſdem habet ſolutiones. Primo obijcit verba cõpoſita, vt ſatisfacio, &c. quæ ſunt propriè verba, & tamen nõ comprehendũtur ſub tali definitione; ſed dicendum, alias particulas componentes verbum, eſſe limitationes eiuſdem, ac proinde includere verbum abſolutè, & ſimpliciter: ſatis facio; enim eſt compoſitum ex ſatis, & facio ly ſatis erit limitatio verbi, ly facio erit abſolutè verbum, & ſic verbis compoſitis non conuenire eſſe verbum, niſi ratione verbi ſimplicis in ſe incluſi: quare cũ dicitur in definitione verbi, quod eius partes non ſignificent ſeorſim, intelligendum de verbis ſimplicibus, quæ ſolum ſunt per ſe primo verba. Secundò obijcit verba infinitantia, eſſe verba, & non includi in prædicta definitione verbi, ſed, vt ipſe Hurtadus paulò poſt dicat, verbum infinitatũ

non

non poſſe;non eſt,cur inferat vt abſurdũ, verba infinitantia nõ includi in definitione verbi,quia nimirum non dantur talia verba infinitantia.Obiicit tertio alia tempora eſſe propriè verba, cum ex ijs conficiantur perfectæ enunciationes, & neque includi in prædicta definitione. Sed reſpondetur ex S.Thoma,quem refert Sotus citatus. Cum verbum ſignificet agere, *vel* pati; *& hoc ſimpliciter ſit in actu præſenti;ideò ſolum verbum præſens modi indicatiui eſſe abſolutè verbum, ſed* cucurrit *in præterito, vel* curret *in futuro, & ſimiliter* currerem,diſputaſſem *&c.eſt agere ſecundum quid,& non ſimpliciter; & ideo illa non ſunt verba, ſed caſus verbi. Sine dicas,cum à verbo attendatur veritas propoſitionis, & veritas ſumatur à præſenti: nam ideò verum eſt dicere nunc;* Petrus curret; *quia aliquando valebit dicere de præſenti;* Petrus currit: *idcirco verbum abſolutè eſt, quod dicit tempus præſens indicatiui modi.*

6 *Contra prædictam definitionem Ariſtotelis alias difficultates obiicit Sotus. Primò* verbum,*inquit*,harum propoſitionum, homo eſt animal rationale; quatuor, & tria ſunt ſeptem, non ſignificat cum tempore: ergo illa particula redundat. *Probatur antecedens. Illæ propoſitiones ſunt neceſſariæ, & eſſent veræ, etiam ſi tempus non fuiſſet: & tamen ſi ly* eſt, *ſignificat cũ tempore;eſſent falſæ:nã reſtringerẽtur extrema ad tẽpus præſens,quod denotãt.*

7 *Reſpondet ipſe verbũ abſolui à tempore; poſſe vno modo intelligi,quod non ſignificet in ordine ad aliquã durationem; vel differentiã*

tem-

temporis, & hoc eſt impoſſibile: nam eſſentialis, & inſeparabilis eſt verbo ille modus ſignificādi. Alia ratione poteſt intelligi, quòd impediatur verbum, nè reſtringat extrema in ordine ad differentiam temporis, quam conſignificat: & in hoc ſenſu verbum abſolui à tempore, vt in prædictis propoſitionibus, ſolum importatur cōnexio prædicati cū ſubiecto, quod ſemper accidit, quādo prædicatū eſt de intrinſeca ratione ſubiectū, per hoc tamen non tollitur quod, tempus quod importat id quod habet verā rationē verbi non ſit præſens; nam in prædictis propoſitionibus adhuc earum veritas habetur à tempore præſenti non quidem abſolute, & actu poſito, ſed ſub conditione modo ſupra explicato de cognitione poſſibilium ſcilicet, quod ſi produceretur homo eſſet animal rationale.

8 *Obijcies ſecūdo.* Partes verbi *inquit*, ſunt per ſe ſignificatiuæ ſeparatæ: ergo illa particula redundat. *Probatur antecedens. Omne verbum adiectiuum eſt implicitè, ſeu virtualiter complexū. Nā hæc propoſitio* Petrus amat, *ſubordinatur huic,* Petrus eſt amans; *Item* Petrus eſt, *ſubordinatur in mēte huic;* Petrus eſt ens.

9 *Reſpondetur; & pro reſpōſione aliqua ex eodem notanda. Primo, aliud eſſe verbū ſubſtāſtiuum, aliud adiectiuum: ſubſtantiuum eſt* Sum, es, eſt, fui; *quia ſignificat,* eſſe, *quod Grāmatici appellant* ſubſtantiam, *ſeu* ſubſiſtentiā rei. *Cætera verò ſunt verba adiectiua, eò quod ſignificent actiones, ſeu paſſiones, quæ accidunt rei iam ſubſiſtenti. Secundo explicat radicem diſcriminis inter propoſitiones de ſecundo, & tertio, adiacente, & ſumit ex S. Thoma 2. Periherm.*

riberm. & ſupponendum, verbum dici adiacens, quia adiacet extremis, illa vniendo. Deinde ly, ſecundo, vel tertio, eſſe aduerbia, & ſonare idem ac ſecundum, vel tertium locum habere inter ea quæ conſtituunt propoſitionem. Rurſus prædicatum eſſe veluti formam ſubiecti: copulam verò eſſe formã vtriuſque. Quando ergo nullum eſt prædicatum, tūc verbum ſubſtantiuum ſe habet vt prædicatū, & ſecundo loco adiacet poſt ſubiectum: quando verò eſt aliquod prædicatum, quod reputatur ſecundum reſpectu ſubiecti, eò quod immediatè illud afficiat etiam ſi diſtet in pronunciatione tunc verbum adiacet tertio loco, tā quam copulans extrema. Propoſitionem ergo eſſe de ſecundo adiacēte, eſt eſſe de verbo ſubſtantiuo poſito ſecundo loco poſt ſubiectū. Propoſitionem verò eſſe de tertio adiacēte, eſt verbum aduenire, tertio loco poſt prædicatum, & ſubiectum, illa vniendo; licet ponatur immediatè poſt ſubiectum, vt exprimat eſſe connexionem eiuſdem cum prædicato. Tertio aſſerit verba adiectiua propriè eſſe in mente. Quare ly, amat: v.g. non ſubordinari illi complexo, eſt amans, ſed eſſe incomplexum. Pro qua re multa congerit partim ſuum probando aſſertum, partim obiectionibus reſpondendo,

10 Notandū autem eſt pro reſpōſione: propoſitionem, alteram eſſe formalem, alteram obiectiuam. Secunda eſt identitas duorum terminorum, nam hoc ſonat propoſitio, cum per illam affirmetur vnum de alio, loquendo de affirmatiua. Prima eſt conceptus exprimens hanc identitatem, quam ſignificamus per

per vocem, eſt, *ſicut ergo propoſitio obiectiua non poteſt non eſſe identitas prædicati cum ſubiecto: ita non poteſt dari propoſitio, quæ non dicat explicitè id, quod ſignificamus per verbum*, eſt. *Quare ſi hæc propoſitio*, Petrus amat, *eſt vera, ideò erit, quia eſt identitas inter Petrum, & amantem, loquendo de veritate obiectiua. Mentalis verò propoſitio erit etiam vera formaliter, quia exprimit hanc identitatem; quæ verè eſt à parte rei: hanc autem identitatem explicat ly*, eſt, *quod formaliter denotat connexionem prædicati cum ſubiecto; & ſic, huic propoſitioni vocali*, Petrus amat, *correſpondet conceptus explicitè repræſentans* Petrus eſt amans. *His poſitis*.

10 *Ad argumentũ reſpondetur; negãdo antecedens. Ad probationem, dico non eſſe contra rationem verbi incomplexi, quod correſpondeat ei in mente conceptus rei compoſitæ. Nam, hoc eſt commune etiam nominibus incomplexis*: Cæſta *enim* Pater *&c. important plura, nec propterea ſunt nomina complexa. De verbo ergo differendum, ſicut de nomine, quod, vt ſit complexum, debet conſtare pluribus vocibus: ita & verbum, vt eſſet complexum, deberet pluribus vocibus conſtare, vt non conſtant verba adiectiua*.

11 *Si quis verò velit comprehẽdere omnia verba, & modos verborum; vti poſſet definitione Hurtadi loco citato*. Verbum eſt vox coniugata per tempora.

CA-

CAPVT TERTIVM.
De Oratione.

1 ORatio ex Ariſtotele citato cap. 4. *eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius partium, aliqua ſignificatiua eſt ſeparata, non vt affirmatio, & negatio, ſed vt dictio*. Definitio clara eſt. Pro maiore tamen intelligentia.

2 Notãdum primo; Nomine vocis intelligi complexã; non tamen quãcunque; ſed illam, cuius partes ſunt per ſe ſignificatiuæ, non vt ſyncathegoremata, & alia aduerbia, quæ ſunt conſignificatiua. Dicitur autem, *vox*, in numero ſingulari, vt aduertit Verſorius in Petrũ Hyſpanum tract. 1. cap. *orationis, definitio* &c. tum primo ratione vnius formæ, quæ eſt vnitas ordinis, & complexionis. Tum ſecundo ratione vnius finis, quia tales voces vnluntur ad ſignificandum vnum conceptum complexum, additur *non vt affirmatio*, & *negatio*, ideſt, vt non ſit propoſitio: ſed vt *dictio*, id eſt, vt vox aliqua ſimplex:

3 Notandum ſecundo. Diuidi orationem inperfectam, & imperfectam. Ita Petrus Hyſpanus loco citato cap. ſequenti. Sotus lib. 2. cap. 3. Conimbr. 1. periherm. cap. 4. quæſt. 3. ar. 1. Imperfecta, eſt quæ imperfectum ſenſum generat in animo audientis, quæ rurſus duplex eſt; altera ſine verbo, & eſt idem ac terminus complexus; altera cum verbo, & particula, *ſi*, v.g. *ſi Petrus ſtuderet*. Perfecta eſt, quæ perfectum generat ſenſum, de qua mox.

mox. Hæc diuiſio non placet Hurtado diſp. 3. ſect. 3. ſed immeritò, nam, vt bene notant Conimb. ſub, *oratione*. Ariſtotel. comprehendit definitionem carentem copula: deinde in ea etiam eſt nexus, ideſt ordo partium, ratione cuius habent aliquam vnitatem, quam non habent voces diſparatæ: etenim maiorem connexionem habent partes huius complexi *homo albus*, v. g. quàm partes huius, *homo, piſcis, auis* &c. quæ voces nullam habent vnitatem inter ſe, quamquam hæ quoque voces, ſi aliquam habeant connexionem, ſub oratione comprehendi poſſint.

Appendix I. Gen.

4 D*Ices. Iſtæ voces* currit, curro, pluit *&c. ſunt orationes, & tamen eius partes nihil ſignificant: ergo, &c.*

5 *Reſpondetur ex Verſorio, & Conimbr. citatis huiuſmodi voces non eſſe orationes ex vi ſermonis, ſed virtute noſtri intellectus, qui intelligit ſuppoſita, quibus conueniat talis actio explicata per Verbum: intelligitur enim* ego curro, cœlum, *vel*, Deus pluit, *&c.*

6 *Dices ſecundo. Oratio complexa habet partes denotantes affirmationem, vel negationem: ergo malè dicitur, quod partes orationis in genere ſint ſignificatiuæ, non vt affirmatio, vel negatio.*

7 *Reſpondetur; & primo argumentum petit notionem propoſitionum complexarũ, an illæ ſint vnicæ, vel plures propoſitiones. Deinde Ariſtoteles ſub ea definitione comprehendit ſolum ſimplicem orationẽ, quæ abſolutè & ſimpliciter eſt oratio. Complexæ autem orationes enumerantur ab eodem infra, & non*

ſunt

ſunt abſolutè oratio, *ſed cum addito, ideſt,* compoſita, *vt idem ait. Sed de hac re clarius infra.*

CAPVT QVARTVM.

De enunciatione, vbi de oratione perfecta.

1 QVoniam enunciatio, ſeu propoſitio eſt perfecta oratio (non tamen quælibet) nam v.g. *vtinam ſtuderes*, perfecta videtur oratio: non tamen eſt propoſitio: ideò videndum, quid addat enunciatio ſupra perfectam orationem.

2 Definitur *enunciatio* ab Ariſtot. 1. periherm. cap. 4. & 1. prior. cap. 1. *enunciatio eſt oratio. in qua aliquid affirmatur, vel negatur*, &c. quarto periherm. aliter definitur. *enunciatio eſt oratio verum, vel falſum ſignificans*, ita etiam Petrus Hyſpanus tract. 1. cap. de propoſitione. Sotus lib. 2. c. 5. Conimbricenſes in locis Ariſt. cit.

3 Quoniam vero quæſtio eſt an veritas ſit de eſſentia enunciationis definiri poſſet; *enunciatio eſt oratio affirmans, vel negans aliquid de aliquo verè, vel falsè.*

Appendix I. Gen.

4 NOtandũ *ad hac ex Petro Hyſpano loco cit.* § Diuiditur oratio: *& Soto lib. 3. c. 3. orationem perfectam diuidi in* enunciatiuam, & non enunciatiuam. *Et primam eſſe illam, qua cõſtat verbo ſolum modi indicatiui. Secundam eſ-*

ſe

ſi cæteras omnes aliorum modorum. Quod autem omnes orationes aliorum modorum ſint perfectæ inde patet (vt ex S. Thom. primo perihermen. cap. de enunciation. refert Sotus) quia perfectum generant ſenſum; ideſt explicant implcitè, vel aliquem aſſenſum loquentis, vel affectum animi, quo audiens moueatur; aut ad reſpondendum, ſi oratio ſit per interrogationem; aut ad agendum, ſi ſit de verbo modi Imperatiui: aut ſaltem ad dignoſcendũ deſiderium loquentis. ſi ſit modi optatiui: aut ad concedendum, ſi ſit deprecatiu; v.g. Petre fac ignẽ, ſenſus eſt, ego ſum verè imperans, vt facias ignem. Rurſus; vtinam eſſem bonus religioſus; ſenſus eſt; ego ſum verè cupiens eſſe talis. Item; miſerere mei Deus: ſenſus eſt; ego ſum verè deprecans miſericordiam à Deo. Demum; ſtuduiſti lectioni, nec ne? ſenſus eſt; ſum volens ſcire, an ſtudueris. Hic obiter aduerte, has omnes orationes eſſe ſecundas operationes intellectus, cum per eas aſsentiamur, aliquid ita eſſe, vt dicimus: & audiens poteſt dubitare, an illum decipiamus, ideſt verum ne dicamus, an falſum, in quo conſiſtit ſecunda operatio. Illam verò orationẽ per particulam, ſi, non eſſe ſecundam operationem, quia nec verum dicit, nec falſum: v.g. ſi venires; talis oratio nec veritatem habet, nec falſitatem, vt patet.

5 Notandum ſecundo Conimbr. citati, licet per affirmationẽ, & negationẽ melius, & profundius, vt ipſi aiunt, quam per veritatẽ, & falſitatẽ definiri aſſerant orationem: tamen multò accomodatius definirẽ per verum, & falſum. Ita Tolet. lib. 1 cap. 17. & alij communiter. Non placet Hurtado ſecunda definitio. tum primo; quia Ariſtoteles totus eſt in explicanda affirmatione, & negatione propoſitionis:

tum

tum ſecundo, quia definitio non eſt tradenda per diſiunctionem differentiarum; tum tertio, quia in apprehenſione etiam datur veritas incomplexa. Verum hæ rationes non vrgent: non prima; quia ex eo, quod propoſitio definiatur per veritatem, & falſitatem; non propterea excluditur affirmatio. & negatio, & hoc eſt, quod fusè Ariſtot. eo capite tractat, veritatem ſcilicet, & falſitatem in affirmatione, & negatione conſiſtere. Quod autem ſola affirmatio, & negatio non ſit differentia propria enunciationis, inde patet, quia hæc conuenit etiam alijs orationibus non enunciatiuis: v. g. vtinam ſtuderes, *eſt affirmatiua: ergo non quæcunq. affirmatio, & negatio eſt eſſentia enunciationis. Non vrget ſecunda, tum quia Ariſtoteles per diſiunctionem definit etiam propoſitionẽ primo modo: ſic enim habet primo prior. cap. 1.* propoſitio, *inquit,* igitur eſt oratio affirmatiua, vel negatiua *&c. tum etiam, quia nõ repugnat aliquod deſcribi per differentias, ſeu proprietates oppoſitas, ſi deſcribenda, & explicanda ſit aliqua ratio ſuperior contrahibilis per differentias, ſeu proprietates oppoſitas. Sic per oppoſitas proprietates natura definitur principium motus, & quietis; vbi ly, & non accipitur copulatim in hoc ſenſu, quod ſimul poſſit habere vtrumque, ſed ſolum denotatur capacitas vtriuſque: ita propoſitio definitur per falſitatem, vel veritatem diſiunctiuè; eò quod ſit vtriuſque capax. Ad quod argumentum reſpondet etiam Sotus lib. 2. cap. 5. argumento primo, non repugnare definiri aliquid per oppoſita non copulatim, ſed diſiunctim: quemadmodum Porphyrius definit accidens per adeſſe, & abeſſe, & liberum arbitrium quod poſſit agere & non agere. Eodem modo reſpondet Verſorius in Petrum Hyſpanum loco citato. Non*

vr-

vrget demum tertia; tum primo, quia etiam in prima operatione datur incomplexa, vt ita dicam, affirmatio, & negatio: v.g. homo, non homo, *ſeu* homo iuſtus, homo non iuſtus, *&c. tum ſecundo, quia eſt longè diuerſa veritas primæ, ac ſecundæ operationis, vt fusè in libris periherm. explicauimus. Vt ergo conciliemus vtranque definitionem.*

6 *Notandum tertio.* Affirmationem, *&* negationem *eſſe de eſſentia propoſitionis: nam propoſitio eſt talis actus intellectus, qui ſit aſſenſus vel diſſenſus; & primus per affirmationem explicatur, ſecundus per negationem; Veritatem verò formalem, de qua eſt quaſtio, eſſe accidentalem propoſitioni; vt & falſitatem determinatè acceptam; eò quod, eadem propoſitio v.g.* Petrus currit, *quæ modo eſt vera, quia de facto Petrus currit; potuiſſet non eſſe vera, ſi de facto Petrus non curreret: nã veritas ex Ariſtotele conſiſtit in hoc; quod res ita ſit, ſicut affirmatur; poteſt adhuc veritas, & falſitas disiunctim accepta eſſe de eſſentia orationis, non cuiuſcunque, ſed enunciatiua, ideſt, vt contradiſtinctæ à quacunque alia oratione: & in hoc ſenſu Ariſtoteles primo periherm. citat: definiuit enunciationem per veritatem, & falſitatem, & quia vtraque in affirmatione, & negatione reperitur: ideò deinde ſubdit.* Eſt autem, *inquit,* Oratio enunciatiua affirmatio, deinde negatio. *Omnia ergo, quæ de affirmatione, & negatione, dicit, intelliguntur dicta non de quacunque affirmatione, & negatione, ſed de ea, quæ verum, vel falſum dicit. Quod inde vlterius patet, quia communiter ex eodẽ Petrus Hyſpanus, Sotus, & alij orationẽ enũciatiuã, vt contradiſtinctã ab alijs, definiũt per hoc, quod ſit ſola indicatiua oratio; eò quod in alijs modis nõ reperiatur veritas, & falſitas. Ex his*

6 Di-

7 *Dices primo. Ergo definitio Ariſtotelis, qua dicitur;* Enunciatio eſſe oratio, in qua ſit affirmatio, vel negatio; *non eſt ſufficiens; quia in ea non ponitur, quod ſit* vera, *vel* falſa.

8 *Reſpondetur; hoc Ariſtoteli non fuiſſe neceſſe: quia apud ipſum idem eſt dicere eſſe, vel non eſſe; ac dicere, eſſe verum, vel falſum. Primo enim periherm. cap. 3. oſtendens verbum extra propoſitionem non ſignificare verum, vel falſum, ait verba, cum per ſe dicuntur, eſſe nomina;* ſed ſi eſt, *inquit,* vel non eſt nondum ſignificant; *ergo pro eodem accipit, eſſe, & non eſſe, ac ſignificare verum, vel falſum. Ita S. Thomas, Boetius, Ammonius citati à Conimbr. 1. periherm. cap. 4. q. 3. art. 1. Quod expreſsius Ariſtoteles docet 5. Met. 7.* Item, *inquit,* ipſum eſſe, vel ipſum eſt, ſignificat quod verum eſt: ipſum verò non eſſe quod non verũ. *Vnde S. Th. q. 1. de verit. ar. 4. ait in vulgari ſermone pro eodem accipi, rem veram eſſe, & abſolutè ſic eſſe vt narramus. Hoc poſito; idem eſt dicere, rem eſſe, vel non eſſe, ac affirmare, vel negare: quod, vltra communem vſum loquendi, patet ex eodem Ariſtotele 1. periher. cap. 6.* Omnis, *inquit* affirmatio, vel negatio vera, vel falſa eſt. *Et paulo poſt.* neceſſe eſt, *inquit,* ſemper affirmationem, aut negationem veram eſſe; vel falſam. *Ergo à primo ad vltimum, idem eſt, affirmare, vel negare per verbum tamen indicatiui modi, vt Petrus Hyſpanus, & Sotus ad enunciationem requirunt: ac dicere Orationem habere veritatem, vel falſitatem: nos verò addidimus in definitione præter affirmationẽ, & negationem, veritatem etiam & falſitatem; tum ad complectendam vtranque Ariſtotelis definitionẽ; tum ad diſtinctius ſignificandam naturam enun-*

ciationis, vt ab alia oratione diuerſam.

9 Dices ſecundo. Aliæ etiam orationes perfectæ ſignificant verè, vel falsè: ergo ſunt enunciationes; ergo non diſtinguuntur inter ſe.

10 Reſpondetur; diſtinguo antecedens; ſignificant verè, vel falsè, conceptum, ſeu affectum loquentis, concedo: rem ipſam, de qua eſt propoſitio. nego. Veritas enim, & falſitas propoſitionis ex Ariſtotele lib. 1. periherm. cap. 8. & in Antepradicamentis cap. de ſubſtantia ſumitur ex eò quod res eſt, vel non eſt, vt enunciatur

11 Dices tertio. In hac propoſitione: homo nō eſt lapis; non ſignificatur res qualiter eſt, & tamen eſt vera: ergo veritas non ſumitur ex eò quod res eſt

12 Reſpondetur ex Soto lectione vnica; per eſſe verum. non intelligi aliquod eſſe reale poſitiuum, &c. ſed talem modum, quo ſe res habent ſicut enuncio; & ideò non poſui in definitione verum, vel falſum, ſed verè, vel falsè: cum ergo dico, Petrus non eſt lapis, ſignifico quod ita res ſe habeat, quod homo non ſit lapis, ſicut ego enuncio. Quare ſicut ad veritatem propoſitionis affirmatiuæ requiritur, vt res ſit; ita ad veritatem negatiuæ, requiritur, vt res non ſit, vt fusè docui in logica de ente rationis.

13 Dices quarto. Propoſitiones hypotheticæ non ſunt de verbo modi indicatiui; & tamen ſunt propriè veræ, vel falſæ ergo malè dicitur, veritas, vel falſitas haberi per verbum indicatiui modi.

14 Reſpōdet Sot. citat. notab. 3. primo nō comprehēdi propoſitiones hypotheticas ſub definitione tradita, ſed ſolum cathegoricas. Secūdo idē eſſe, accipi aliquid indicādo, ac aſſerēdo: in hypotheticis verò licet nō reperiatur modus indicandi, reperiri modum aſſerendi.

Sed

Sed dici poſſe fortaſſe clarius, propoſitiones hypoteticas quoque eſſe veras, vel falſas, quia includunt implicitè verbum indicatiui modi; non quidem abſolutè, ſed ſub illa conditione; v.g. ſi Petrus ſtuderet, euaderet doctus, *ſenſus eſt*, Petrus euadet doctus cum ſtudio, *ſeu* Petrus poſito ſtudio eſt doctus *P. Oddo de comitibus in ſumma quadripartita quæſtionum philoſophicarum quam defendit Io. Ambroſius Spinola par. 1. q. 15, art. 2. ingenioſè hoc explicans, ſic habet ad ſecundum*, dico *inquit*, quod orationes hypoteticæ ideo habent veritatē, quia ſunt æquiualentes catagoricæ, ad quā reduci debent, *& ſubdit indicari copulam inter id quod ponitur in prima parte, & id quod ponitur in ſecunda, tanquam inter ſubiectum, & prædicatum. Sed de hac re fuſius infra.*

15 *Hic eſſet examinandum diſcrimen inter veritatem eſſentialem, & accidentalem, ſeu primæ, & ſecundæ operationis & quomodo poſſit eſſe de eſſentia ſecundæ operationis, cum ſit veritas accidentalis; pro qua ſatis ſit ſcire, dici accidentalem tam veritatem, quam falſitatem; quia eadem operatio ſaltem potuiſſet eſſe falſa, quæ nunc eſt vera; & è contra: dici autem veritatem; & falſitatem de eſſentia, ſecundæ operationis; quia hoc eſt munus proprium illius, vt ſub diſiunctione habeat alterutram; vt in libris de anima fusè explicaui. Et hæc ſatis ſit innuiſſe Tyronibus.*

CAPVT QVINTVM.
De ſpeciebus Enunciationis.

1 PEtrus Hyſpanus tractatu primo citato. Sotus lib.2. cap.6. Tolet. lib.1. cap.16. & alij communiter diuidunt propoſitionem in *ſimplicem*, ſeu *cathegoricam*, & in *compoſitã*, ſeu *hypotheticam*. Prima eſt, quæ conſtat ex ſubiecto, prædicato, & copula tanquam partibus præcipuis: v.g. *homo eſt animal*. Dicitur *cathegorica*, ideſt *prædicatiua*, & ſumit denominationem potius à prædicato, quam ſubiecto; quia, vt aduertit Iauellus in ſum. tract.3. cap.2. prædicatum determinat ſubiectum in propoſitione, & ſe habet, vt forma ex S. Thoma ſupra relato: denominatio autem ſemper ſumitur a forma, vt à parte nobiliore. Rurſum, cum *cathegorica*, ex ſupradictis de termino cathegorematico, ſonet idem, ac perfectè ſignificatiua; & propoſitio ſimplex pariat ſenſũ perfectum: meritò talis propoſitio dicitur *cathegorica*. Secunda eſt, quæ ex pluribus ſimplicibus conſtat; & hæ, vel ſunt ambæ perfectæ, & conſtituunt *propoſitionem copulatiuam*, ſi iũgantur per particulã, *Et*, v.g. *Petrus diſputat, & Paulus ambulat*: ſi vero per particulam, *vel*, conſtituunt diſiunctiuã: v.g. *vel dies eſt, vel nox eſt*. Vel vna *propoſitio eſt perfecta, altera imperfecta*, ſeu vnius veritas pendet ab alia, & conſtituunt propriè *hypotheticam*, quæ ſonat *conditionalem* dictam ab *hypotheſi* voce græca, quæ eſt idem ac ſuppoſitio,

poſitio, ſeu conditio, cuius plures ſpecies infra trademus.

Appendix I. Gen.

2 N*On acquieſcit Hurtadus prædicta diuiſioni, &* hypotheticam, *quam appellat* ſyncathegorematicam, *ait eſſe ſolum illam, quæ pendet ab alia, tanquam à conditione; alias verò omnes eſſe cathegorematicas, ſeu abſolutas. Sed de hac re infra.*

3 *Pro rudi intelligentia harum propoſitionum. Notandum primo ex Soto lib. 3. cap. 2. notabili 2. duplicem eſſe prædicationem alteram* directam, *alteram* indirectam. *Prima eſt, cum vel tota definitio, vel pars prædicatur de definito; & accidens de ſubiecto. Secunda eſt, cum definitum prædicatur de definitione vel eius parte, & ſubiectum de accidente. Dicitur prima directa, quia cum prædicatum participet naturam formæ; & definitio, ſeu eius pars ſe habeat, vt forma reſpectu definiti, vt etiam accidens reſpectu ſubiecti; benè, cum talis eſt prædicatio, dicitur* directa: *quia rectus ordo poſtulat, vt forma adueniat ſubiecto, non è contra: & ſic cum ſubiectum de accidente prædicatur, vel definitum de definitione erit prædicatio* indirecta. *Paulò aliter tradunt alij diſcrimen, dicêtes* prædicationẽ directam *eſſe, cum vel ſuperius prædicatur de inferiore, vel connotatiuum de abſoluto* indirectã *verò è contra. Exemplum primæ eſt: v. g.* omnis homo eſt animal; ſeu aliquis homo eſt albus. *Exemplum ſecundæ eſt;* aliquod animal eſt homo: *ſeu* aliquod album eſt homo.

4 *Notandum ſecundo. Has omnes propoſitiones dici* de ineſſe; *eò quòd prædicatum dicatur ineſſe ſubiecto, non determinando modum, quo inſit; ad diſtinctionem* propoſitionis modalis, *in qua exprimitur modus quo prædicatum ſit in ſubiecto. Demum aduerte pro* propoſitionibus complexis, *affirmationem, vel negationem earum ſumi à dictione connectēte vtramque propoſitionem, adeo vt, ſi vtraque propoſitio ſit affirmatiua, dictio verò negata; tota propoſitio ſit negatiua; & è contra: v g.* non quia ſol eſt, dies eſt; *propoſitio eſt negatiua; eò quod negetur dictio, ſcilicet,* quia, *etiam ſi vtraque pars ſit affirmatiua. Item* & Petrus nō ambulat, & Paulus nō ſtudet: *propoſitio eſt affirmatiua; quia dictio,* Et, *affirmatur, etiam ſi partes ſint negatiuæ. His poſitis; relictis alijs propoſitionibus agemus de* propoſitione ſimplici, *ſeu* cathegorica.

CAPVT SEXTVM.

De Materia, Forma, Qualitate, & Quantitate ſimplicis propoſitionis.

1 MAteriam propoſitionis appellamus per comparationem ad veram materiam, quæ eſt eſſentialis potentia, ſeu aptitudo ad recipiendam formam. Omittimus hîc materiam, vt ita dicam diſſolutā, ex quibus deinde componitur propoſitio & ſunt termini, de quibus ſupra egimus; nunc vero agimus de proxima materia, quæ eſt habitudo, ſeu aptitudo, quam habent ad inuicem prædicatum,

tum, & ſubiectũ; quæ habitudo, quia triplex eſt; triplex materia conſtituitur. Primo enim poſſunt prædicatum, & ſubiectũ eſſe neceſſariò connexa, & conſtituunt materiam neceſſariã; vt in hac propoſitione: *homo eſt animal*, ly, *homo*, & *animal* ſunt materia neceſſaria. Secundo poſſunt nullo modo eſſe connexa, prædicatum, & ſubiectũ, & conſtituunt materiam impoſſibilem, ſeu remotam: v.g. *homo eſt lapis*. Tertio poſſunt eadẽ, ita eſſe cõnexa, vt non neceſſario ſint connexa, & dicitur materia contingens: v.g. *Petrus currit*: ita enim curſus cõuenit Petro, vt poſſit non conuenire. Pro quibus aduerte affirmatiuã in materia neceſſaria ſemper eſſe veram: v. g. *omnis homo eſt animal*; negatiuam verò ſemper eſſe falſam: v. g. *omnis homo non eſt animal*. Rurſus in materia remota affirmatiuam eſſe falſam: v.g. *omnis homo eſt lapis*; negatiuam autem ſemper eſſe verã. *nullus homo eſt lapis*. In materia verò cõtingenti poſſe vtrãque eſſe veram: v,g. *aliquis homo currit; aliquis homo non currit*; & vtrãque falſam: v.g. *omnis homo currit, nullus homo currit*, Demũ propoſitionem indefinitam in materia neceſſaria, & remota æquiualere vniuerſali, vt ſupra innuimus: in materia verò contingenti eſſe æquiuocam, & aliquando æquiualere particulari: v.g. *homo currit*; aliquando vniuerſali: v. g. *iuſtus præmio afficietur*.

2 Forma enunciationis communiter dicitur copula, da quã nihil dicendum occurrit.

3 Qualitas enũciationis eſt affirmatio, & negatio: ab alijs etiam veritas, & falſitas di-

citur eſſe qualitas;licet hæc omnia pertineāt ad eſſentiam enunciationis ex ſupradictis. Dicitur autem qualitas, quia, interroganti, qualis eſt propoſitio?reſpondere ſolemus; eſt vera, vel falſa, affirmatiua, vel negatiua.

4 Quantitas eſt,quæ explicat extenſionē, vel reſtrictionem propoſitionis, ideſt ,quod ſit vel vniuerſalis, qualis eſt illa , quæ habet ſyncathegorema,*Omnis*,vel,*Nullus:* v.g.*omnis homo eſt animal ; nullus homo eſt lapis ;* aut ſit propoſitio particularis:qualis eſt illa, quæ habet pro ſubiecto terminum communem notatum ſyncathegoremate particulari:v.g. *aliquis homo currit.* vel eſt indefinita : cum ſcilicet ſubiectum eſt terminus communis nullo ſigno notatus: v.g.*homo ſtudet*, vel demum eſt ſingularis ; cum ſcilicet ſubiectū propoſitionis eſt terminus ſingularis , vel communis notatus ſigno demonſtratiuo:v.g. *Petrus ſtudet;* ſeu *hic homo currit*.


CAPVT SEPTIMVM.
De Oppoſitione ſimplicium Enunciationum.

1 TOletus lib. 2. cap. 12. definit oppoſitionem. *Eſt* (inquit) *oppoſitio duarum propoſitionum de vtroque extremo eodem ordine participantium ſecundum qualitatem, vel quantitatem repugnantia;* & ſenſus eſt, quod oppoſitio ſit inter illas propoſitiones, quæ participant idem ſubiectum, & prædicatum eodem modo poſitum, & acceptum

ptum in vtraque propoſitione, facta ſolum varia tione in qualitate, & quantitate. Nomine vero repugnantiæ non intelligitur rigoroſa, ſed quæcunque diuerſitas ſecũdum qualitatem, & quantitatem.

2 Quadruplex eſt oppoſitio *Contradictoria, cõtraria, ſubcõntraria, ſubalterna.* Prima eſt oppoſitio duarum propoſitionum ſecudũ qualitatem, & quantitatem repugnantium: v. g. *omnis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.* hæ propoſitiones differunt in qualitate, quia prima eſt affirmatiua, ſecunda negatiua. differunt etiam in quantitate, quia prima eſt vniuerſalis, ſecunda particularis. eodem modo conradictoriè opponuntur: *nullus homo eſt albus, aliquis homo eſt albus* Secunda eſt oppoſitio duarũ propoſitionũ vniuerſaliũ repugnantiũ in qualitate: v. g *omnis homo eſt albus, nullus homo eſt albus,* differũt in qualitate, quia prima eſt affirmatiua ſecũda negatiua, nõ in quantitate, cũ vtraq. ſit vniuerſalis. Tertia eſt oppoſitio duarum propoſitionum particulariũ ſecundum qualitatem diuerſarum, v. g *aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus.* conueniunt in quantitate, quia vtraque eſt particularis, differunt in qualitate, quia prima eſt affirmatiua, ſecunda negatiua Quarta demum non eſt propriè oppoſitio, ſed ſubordinatio propoſitionis particularis vniuerſali ſecundum eãdem qualitatem, non eſt autem oppoſitio; quia vna continetur in alia, & vna infert aliam, vniuerſalis ſcilicet particularem: & prima vniuerſalis dicitur ſubalternans, *omnis homo eſt albus,* ſecunda particula-

ris dicitur ſubalternata; *aliquis homo eſt albus;* item *nullus homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus;* in vtroq. caſu propoſitiones conueniunt in qualitate, quia primæ ſunt affirmatiuæ, ſecundæ negatiuæ; differunt in quantitate, quia vtraque prima eſt vniuerſalis, ſecunda particularis. Exempla harum oppoſitionum ſequens figura demonſtrabit.



Appendix I. Gen.

3 PRo *intelligentia harum oppoſitionum; quo-*

niam

niam earum notio eſt apprimè neceſſaria omnibus materijs: vt propterea Ariſtoteles 1. periher. fusè illas examinauerit: & alij Summuliſtæ communiter.

4 Notandum primo, Fonſecam lib. 3. cap. 6. non agnoſcere oppoſitionem ſubcontrariam, vt veram, & propriam. Conim. 1. periherm. cap. 6. q. 1. art. 2. excludere etiam ſubalternam. Sed de hac non eſt difficultas; cum nullo modo ſit oppoſitio. Subcontrariæ oppoſitionis meminit Ariſtoteles loco citato cap. 5. vbi ſic habet. Quocirca, *inquit*, has quidem (*ideſt contrarias. de quibus ſupra*) impoſſibile eſt ſimul eſſe veras his verò oppoſitas, contingit aliquando in eodem ſimul eſſe veras, vt nō omnis homo albus eſt: & aliquis homo albus eſt: *quas propoſitiones nemo non videt eſſe ſubcontrarias. Et paulò poſt*, Quæcunque autem. *inquit* in vniuerſalibus quidem non vniuerſaliter autem; nam ſemper hæc quidem vera eſt, illa verò falſa eſt, ſimul enim verum eſt dicere. quod eſt homo albus, & non eſt homo albus. *&c. & ſenſus eſt. quod in terminis communibus acceptis particulariter poſſit vtraque propoſitio ſubcontraria eſſe vera. Cum ergo Ariſtoteles tam expreſſè ſubcontrariarum meminerit, licet non ſub hoc nomine; non eſt cur obliuionis, vel ignorantiæ notetur à quadam recentiore.*

5 *Notandum ſecundo Ariſtotelem non meminiſſe ſubalternæ; quia, vt benè notat Verſorius in Petrum Hyſpanum tract. 1. c. de oppoſitione propoſitionum, Ariſt. accepit oppoſitionem ſpecialiter pro repugnãtia duarũ propoſitionũ ſecundum affirmationem, & negationem, vt etiam notat Sotus lib. 3. c. 2. lect. vnica notab. 2. Petrus* Hyſpanus *tamen; & cæteri*

omnes Summuliſtæ communiter reponunt illas inter propoſitiones oppoſitas; eò quòd inſeruiant ad conſiciendam figuram oppoſitarum, & quia ſumunt oppoſitionem latè pro quacunque diuerſitate.

6 Notandum tertio Ariſtotelem loco citato deſinire contradictionem, vt ſit affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem Quare hæc oppoſitio eſt omnium clariſſima: fundatur enim in primò principio lumine naturæ noto, quod, non poteſt idem eſſe, & non eſſe. Pro qua ſciendum, affirmationẽ & negationem, non debere ſimul contineri in vna propoſitione, ſed vnam in vna, alteram in altera, vt patet in exemplo allato. Rurſus quando propoſitio eſt multiplex, ſiue implicitè, ſiue explicite, non benè illi aſſignari vnã propoſitionem contradictoriã, ſed prius eſſe diuidendam in duas, vt ſingulis vna aſſignetur contradictoria. Demum debere eſſe verã affirmationem, ſeu negationem, non apparentem, cuius præcepti ignoratione multa committuntur fallaciæ, de quibus mox. Pro explicanda autem vi oppoſitionis.

7 Notãdum quarto omnes oppoſitiones reduci ad cõtradictoriam: contradictoriam verò oppoſitionem eſſe ratione duarum propoſitionum ſingularium, ideſt habentium pro ſubiecto aliquod ſingulare, quod ita explicatur. Primo duæ contrariæ non poſſunt eſſe ſimul veræ; quia darentur duæ contradictoriæ veræ; nã ſi eſt vera, omnis homo currit, v.g. eſt etiam vera, Petrus currit, Item ſi eſſet vera; nullus homo currit; vera etiam eſſet Petrus non currit, quia veritas propoſitionis vniuerſalis continet veritatem ſingularium, eo modo, quo ſingularia continentur in vniuerſali; & ſic de eodem Petro verificaretur quod curreret, & non curreret. At poſ-
ſunt

ſunt eſſe ſimul falſa, ſecundũ quã falſitatẽ nõ ſunt oppoſita: nã omnis homo currit, *cõtinet ſub ſe iſtas;* & Petrus currit, & Paulus currit, *&c, eſſet autẽ falſa, ſi Petrus ſolus non curreret. Item* nullus homo currit, *continet ſub ſe, &* Petrus non currit, & Paulus nõ currit, *&c. eſſet autem falſa, ſi Paulus ſolus curreret ; quare poſito, quod Petrus nõ curreret; eſſet falſa iſta,* omnis homo *currit, & poſito quod Paulus currat, eſſet falſa iſta,* nullus homo *currit; ſic duæ cõtrariæ poſſunt eſſe ſimul falſæ, quia oppoſitio non cadit ſupra idem ſubiectum, & ita non ſunt oppoſitæ ſecundum falſitatem. Secundo propter contrariam rationem.* Subcontrariæ *poſſunt eſſe ſimul vera; nam: cum ſint particulares, gaudent deſcenſu diſiunctiuo ; & conſequenter hæc propoſitio ;* aliquis homo currit*: eſt vera, ſi ſolum Petrus currat, Paulo non currente. Item hæc propoſitio;* aliquis homo non currit*; eſt vera, ſi Paulus tantum non currat, Petro currente ; & conſequenter non habent oppoſitionem in veritate ; vt haberent oppoſitionem, ſi de eodem Petro diceretur quod curreret, & nõ curreret: & propterea aliqui dicunt ſubcontrarias non eſſe propriè oppoſitas, quia non repugnant in veritate ; quia tamen repugnant in affirmatione, & negatione; & non poſſunt eſſe ſimul falſæ, abſolutè dicuntur oppoſitæ. Eſſe autem oppoſitas in falſitate oritur ex oppoſitione duarum ſingularium contradictoriarum ; nam, vt ſit falſa iſta ;* aliquis homo currit*; requiritur, vt nullus currat, & conſequenter vt Petrus etiã non currat, quia ſi Petrus curreret, vera eſſet iſta ;* aliquis homo currit*. Item vt ſit falſa iſta;* aliquis homo non currit*. requiritur, vt omnis homo currat: & conſequenter vt Petrus etiã currat & ita ad falſitatẽ vtriuſque*

que requiritur, vt idem Petrus currat, & non currat. Tertio Duæ contradictoriæ non poſſunt eſſe nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ; nam ſequeretur de eodem indiuiduo verificari duo contradictoria. Vt enim ſit vera iſta aliquis homo non currit, requiritur, vt vnus non currat, & ponatur hic eſſe Petrus, ratione cuius vera ſit aliquis homo non currit, iam, ſi ſit vera eius contradictoria, ſcilicet omnis homo currit, erit etiam vera Petrus currit, propter rationē modo factam; quia terminus ſingularis continetur in vniuerſali, iam ergo de eodem Petro verificaretur quod curreret, & non curreret. Similiter de falſitate; ſit enim falſa hæc propoſitio; omnis homo currit: quia Petrus non currit; vt ſit falſa iſta aliquis homo non currit non ſatis eſt, quod vnus currat; nam ſi eſſent duo homines tantum exiſtentes Petrus, & Paulus; vnus autem curreret, alter non, vera eſſet propoſitio aliquis homo non currit, verificaretur enim ratione illius, qui non currit, ergo ad falſitatem talis propoſitionis requiritur, quod vterque currat; & conſequenter, quod Petrus etiā currat, iam ergo de eodem Petro verificaretur, quod curreret, & non curreret. Ex quibus patet omnem oppoſitionem reduci ad contradictoriam de termino ſingulari.

7 Notandum quinto. Alia via poſſe explicari vim oppoſitionis, & primo ſuppono duas contradictorias non poſſe eſſe ſimul veras, nec ſimul falſas, quod eſt lumine naturæ notum. ſecundo duas contrarias in materia neceſſaria non poſſe eſſe ſimul veras, nec ſimul falſas. Patet ſecundum; quia, cum prædicatum ſit eſſentiale, non poteſt non conuenire omnibus, & ſingulis, tertio ſubcontrarias in materia neceſſaria non poſſe eſſe ſimul veras, vel ſimul falſas propter

pter eandem rationem. quarto in materia contingenti duas contrarias poſse eſse ſimul falſas; quia, cum ſint de prædicato accidentali, poteſt tale prædicatum conuenire vni determinato indiuiduo, & alij non: in quo caſu duæ vniuerſales ſunt falſæ; falſa enim eſt, omnis homo currit, *ſi Petrus tantũ non currat, vt falſa eſt,* nullus homo currit, *ſi Paulus currat: non poſſe autem eſſe ſimul veras, inde patet; quia vna contraria vera infert ſuam ſubalternam veram: ſubalterna autem eſt contradictoria alteri contrariæ, vt patet in figura ſupra poſita: & ſic darentur duæ cõtradictoriæ ſimul veræ. quinto duas ſubcontrarias in materia contingenti poſſe eſſe ſimul veras, non tamen ſimul falſas; quia ſi vtraque eſſet falſa, conſequenter vtraque contraria eſſet vera: nam qualibet contraria eſt contradictoria vni ex ſubcontrarijs; & ſic, cum contradictoriæ non poſsint eſſe vera, ſi ſubcontraria eſt falſa, vna ex contrarijs, quæ eſt illi contradictoria, erit vera: & idem dicendum de alia ſubcõtraria reſpectu alterius contrariæ, quæ eſt ſibi contradictoria; vt patet clarè applicando, quæ dicimus figuræ iam poſitæ; cum ergo ex falſitate ſubcontrariarum, ſequeretur veritas cõtrariarũ, quod ſupra vidimus repugnare; repugnabit quoque duas ſubcontrarias eſſe ſimul falſas. ſexto demum pro ſubalternis, aduerte in materia neceſſaria eſſe ſimul veras; in materia impoſſibili eſſe ſimul falſas. Ratio eſt, quia cum particulares contineantur in vniuerſalibus, & prædicata ſint neceſſaria, vel repugnantia: non poſſunt non æquè cõuenire, & diſcõuenire omnibus & ſingulis, In materia verò contingenti poteſt ſubalternans eſſe falſa, ſubalternata vera: v. g.* omnis homo currit; aliquis homo currit; *quarum prima poteſt eſſe falſa, ſecunda vera*


vera propter rationem ſupradictam, quia prædicatum non eſt eſſentiale, quod conuenire debeat omnibus, & ſingulis.

8 *Notandum ſexto. Circa propoſitiones contrarias; vnam contrariam inferre contradictoriam ſuæ contrariæ: nam cum ſit vniuerſalis, habet ſubalternatam particularem, & cum differat in qualitate, & quantitate cum ſua contraria; conſequenter inferendo ſubalternam, infert contradictoriam ſuæ contrariæ: vt patet conſideranti ſupra poſitã figuram.*

9 *Præterea propoſitionem negatiuam contrariam plus negare, quam altera contraria affirmatiua affirmet: v.g. plus negare:* nullus homo eſt albus; *quam affirmet;* omnis homo eſt albus: *& ratio eſt, quia vniuerſalis affirmatiua diſtribuit ſolum ſubiectum, non prædicatũ; vniuerſalis vero negatiua, diſtribuit etiã prædicatũ, & ſic plus negat vniuerſalis negatiua, quã affirmet vniuerſalis affirmatiua: quare hæc propoſitio affirmatiua;* omnis paries eſt coloratus; *eſſet vera, etiam ſi eſſet ſolum albus, nec vllum alium colorem haberet: nam ſenſus eſt; paries eſt habens aliquem colorem. Hæc verò negatiua;* nullus paries eſt coloratus, *requirit ad ſui veritatem, vt nullo genere coloris ſit coloratus; nam ſenſus eſt. quod nullum colorem habeat quicunque paries. In ſubcontrarijs verò plus affirmare poſſe affirmatiuam, quàm negatiua negets v.g.* Petrus non currit, Petrus poteſt currere *affirmatiua ampliat ad curſum non ſolum actualem ſed etiam poſsibilem: negatiua vero ſolum negat curſum actualem, Nec mireris exemplum eſſe de termino ſingulari, nam propoſitiones ex huiuſmodi termino quoque poſſunt habere ſuas oppoſitiones, per ſimilitudinẽ ad propoſitiones de termino communi;*

ſed

ſed erunt oppoſita de lege, non de modo enunciandi, ideſt ſequuntur proprietates oppoſitarum, non tamen habent notas vniuerſalitatis, particularitatis, &c. Item nec omnes ſunt propoſitiones de ineſſe, ſed aliqua eſt modalis de modo poſsibili contento in ly, po-teſt, *vt vides in hac figura.*



10 *Huiuſmodi propoſitiones habent naturam oppoſitarum: nam prima contraria affirmatiua infert ſuam ſubalternatã, quæ minus latè patet, quam ipſa, & eodem modo contraria negatiua infert ſuam ſubalternatam, vt minus latè patentem. Item vna contra-*

traria infert contradictoriam ſuæ contrariæ, & plus negat, quàm vna affirmatiua affirmet: non ſunt tamen oppoſitæ de modo enunciandi, vt dicunt; quia non habent ſigna vniuerſalitatis, & particularitatis, vt habent veræ oppoſitæ de modo enunciandi, ſed ſunt oppoſitæ de lege, quatenus ſeruant leges, & habent proprietates oppoſitarum. Pro nota autem vniuerſalitatis ponitur ly, poteſt, per quam ampliatur propoſitio. Ex hoc infertur, has propoſitiones, omnis homo currit, Petrus non currit, eſſe contrarias: quia poſſunt eſſe ſimul falſæ: nam ſi Paulus non curreret, falſa eſſet, omnis homo currit: item ſi Petrus curreret, falſa eſſet: Petrus non currit: ſequuntur autem legem contrariarum in hoc, quod negatiua infert contradictoriam vniuerſalis affirmatiuæ: nam Petrus non currit, infert hanc, aliquis homo non currit, quæ eſt contradictoria illi, omnis homo currit.

11 Notandum ſeptimo ex Ariſtotele, & alijs communiter in huiuſmodi oppoſitionibus ſemper eſſe obſeruandam conſtantiam terminorum, facta ſolum variatione in qualitate, & quantitate modo dicto: & ideò termini non debent tranſponi, ſed ſemper, qui eſt prædicatum, vel ſubiectum in vna debet eodem modo eſſe in alijs: & ſic iſtæ non ſunt oppoſitæ; homo eſt animal; animal non eſt homo: nec termini debent immutari ſecundum caſus, vocem, & rem ſignificatam: nec debet eſſe variatio ratione loci, temporis, &c. Quare iſtæ non ſunt contradictoria verbaliter; Cicero ſcripſit, Tullius nõ ſcripſit, licet ſint mentaliter. ſi intelligatur idem. Item nec iſtæ ſunt contradictoria; Angelus eſt Dei, Angelus non eſt Deus; vt non ſunt iſtæ, canis latrat, canis non latrat, intelligendo de terreſtri, & mari-

& marino:nec etiam iſta, Petrus currit;Petrus non currit velociter. *Item nec hæ ſunt contradictoriæ:* omnis equus Regis poſſidetur à Rege;aliquis equus non poſſidetur à Rege:omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt omne animal,*Demũ* Petrus legit,Petrus nõ legit;ſi *ly* legit,*modo pro præſenti modo pro præterito accipiatur: & alia ſexcenta. Demũ aduerte propoſitiones ſingulares ſine alia nota ampliatiua,vt in exẽplo ſupra allato, opponi ſolũ contradictoriè, vt notat Ariſteteles citatus cap.* 5. *Quomodo opponũtur etiam propoſitiones de terminis in numero plurali copulatim acceptis: v.g.* omnes Apoſtoli ſunt duodecim, omnes Apoſtoli non ſunt duodecim; *Pro ſignis* Neuter, Vterque, Aliquis *&c. aduerte has propoſitiones ;* vterque diſcipulus ſtudet, neuter diſcipulus ſtudet, *eſſe contrarias ex ſuppoſitione quod Petrus ſtudeat, & Paulus non ſtudeat. Contradictoria autem prima erit* alter diſcipulus, *ſeu* vel hic, vel ille diſcipulus nõn ſtudet. *Itẽ nec iſta ſunt contradictoria;*omnes diſcipuli habent librum, aliqui diſcipuli non habent librum. *Vtraque enim eſt falſa , in caſu quo vnus tantum diſcipulus habeat librum . Et prima quidem falſa eſt,vt patet. Secunda etiam eſt falſa, quia ly,* aliqui,*in numero plurali ſupponit vniuerſaliter, non abſolutè, ſed pro aliqua collectione ad minus pro binario, cum autem vnus,qui ſupponitur non habere librum,non gaudeat numero plurali; cõſequenter etiam ſi vnus non habeat librum, erit falſa;* aliqui diſcipuli non habent librum.*Erũt ergo contrariæ ; quia negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ;ſcilicet* aliquis diſcipulus non habet librum. *Non nego tamen aliquando ex*

modo

modo loquendi ly, aliqui, *ſeu* quidam *accipi pro vno tantum; vt Math.* 14. erant autē quidā indignè ferentes *& intelligitur de Iuda tantum: & tunc cum æquiualeat,* aliquis, *ſequitur naturam illius in oppoſitione. Ex dictis colliguntur ſolutiones multorum argumentorum, quæ ſupponunt, aliquas propoſitiones eſſe contradictorias, cum non ſint.*

12 *Primo in materia indefinita. iſtæ propoſitiones;* promitto tibi librum; nullum tibi librum promitto; *non ſunt contradictoriæ; quia poteſt eſſe vtraque vera in caſu, quo promiſerim tibi librū in confuſo: & variatur ſuppoſitio; nam liber in prima propoſitione ſupponit confusè, in ſecunda diſtributiuè propter notam vniuerſalem,* nullum; *quæ diſtribuit pro ſingulis determinatè.*

13 *Secundo nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* cuiuslibet Domini quilibet ſeruus furatur; cuiuslibet Domini quilibet ſeruus non furatur: *ſunt enim ſimul falſæ: nam ex ſuppoſitione, quod ſerui Petri non furentur, falſa erit prima, falſa etiam ſecunda, ſi alij ſerui v.g. Pauli furentur. Erunt ergo contrariæ: nam negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ: ſcilicet* non quilibet ſeruus cuiuslibet Domini furatur, *vel* aliquis ſeruus non furatur *&c.*

14 *Tertio. Nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* nullius Domini equus currit; Alicuius Domini equus currit: *quia vtraque poteſt eſſe vera, ex ſuppoſitione, quod equus à nullo poſſeſſus (quod ſonat,* nullus Domini equus) *& præterea equus etiam Petri curreret. Non enim de eodem equo diceretur, quod curreret, & non curreret: non nego tamen ſenſum illius propoſitionis,* nullius Domini equus currit, *eſſe æquiuocum: & aliquando accipi in*

ſenſu

ſenſu poſito, aliquandò in hoc, ſcilicet quod excludat omnes; Actor. 20. veſtem nullius concupiui *&c. non eſt ſenſus, quod concupierit veſtem a nemine poſſeſſam, ſed quod nullam veſtem concupierit.*

15 *Quarto. Nec iſta ſunt contradictoria;* homo eſſentialiter eſt albus, homo eſſentialiter non eſt albus, *ſiue* homo inquantum homo eſt albus: inquantum homo non eſt albus: *eſt enim vtraque falſa: nam prima affirmat de eſſentia hominis eſſe albedinem, quod eſt falſum: Secunda etiam falſa eſt; quia aſſerit de eſſentia hominis eſſe, non habere albedinem, ſeu carere albedine. Sunt ergo contrariæ, quia ſecunda negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ; ſcilicet,* homo non eſt eſſentialiler albus. *Propter eandem rationem nec ſunt contradictoriæ iſtæ;* Petrus propter Paulũ eſt mihi amicus; Petrus propter Paulũ nõ eſt mihi amicus: *nam ly,* propter Paulũ, *non negatur in negatiua, vt ſupra diximus: Itẽ nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* ego ſæpe audiui miſſam; ego ſæpe non audiui miſſam: ego ſemper oro; ego ſemper non oro: *quia nunquam negatur ly,* ſæpe, *& ly* ſemper, *vt requiritur pro contradictorijs. Item nec ſunt contradictoriæ iſtæ, & valde notandæ pro materia vniuerſalium:* natura ſecundum ſe eſt vniuerſalis, natura ſecundum ſe non eſt vniuerſalis, *& alia huiuſmodi: vtraque enim eſt falſa; nam ly.* ſecundum ſe, *non negatur in propoſitione negatiua: erunt ergo contrariæ, vt diximus in propoſitionibus;* homo eſſentialiter eſt albus *&c. Generatim autem pro his, & ſimilibus propoſitionibus tenenda eſt regula Ariſtotelis: non eſſe meliorem modum contradicendi, quam ponendo negationem in fronte totius propoſitionis neganter tamen*

men, non infinitanter acceptam, vt ſupra diximus; verbi gratia, contradictoria huic; homo eſſentialiter eſt albus, *non .... homo eſſentialiter eſt albus.*

16 *Notandum Octauo. Pro aliquibus propoſitionibus, quas aliqui vocant* reflexiuas, *alij,* ſe falſificantes, *alij* indiſſolubiles, *quarum meminit Sotus lib. 3. cap. 8. lect. 2. Quæri poſſe; an iſtæ propoſitiones ſint oppoſitæ?* hæc propoſitio non eſt vera; hæc propoſitio eſt vera; *ita vt prima ſemper ſignificet ſe ipſam, ſecunda ſignificet primã propoſitionem. Ex vna parte videtur vtraque vera; nam, hoc ipſo quod prima negatiua eſt vera; ſecunda etiam affirmatiua, quæ dicit illam eſſe veram, erit vera: Si autem prima erit falſa, Secunda etiam erit falſa: quia dicit primam eſſe veram. cum non ſit: atque ita erunt falſæ ambæ; & ſic non erunt contradictoria. Ex altera vero parte videntur contradictoria; cum id, quod vna affirmat, altera neget. Pro ſolutione; ſciendum, de eſſentia cuiuſcunque propoſitionis eſſe, vt implicitè, & virtualiter aſſerat, ſe eſſe veram, id eſt, ita rem eſſe, vt enunciat: v. g. hæc propoſitio,* Petrus ſtudet, *inuoluit aliam implicitè, ſcilicet* verum eſt Petrum ſtudere. *Ad rem noſtram igitur. Prima propoſitio, quæ dicit de ſe ipſa;* hæc propoſitio non eſt vera, *dicit etiam implicitè eſſe verã, quod prorſus dicit ſecunda ex ſuppoſitione, quod cadat ſupra primam; de ſe ergo dicit prima, quod ſit vera. & quod non ſit vera; quod cum ſit impoſsibile; talis propoſitio eſt abſolutè falſa. Secunda vero propoſitio, quæ de prima dicit,* hæc propoſitio eſt vera, *non eſt contradictoria primæ, cum enunciet partem primæ: ſicut non ſunt contradictoria iſta;* Petrus currit. *ac copulatiua iſta;* Petrus currit, & Petrus non currit: *cum ergo ſecunda*

cunda aſſerat primam eſſe veram. quod etiam prima dicit: Secundum partem, non erit illi contradictoria. Imo ſi quis diligenter aduertat ad ſenſum ſecundæ propoſitionis, inueniet eſſe eundem, ac primæ; nam quod dicat partem primæ patet; quia dicit illam eſſe veram, quod dicit prima: quod etiam dicat alteram partem, probatur; quia ponitur ſecunda habere pro obiecto ipſam primam. Senſus ergo ſecundæ integer eſt; verum eſt hanc propoſitionem non eſſe veram. *Idem ergo eſt prima, ac ſecunda; ſed cum hoc diſcrimine, quod prima dicit implicitè id, quod ſecunda dicit explicitè. Secunda vero dicit implicitè id, quod prima dicit explicitè; & ſic non erit illi cõtradictoria. Quæri etiam poteſt; an ſint contradictoriæ iſtæ propoſitiones;* Deus dabit pluuiam. Deus non dabit pluuiam, *ex ſuppoſitione quod Deus fecerit tale pactum; ſi prima propoſitio. quam dicit Petrus, erit vera, ego dabo pluuiam, & Petrus primò dicat:* Deus non dabit pluuiam: *tunc vel iſta propoſitio erit vera, vel falſa; ſi vera, ergo vera etiam alia,* Deus dabit pluuiam *poſita promiſſione Dei. Si vero hæc erit falſa,* Deus non dabit pluuiam; *erit etiam falſa hæc, quæ dicit,* Deus dabit pluuiam, *quia Deus promiſit ſe daturum pluuiam ex ſuppoſitione quod prima propoſitio, quam Petrus dicit, ſit vera; & ſic hæ propoſitiones,* Deus dabit pluuiam, & Deus non dabit pluuiam, *erunt ſimul veræ, vel ſimul falſæ. Sed dicendum, caſum eſſe impoſsibilem; quia pactum non poteſt procedere de propoſitione, quæ ſit deſtructiua pacti; ſed in alia materia, alioquin obligaretur* Deus *ad impoſsibile, Similes propoſitiones proponit Sotus lib. 3, cap. 8. notabili 2.*

17 *Pro Intelligentia huius termini* Inintelligibile

bile. *quaritur an ſit vera iſta propoſitio*, intellectus non cognoſcit inintelligibile, ſed ſolũ intelligibile: *ſi dicatur quod ſit vera, ergo erit falſa eius contradictoria, ſcilicet*, intellectus cognoſcit inintelligibile, *ſed hac eſt vera, quia vere intellectus cognoſcit hunc terminum* inintelligibile, *ergo prima, qua dicebatur eſſe vera, eſt falſa: ſit ergo falſa prima; ergo eius contradictoria affirmatiua, ſcilicet ſecunda, erit vera, ſed eſt falſa. & probatur. quia hoc ipſo quod intellectus cognoſcit hunc terminum* inintelligibile: *iam eſt intelligibile: nam ſi intelligitur, eſt* intelligibile, *& conſequenter non eſt* inintelligibile.

18 *Pro ſolutione ſupponendum, obiectum intellectus eſſe omne ens pro vt complectitur reale & fictum, poſitiuum, & negatiuũ, quare omnia iſta dicũtur, & ſunt realiter & vere intelligibilia. & ita hic terminus*, inintelligibile, *nõ datur in ordine ad intellectum, & ſic nec poteſt infinitari terminus* intelligibile: *dicendo*, non intelligibile, *quia nihil datur quod ſit verè* inintelligibile.

19 *Quod ſi quaras quid concipitur, cum concipitur* inintelligibile. *Reſpondeo concipi aliquid quod vere, & realiter eſt* intelligibile, *ſed quod fingitur, vel apprehenditur eſſe* inintelligibile. *impoſſibilitas autem huius termini* inintelligibile *cõſiſtit in hoc, quod fingitur aliquid oppoſitum cum omni eo, quod poteſt intelligi, cum tamen ipſum quoque ſit vnum ex his, quod poteſt intelligi.*

20 *Reſolui ergo debent illa propoſitiones initio poſita, vt videatur earum vis. Prima ergo, qua dicit* Intellectus non cognoſcit inintelligibile; *reſolui debet per hanc exponentem: ſi intellectus cognoſcit aliquid, illud nõ eſt vere, & realiter* inintel-

ligibile


ligibile, *ſed vere & realiter intelligibile. ſeu. bene ſequitur, quod ſi intellectus aliquid intelligit illud nõ ſit* inintelligibile, *ſed* intelligibile. *& ita hac prima propoſitio eſt vera. ſecunda autem, qua dicit,* intellectus cognoſcit inintelligibile *contradictoria prima, eſt falſa; quod patet, ſi reſolvatur in ſuam exponentem; qua eſt, ſi* intellectus cognoſcit aliquid, illud non eſt intelligibile, *falſa inquam hæc eſt, quia hoc ipſo, quod intellectus cognoſcit aliquid, illud eſt intelligibile: nõ autem repugnat, vt id, quod vere & realiter eſt* intelligibile, *ſit ſolum ficte* inintelligibile, *nã ipſũ quoque fictũ* inintelligibile *eſt aliquid* intelligibile. *& ratio eſt: quia non affirmatur de eodẽ explicitè quod ſit* intelligibile, *&* inintelligibile, *imo etiã ſi affirmaretur in ſenſu explicato, neq; affirmarentur contradictoria, quia non ſunt contradictoria. vt id quod fingitur eſſe* inintelligibile, *ſit vere, & realiter* intelligibile *nam per eſſe vere & realiter intelligibile non venit ens reale, ſed ipſum etiam ens fictum, quod eſt* intelligibile. *quare non ſunt contradictoria iſta* intelligibile, *realiter,* inintelligibile *ficte, quia ſub* intelligibili *quod cõprehendit omnia tam realia, quam ficta, comprehenditur hic terminus* inintelligibile, *quod eſt aliquid fictum; contradictorij autem ſunt* intelligibile, *non* intelligibile, *qua ratione diximus non poſſe infinitari hunc terminum* intelligibile, *quia nihil poteſt dari, quod non ſit intelligibile, vt etiam contradictorii ſunt iſti*, intelligibile a parte rei, *ſeu realiter, ſeu vere, &* inintelligibile a parte rei, verè, &c. *& ideo nõ dãtur, nec intellectus illos cognoſcit explicitè ſed quãdo cõcipit* inintelligibile *à parte rei fingitur aliquid,*

vera propter rationem ſupradictam, quia prædicatum non eſt eſſentiale, quod conuenire debeat omnibus, & ſingulis.

8 *Notandum ſexto. Circa propoſitiones contrarias; vnam contrariam inferre contradictoriam ſuæ contrariæ: nam cum ſit vniuerſalis, habet ſubalternatam particularem, & cum differat in qualitate, & quantitate cum ſua contraria; conſequenter inferendo ſubalternam, infert contradictoriam ſuæ contrariæ: vt patet conſideranti ſupra poſitā figuram.*

9 *Præterea propoſitionem negatiuam contrariam plus negare, quam altera contraria affirmatiua affirmet: v.g. plus negare:* nullus homo eſt albus, *quam affirmet;* omnis homo eſt albus: *& ratio eſt, quia vniuerſalis affirmatiua diſtribuit ſolum ſubiectum, non prædicatū; vniuerſalis vero negatiua, diſtribuit etiā prædicatū, & ſic plus negat vniuerſalis negatiua, quā affirmet vniuerſalis affirmatiua: quare hæc propoſitio affirmatiua;* omnis paries eſt coloratus; *eſſet vera, etiam ſi eſſet ſolum albus, nec vllum alium colorem haberet: nam ſenſus eſt; paries eſt habens aliquem colorem. Hæc verò negatiua;* nullus paries eſt coloratus, *requirit ad ſui veritatem, vt nullo genere coloris ſit coloratus; nam ſenſus eſt. quod nullum colorem habeat quicunque paries. In ſubcontrarijs verò plus affirmare poſſe affirmatiuam, quàm negatiua negets v.g.* Petrus non currit, Petrus poteſt currere *affirmatiua ampliat ad curſum non ſolum actualem ſed etiam poſsibilem: negatiua vero ſolum negat curſum actualem, Nec mireris exemplum eſſe de termino ſingulari, nam propoſitiones ex huiuſmodi termino quoque poſſunt habere ſuas oppoſitiones, per ſimilitudinē ad propoſitiones de termino communi; ſed*

ſed erunt oppoſita de lege, non de modo enunciandi, ideſt ſequuntur proprietates oppoſitarum, non tamen habent notas vniuerſalitatis, particularitatis, &c. Item nec omnes ſunt propoſitiones de ineſſe, ſed aliqua eſt modalis de modo poſſibili contento in ly. poteſt, *vt vides in hac figura.*



10 *Huiuſmodi propoſitiones habent naturam oppoſitarum: nam prima contraria affirmatiua infert ſuam ſubalternatã, quæ minus latè patet, quam ipſa, & eodem modo contraria negatiua infert ſuam ſubalternatam, vt minus latè patentem. Item vna contra-*

tra-

traria infert contradictoriam ſua contraria, & plus negat, quàm vna affirmatiua affirmet: non ſunt tamen oppoſita de modo enunciandi, vt dicunt; quia non habent ſigna vniuerſalitatis, & particularitatis, vt habent vera oppoſita de modo enunciandi, ſed ſunt oppoſita de lege, quatenus ſeruant leges, & habent proprietates oppoſitarum. Pro nota autem vniuerſalitatis ponitur ly, poteſt, *per quam ampliatur propoſitio.* Ex hoc *infertur, has propoſitiones,* omnis homo currit, Petrus non currit, *eſſe contrarias: quia poſſunt eſſe ſimul falſa: nam ſi Paulus non curreret, falſa eſſet, omnis homo currit: item ſi Petrus curreret, falſa eſſet: Petrus non currit: ſequuntur autem legem contrariarum in hoc, quod negatiua infert contradictoriam vniuerſalis affirmatiua: nam* Petrus non currit, *infert hanc,* aliquis homo non currit, *qua eſt contradictoria illi,* omnis homo currit.

11 *Notandum ſeptimo ex Ariſtotele, & alijs communiter in huiuſmodi oppoſitionibus ſemper eſſe obſeruandam conſtantiam terminorum, facta ſolum variatione in qualitate, & quantitate modo dicto: & ideò termini non debent tranſponi, ſed ſemper, qui eſt pradicatum, vel ſubiectum in vna debet eodem modo eſſe in alijs: & ſic iſta non ſunt oppoſita;* homo eſt animal: animal non eſt homo: *nec termini debent immutari ſecundum caſus, vocem, & rem ſignificatam: nec debet eſſe variatio ratione loci, temporis, &c. Quare iſta non ſunt contradictoria verbaliter;* Cicero ſcripſit, Tullius nõ ſcripſit, *licet ſint mentaliter. ſi intelligatur idem. Item nec iſta ſunt contradictoria;* Angelus eſt Dei, Angelus non eſt Deus; *vt non ſunt iſta,* canis latrat, canis non latrat, *intelligendo de terreſtri, & mari-*

& marino:nec etiam iſta, Petrus currit; Petrus non currit velociter. *Item nec hæ ſunt contradictoriæ:* omnis equus Regis poſſidetur à Rege, aliquis equus non poſſidetur à Rege: omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt omne animal, *Demũ* Petrus legit, Petrus nõ legit; ſi *ly* legit, *modo pro præſenti modo pro præterito accipiatur: & alia ſexcenta. Demũ aduerte propoſitiones ſingulares ſine alia nota ampliatiua, vt in exẽplo ſupra allato, opponi ſolũ contradictoriè, vt notat Ariſteteles citatus cap. 5. Quomodo opponũtur etiam propoſitiones de terminis in numero plurali copulatim acceptis: v.g.* omnes Apoſtoli ſunt duodecim, omnes Apoſtoli non ſunt duodecim; *Pro ſignis* Neuter, Vterque, Aliquis *&c. aduerte has propoſitiones ;* vterque diſcipulus ſtudet, neuter diſcipulus ſtudet, *eſſe contrarias ex ſuppoſitione quod Petrus ſtudeat, & Paulus non ſtudeat. Contradictoria autem prima erit* alter diſcipulus, *ſeu* vel hic, vel ille diſcipulus non ſtudet. *Itẽ nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* omnes diſcipuli habent librum, aliqui diſcipuli non habent librum. *Vtraque enim eſt falſa, in caſu quo vnus tantum diſcipulus habeat librum. Et prima quidem falſa eſt, vt patet. Secunda etiam eſt falſa, quia ly,* aliqui, *in numero plurali ſupponit vniuerſaliter, non abſolutè, ſed pro aliqua collectione ad minus pro binario, cum autem vnus, qui ſupponitur non habere librum, non gaudeat numero plurali; cõſequenter etiam ſi vnus non habeat librum, erit falſa;* aliqui diſcipuli non habent librum. *Erũt ergo contrariæ ; quia negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ; ſcilicet* aliquis diſcipulus non habet librum. *Non nego tamen aliquando ex*

modo loquendi ly, aliqui, *ſeu* quidam *accipi pro vno tantum; vt Math.* 14. erant autē quidā indignè ferentes *& intelligitur de Iuda tantum: & tunc cum æquiualeat*, aliquis, *ſequitur naturam illius in oppoſitione. Ex dictis colliguntur ſolutiones multorum argumentorum; quæ ſupponunt, aliquas propoſitiones eſſe contradictorias, cum non ſint.*

12 *Primo in materia indefinita. iſtæ propoſitiones;* promitto tibi librum; nullum tibi librum promitto; *non ſunt contradictoriæ; quia poteſt eſſe vtraque vera in caſu, quo promiſerim tibi librū in confuſo: & variatur ſuppoſitio; nam liber in prima propoſitione ſupponit confusè, in ſecunda diſtributiuè propter notam vniuerſalem,* nullum; *quæ diſtribuit pro ſingulis determinatè.*

13 *Secundo nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* cuiuslibet Domini quilibet ſeruus furatur; cuius libet Domini quilibet ſeruus non furatur: *ſunt enim ſimul falſæ: nam ex ſuppoſitione, quod ſerui Petri non furentur, falſa erit prima, falſa etiam ſecunda, ſi alij ſerui v.g. Pauli furentur. Erunt ergo contrariæ: nam negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ: ſcilicet* non quilibet ſeruus cuiuslibet Domini furatur, *vel* aliquis ſeruus non furatur *&c.*

14 *Tertio. Nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* nullius Domini equus currit; Alicuius Domini equus currit: *quia vtraque poteſt eſſe vera, ex ſuppoſitione, quod equus à nullo poſſeſſus (quod ſonat,* nullus Domini equus) *& præterea equus etiam Petri curreret. Non enim de eodem equo diceretur, quod curreret, & non curreret: non nego tamen ſenſum illius propoſitionis,* nullius Domini equus currit, *eſſe æquiuocum: & aliquando accipi in*

ſenſu

ſenſu poſito, aliquandò in hoc, ſcilicet quod excludat omnes; Actor. 20. veſtem nullius concupiui *&c. non eſt ſenſus, quod concupierit veſtem a nemine poſſeſſam, ſed quod nullam veſtem concupierit.*

15 *Quarto. Nec iſta ſunt contradictoria;* homo eſſentialiter eſt albus, homo eſſentialiter non eſt albus, *ſiue* homo inquantum homo eſt albus: inquantum homo non eſt albus: *eſt enim vtraque falſa: nam prima affirmat de eſſentia hominis eſſe albedinem, quod eſt falſum: Secunda etiam falſa eſt; quia aſſerit de eſſentia hominis eſſe, non habere albedinem, ſeu carere albedine. Sunt ergo contraria, quia ſecunda negatiua infert contradictoriam affirmatiuæ; ſcilicet,* homo non eſt eſſentialiter albus. *Propter eandem rationem nec ſunt contradictoriæ iſtæ;* Petrus propter Paulũ eſt mihi amicus; Petrus propter Paulũ nõ eſt mihi amicus: *nam ly,* propter Paulũ, *non negatur in negatiua, vt ſupra diximus: Itẽ nec iſtæ ſunt contradictoriæ;* ego ſæpe audiui miſſam; ego ſæpe non audiui miſſam: ego ſemper oro; ego ſemper non oro: *quia nunquam negatur ly,* ſæpe, *& ly* ſemper, *vt requiritur pro contradictorijs. Item nec ſunt contradictoriæ iſtæ, & valde notandæ pro materia vniuerſalium:* natura ſecundum ſe eſt vniuerſalis, natura ſecundum ſe non eſt vniuerſalis, *& alia huiuſmodi: vtraque enim eſt falſa; nam ly.* ſecundum ſe, *non negatur in propoſitione negatiua: erunt ergo contrariæ, vt diximus in propoſitionibus;* homo eſſentialiter eſt albus *&c. Generatim autem pro his, & ſimilibus propoſitionibus tenenda eſt regula Ariſtotelis: non eſſe meliorem modum contradicendi, quam ponendo negationem in fronte totius propoſitionis neganter tamen*

men, non infinitanter acceptam, vt ſupra diximus; *verbi gratia, contradictoria huic;* homo eſſentialiter eſt albus, *non .... homo eſſentialiter eſt albus.*

16 *Notandum Octauo. Pro aliquibus propoſitionibus, quas aliqui vocant* reflexiuas, *alij,* ſe falſificantes, *alij* indiſſolubiles, *quarum meminit Sotus lib. 3. cap. 8. lect. 2. Quæri poſſe; an iſtæ propoſitiones ſint oppoſitæ?* hæc propoſitio non eſt vera; hæc propoſitio eſt vera; *ita vt prima ſemper ſignificet ſe ipſam, ſecunda ſignificet primã propoſitionem. Ex vna parte videtur vtraque vera; nam, hoc ipſo quod prima negatiua eſt vera; ſecunda etiam affirmatiua, quæ dicit illam eſſe veram, erit vera: Si autem prima erit falſa, Secunda etiam erit falſa: quia dicit primam eſſe veram. cum non ſit: atque ita erunt falſæ ambæ; & ſic non erunt contradictoria. Ex altera vero parte videntur contradictoria; cum id, quod vna affirmat, altera neget. Pro ſolutione; ſciendum, de eſſentia cuiuſcunque propoſitionis eſſe, vt implicitè, & virtualiter aſſerat, ſe eſſe veram, ideſt, ita rem eſſe, vt enunciat: v. g. hæc propoſitio,* Petrus ſtudet, *inuoluit aliam implicitè, ſcilicet* verum eſt Petrum ſtudere. *Ad rem noſtram igitur. Prima propoſitio, quæ dicit de ſe ipſa;* hæc propoſitio non eſt vera, *dicit etiam implicitè eſſe verã, quod prorſus dicit ſecunda ex ſuppoſitione, quod cadat ſupra primam: de ſe ergo dicit prima, quod ſit vera. & quod non ſit vera; quod cum ſit impoſſibile; talis propoſitio eſt abſolutè falſa. Secunda vero propoſitio, quæ de prima dicit,* hæc propoſitio eſt vera, *non eſt contradictoria primæ, cum enunciet partem primæ: ſicut non ſunt contradictoria iſta;* Petrus currit. *ac copulatiua iſta;* Petrus currit, & Petrus non currit: *cum ergo ſecunda*

cunda aſſerat primam eſſe veram. quod etiam prima dicit: Secundum partem, non erit illi contradictoria. Imo ſi quis diligenter aduertat ad ſenſum ſecundæ propoſitionis, inueniet eſſe eundem, ac primæ; nam quod dicat partem primæ patet; quia dicit illam eſſe veram, quod dicit prima: quod etiam dicat alteram partem, probatur; quia ponitur ſecunda habere pro obiecto ipſam primam. Senſus ergo ſecundæ integer eſt; verum eſt hanc propoſitionem non eſſe veram. *Idem ergo eſt prima, ac ſecunda; ſed cum hoc diſcrimine, quod prima dicit implicitè id, quod ſecunda dicit explicitè. Secunda vero dicit implicitè id, quod prima dicit explicitè; & ſic non erit illi cōtradictoria. Quæri etiam poteſt; an ſint contradictoriæ iſtæ propoſitiones;* Deus dabit pluuiam. Deus non dabit pluuiam*; ex ſuppoſitione quod Deus fecerit tale pactum; ſi prima propoſitio. quam dicit Petrus, erit vera, ego dabo pluuiam, & Petrus primò dicat:* Deus non dabit pluuiam: *tunc vel iſta propoſitio erit vera, vel falſa; ſi vera, ergo vera etiam alia,* Deus dabit pluuiam *poſita promiſſione Dei. Si vero hæc erit falſa,* Deus non dabit pluuiam; *erit etiam falſa hæc, quæ dicit,* Deus dabit pluuiam, *quia Deus promiſit ſe daturum pluuiam ex ſuppoſitione quod prima propoſitio, quam Petrus dicit, ſit vera; & ſic hæ propoſitiones,* Deus dabit pluuiam, & Deus non dabit pluuiam, *erunt ſimul veræ, vel ſimul falſæ. Sed dicendum, caſum eſſe impoſsibilem; quia pactum non poteſt procedere de propoſitione, quæ ſit deſtructiua pacti; ſed in alia materia, alioquin obligaretur Deus ad impoſsibile. Similes propoſitiones proponit Sotus lib. 3, cap. 8. notabili 2.*

17 *Pro Intelligentia huius termini* Inintelligi-

bile

ligibile, *ſed vere & realiter intelligibile. ſeu, bene ſequitur, quod ſi intellectus aliquid intelligit illud nō ſit* inintelligibile, *ſed* intelligibile. *& ita hæc prima propoſitio eſt vera. ſecunda autem, quæ dicit,* intellectus cognoſcit inintelligibile *contradictoria primæ, eſt falſa; quod patet, ſi reſolvatur in ſuam exponentem; quæ eſt, ſi* intellectus cognoſcit aliquid, illud non eſt intelligibile, *falſa inquam hæc eſt, quia hoc ipſo, quod intellectus cognoſcit aliquid, illud eſt intelligibile: nō autem repugnat, vt id, quod vere & realiter eſt* intelligibile, *ſit ſolum ficte* inintelligibile, *nā ipsū quoque fictū* inintelligibile *eſt aliquid* intelligibile. *& ratio eſt, quia non affirmatur de eodē explicitè quod ſit* intelligibile, *&* inintelligibile, *imo etiā ſi affirmaretur in ſenſu explicato, neq; affirmarentur contradictoria, quia non ſunt contradictoria. vt id quod fingitur eſſe* inintelligibile, *ſit vere, & realiter* intelligibile *nam per eſſe vere & realiter intelligibile non venit ens reale, ſed ipſum etiam ens fictum, quod eſt* intelligibile *, quare non ſunt contradictoria iſta* intelligibile, *realiter*, inintelligibile *fictè, quia ſub* intelligibili *quod cōprehendit omnia tam realia, quam ficta, comprehenditur hic terminus* inintelligibile, *quod eſt aliquid fictum; contradictorij autem ſunt* intelligibile, *non* intelligibile, *qua ratione diximus non poſſe infinitari hunc terminum* intelligibile, *quia nihil poteſt dari, quod non ſit, intelligibile, vt etiam contradictorii ſunt iſti*, intelligibile a parte rei, *ſeu realiter, ſeu vere, &* inintelligibile a parte rei, verè, &c. *& ideo nō datur, nec intellectus illos cognoſcit explicitè ſed quādo cōcipit* inintelligibile *à parte rei fingitur aliquid,*

quod ſit tale, cum reuera non ſit, eo quod illud ipſum, hoc ipſo quod intelligitur, eſt intelligibile a parte rei, ſeu realiter.

20 Pro ſolutione multorum, quæ appellãtur inſolubilia; cenſeo non dari propoſitiones ſe falſificantes. & ratio eſt, quia vt propoſitio ſe falſificet, debet ſe ſignificare, nam niſi ſignificet, neque poteſt affirmare, neque negare; & conſequẽter nec ſe falſificare. ſignificare autem eſt facere venire in cognitionẽ rei ſignificatæ; cognitio verò qua ego cognoſco Petrum v. g. non eſt ſignum ſui ipſius reſpectu mei, ideſt per talem cognitionem non cognoſco eandem cognitionẽ, vnde cognitio dicitur eſſe ſignum formale; quatenus eſt ratio cognoſcendi aliud, ipſa vero non cognoſcitur: cum ergo cognitio non ſignificet ſeipſam, quia per ſe ipſam non cognoſcitur, neq; poterit ſe falſificare, quia falſificare, eſt dicere falſum, ſeu dicerè aliter ac eſt, dicere autem eſt affirmare; affirmare vero eſt cognoſcere, cognoſcere eſt ſignificare, hoc ipſo autem quod cognitio ſeipſam nõ ſignificat, nec ſeipſam falſificabit; quare vt nõ dãtur tales propoſitiones, quæ ſeipſas diſtinctè cognoſcant, ita nec veritatem, nec falſitatem habent ſupra ſeipſas; nec obſtat quod in cõfuſo eadem cognitio repræſentet ſeipſam, v. g. dum dico, cognitio *in qua, cum ipſa quoq; ſit aliqua cognitio, continetur ſub tali voce; nam hoc ipſo quod non ſignificat diſtinctè ſeipſam, nec poterit eſſe vera vel falſa reſpectu ſui ipſius.*

21 Ex qua doctrina ſolues aliud. Intellectus non cognoſcit chimeram realem, *vel hæc propoſitio eſt vera, vel falſa, ſi vera, ergo eius contradictoria:* Intellectus cognoſcit chimeram realem, *erit falſa, ſed hæc eſt vera. nam verum eſt quod intellectus cognoſcat chimeram realem, ſecundum*

dum eam partem primæ propoſitionis, quæ dicit, intellectus non cognoſcit chimeram realem. *neceſſario enim per talem propoſitionem repræſentatur chimera realis. ad negandum de ea, quod cognoſcatur ab intellectu. ſi vero ponatur ſecunda falſa quatenus intellectus cognoſcendo chimeram, non cognoſcit aliquid reale, & ita propoſitio, quæ dicit, quod intellectus cognoſcit chimeram realem, eſt falſa; contra inquam eſt, ex ratione modo facta, quia cũ per primã propoſitionẽ vere cognoſcatur chimera realis, ſecunda quæ hoc dicit erit vera. Sed ſi bene attendatur ſecunda, eſt falſa. quia nunquam intellectus cognoſcit chimerã realem, quando cognoſcit chimeram. quod inde colligitur, quia exponitur illa ſecunda propoſitio per hanc conditionalẽ; ſi* intellectus cognoſcit aliquam chimeram, illa eſt realis, *quod eſt omnino falſum. prima autem propoſitio vera eſt, & exprimitur per hanc conditionalem,* ſi intellectus cognoſcit aliquam chimeram, illa non eſt realis *quod eſt veriſſimum. ſi autem quæritur, quid reſpondeat illi parti primæ propoſitionis, qua dicitur,* intellectus non cognoſcit chimerã realem. *dico reſpondere chimeram, quæ fingitur realis, & conſequenter reſpondet id, quod a parte rei eſt fictum, ſed non cum prædicato fictionis. nam per illam cognitionem vere fingitur chimera realis, & conſequenter eſt quid fictum, licet non cognoſcatur ſub ratione ficti, vt cognoſcitur ſecundum alteram partem propoſitionis, quæ dicebat* non cognoſco chimeram realem, ſed fictam, *ly enim* ſed fictam, *non ſolum denotat quod ſit fictum id, quod concipitur, ſed etiam quod concipiatur ipſummet prædicatum fictionis obiectiuè, ſeu diſtinctè cognoſcatur eſſe fictum,*

 & ita

& ita ſecunda propoſitio, quæ dicit intellectus cognoſcit chimæram realem, *eſt falſa intelligendo realem, quod eſt à parte rei, quia vere non eſt a parte rei chimera, quam cognoſcit; & hanc chimeram, quæ ſit à parte rei, negat prima propoſitio, quod intellectus cognoſcat; etiamſi dicendo hoc, fingatur chimera impoſſibilis, non tamen cum prædicato impoſsibilitatis, & fictionis. res eſt difficilis. & ideo Tyrones abſtineant, qui inuenit meliorem ſolutionem addat ad marginem.*

22 *Soluitur etiam aliud*. Intellectus intelligit omne ens reale poſitiuum, negatiuum, rationis, & nihil aliud, *videtur enim hæc propoſitio ſe falſificare. nam ſecundum illam partem, qua dicit* omne ens &c. *comprehendit omnia, & nihil excluditur. ſecundum vero aliam partem, qua dicitur, &* nihil aliud, *iam concipitur hoc aliud, vt contradiſtinctum ab omni ente, à quo excluditur. ergo vel falſum eſt, quod dicitur in illa parte, concipi omne ens, vel dabitur cognitio ſine obiecto, ſecundum illam partem, qua dicitur &* nihil aliud. *ſoluitur inquam, quia talis propoſitio reſoluitur per hanc conditionàlem;* ſi intellectus cognoſcit aliquid, illud eſt vel reale vel fictum &c. *quare obiectum mea cognitionis. qua formo illam propoſitionem, ſunt omnia illa, ens reale, rationis, negatiuum, poſitiuum &c. nec formatur talis propoſitio mentaliter. vt dicitur, ſed vel modo conditionali explicato. vel abſoluto;* intellectus quicquid intelligit eſt aliquid, vel reale, vel rationis *ex qua verbaliter ſolum formatur illa propoſitio initio*

poſita,

poſita, & illis verbis, nihil aliud *non correſpondet diuerſum obiectum ab eo quod exprimitur per alia verba* cognoſci: omne ens, &c. *ſed omnino idem cum tali modo tendendi intellectus, quo explicitè affirmetur omnia quæ intellectus intelligit comprehendi ſub illis terminis ſcilicet quod ſit vel ens reale, vel rationis, &c.*

24 *Notandum vltimò. Seruandam ſemper eſſe eandem ſuppoſitionem terminorum, appellationem, ampliationem, aſcenſum & deſcenſum; de quibus fusè Sotus lib. 3. cap. 3. Quare iſta non ſunt oppoſita*, Antichriſtus nõ eſt, Antichriſtus erit; *quia non ſeruatur eadem applicatio temporis Alia plura videat, qui velit apud Sotum, & alios.*

CAPVT OCTAVVM.

De Aequipollentia ſimplicium Enunciationum.

1 A*Equipollentia eſt, cum duæ propoſitiones aliquo ex prædictis modis oppoſitæ redduntur æquiualentes,* ideſt habentes eandem vim Hoc autem fit per particulam *(Non)* alicui propoſitioni additam, vel detractam. Negatio enim, cum ſit malignantis naturæ, tollit id, quod poſt ſe inuenit, immutatque omnia, quæ ſequuntur: quare propoſitionẽ,

quam inuenit vniuerſalem, facit particularem: particularem verò ſi inuenit, facit vniuerſalem: affirmatiuam reddit negatiuam, & è contra; modò negatio accipiatur negãter, non infinitanter modo dicto. Inſeruit autem æquipollentia ad explicandas propoſitiones obſcuriores. Quare ex vna ad alteram æquipollentem euidens eſt conſequentia.

2 Contradictoriæ propoſitiones redduntur æquipollentes per additionem particulæ, *Non*, vni ex duabus propoſitionibus: v.g. iſtæ propoſitiones ſunt contradictoriæ; *omnis homo eſt animal, aliquis homo non eſt animal*: ſi ponatur negatio ante primam: v.g. *non omnis homo eſt animal*, erit æquipollens ſecundæ, ſcilicet; *aliquis homo non eſt animal*; quæ rurſus, ſi habeat negationem in fronte: v. g. *non aliquis homo non eſt animal*, æquipollet primæ; *omnis homo eſt animal*. Item *nullus homo eſt animal: aliquis homo eſt animal* ſunt contradictoriæ: ſi ponetur negatio in fronte primæ, ſcilicet, *non nullus homo eſt animal*, erit æquiualens ſecundæ, ſcilicet *aliquis homo eſt animal*; cui ſi præfigas negationem: ſcilicet *non aliquis homo eſt animal*: æquiualebit primæ,

3 Contrariæ, & ſubcontrariæ fiunt æquipollentes, ſi poſt ſubiectum ante copulam vni ex illis propoſitionibus apponatur negatio v.g. hæ propoſitiones ſunt contrariæ; *omnis homo eſt animal*: ſi primæ addatur negatio poſt ſubiectum hac ratione; *omnis homo non eſt animal*; æquiualebit ſecundæ *nullus*

homo

homo eſt animal: cui ſi apponatur negatio poſt ſubiectum: v.g. *nullus homo non eſt animal*, æquiualebit primæ, *omnis homo eſt animal*. Eodem modo applica regulam ſubcontrarijs.

4 Subalternæ fiunt æquipollentes, ſi ponantur duæ negationes, vna ante, altera poſt ſubiectum alterutrius propoſitionis: v.g. hæ propoſitiones ſunt ſubalternæ; *omnis homo eſt animal, aliquis homo eſt animal*: ſi primæ addantur duæ negationes modò dicto; ſcilicet, *non omnis homo non eſt animal*; æquiualebit ſecundæ, ſcilicet; *aliquis homo eſt animal*: cui ſi apponantur duæ negationes modo dicto; ſcilicet *non aliquis homo non eſt animal*, æquiualebit primæ ſcilicet; *omnis homo eſt animal*.

5 Vt conſulatur memoriæ, ſolent omnes æquipollentiæ hoc verſu comprehendi.

Præ contra dic, poſt cōtra, præpoſtq; ſubalter.
Et ſenſus eſt. Per ly, *præ*, intelligitur præponendam eſſe negationem. Per ly, *contradic*, intelliguntur propoſitiones contradictoriæ. Per ly, *poſt*; intelligitur poſtponendam eſſe negationem. Per ly, *contra*: intelliguntur contrariæ. Per ly, *præpoſt*, intelligitur duplex negatio, quarum vna præponatur, altera poſtponatur ſubiecto. Per ly, *ſubalter*, intelliguntur propoſitiones ſubalternæ.

6 Vſus æquipollentiæ eſt: v.g. in contradictorijs, ſi oblata fuerit aliqua propoſitio habens præpoſitam negationē, & ignores eius vim: aufer negationem, & quære eius contradictoriam: tunc talis contradictoria æqui-

ualebit illi cum negatione rurſus appoſita: v. g. ſit hæc propoſitio; *non omnis homo eſt animal*; auferatur negatio remanebit, *omnis homo eſt animal*; tunc ſumatur huius contradictoria, quæ eſt, *aliquis homo non eſt animal*; reponatur iterum negatio primæ propoſitioni, fiet, *non omnis homo eſt animal*; atque ita eius vis cognoſcetur: æquiualet enim huic; *aliquis homo non eſt animal*. Idem ſeruandum in alijs oppoſitionibus.

7 Quatuor ordines ſignorum æquipollentiæ communiter afferuntur, quorum quælibet tria ſigna æquipollent.

PRIMVS ORDO.

1. *Omnis*. 2. *Nullus non*. 3. *Non aliquis nõ*.

SECVNDVS ORDO.

1. *Nullus*. 2. *Omnis non*. 3. *Non aliquis*.

TERTIVS ORDO.

1. *Aliquis*. 2. *Non nullus*. 3. *Non omnis nõ*.

Addunt alij, *Neuter non*, æquiualere *vterque*: vt *Neuter* æquiualere *non alter*. Hi ordines paulo aliter immutati, his verſibus comprehenduntur.

Non omnis quidam non. Omnis non, quaſi nullus.
Non nullus, quidam. Sed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus Non quidam non valet omnis.
Non alter, neuter. Neuter non, præſtat vterque.

Et ſen-

8 Et ſenius eſt, quod quælibet duo prima ſigna cuiuslibet verſus ſibi æquipolleant. Quæ regulæ valent tantum in oppoſitis affectis talibus ſignis ſyncategorematicis. Quas Sotus lib. 3. cap. 1 lect. vnic. notab. 16. appellat oppoſitas ex forma enunciandi: non autem valent in alijs, quas habere diximus proprietates oppoſitarum: v. g. *Petrus currit, Petrus non poteſt currere*; quas Sotus appellat oppoſitas de lege. Rurſus prædictas regulas valere in propoſitionibus de terminis affectis ſyncategoremate in numero ſingulari: nam in numero plurali eſt diuerſa ratio. Supra enim innuimus non eſſe idem; *nullus homo currit*, & *nulli homines currunt*; quia ſi vnus tantum curreret, non eſſet vera prima, vt poſſet eſſe ſecunda, ad cuius veritatem ſatis eſt, quod nullum ſit binarium, quod currat. Pro his ergo propoſitionibus de ſignis in numero plurali.

Notandum. Aequiualere quælibet duo ſigna ſingulorum ordinum ſequentium.

Non nulli, Aliqui. Non aliqui, Nulli.

9 Pro quibus ſciendum. *Aliqui*, in numero plurali ſupponere ad minus pro binario: item, *nulli*, negare ſingula binaria, & ſic eius veritatem nō impediri, ſi vnus terminus ſingularis non includatur in illo. Nam verum eſt, quod nulli binarij currant, etiam ſi ſolus Petrus currat. item ſicut idem eſt. *Non aliquis*, & *Nullus*: ita, idem eſt *non aliqui*, & *Nulli*. Rurſus idem eſt *Non aliqui non*, & *Nulli non*; nam *Non aliqui*, & *Nulli* ſunt idem ex dictis: atque ita addita vtrique negatione

gatione erunt etiam idem. Vbi aduerte hu-iuſmodi ſigna reddere propoſitionem affir-matiuam ſicut *Nullus non*, æquiualet *omnis;* ita *Nulli, non*, & *Non aliqui non*, æquiualent *omnes binarij*: & ita habet ſenſum diſtribu-tiuum, ad cuius veritatem requiruntur etiã ſinguli termini ſingulares: quatenus quili-bet terminus ſingularis conſtat aliquod bi-narium, quod ingreditur deſcenſum diſtri-butiuum; hoc enim ipſo, quod vnus termi-nus ſingularis deeſt, aliquod binarium deeſt; & conſequenter non eſſet verum, quod om-nia binaria currerent; ly autem, *omnes*, acci-pitur pro ſingulis terminis ſingularibus, & eſt idem ac *omnis*. Negationem vero poſitam poſt hunc terminum, *omnes*, non æquiualere, *Nulli*: nam cum veritate huius; *omnes non currunt*, non ſtat quod aliquis currat; cum veritate autem huius, *Nulli homines currũt*, poteſt ſtare, quod aliquis curra, vt ſupra di-ximus. Demum aduerte, negationem habere valde diuerſam vim, ſi ponatur ante, ac poſt aliquem terminum ex regula alibi tradita, quod negatio, cum ſit malignãtis naturæ ne-gat, & immutat ea, quæ ſequuntur, non ea, quæ ſunt ante ſe: ſic *Nullus*: v.g. nomen con-flatum ex negatione, & *vllus* immutat ſigni-ficationem ipſius, *vllus*; nam facit illud no-men ſupponere vniuerſaliter, cum ſit parti-culare, & facit negatiuum, cum ſit affirma-tiuum. Item, ſi ponatur negatio ante, *omnis*, facit hunc terminum ſupponere particulari-ter, cum ſit vniuerſalis: ſi autem ponatur poſt: v.g. *omnis non*; tunc remanet ly, *omnis*;
cum

cum ſua ſuppoſitione vniuerſali affirmatiua; & ex vi negationis ſequentis ſolum negatur prædicatum de illo, & ſic æquiualet huic termino, *Nullus*, quem, ratione negationis incluſæ, diximus ſupponere vniuerſaliter, his poſitis.

10 Aequiualent iſta ſigna
Nulli non, omnes. Non aliqui nõ, valet idem.
Non omnes, nõ valet Aliqui nõ; ſed aliquis nõ.
Omnes non, non valet, Nulli, ſed Nullus,

Hæc omnia patent ex dictis: nam æquiualent iſtæ propoſitiones; *Nulli non currunt*, & *omnes currunt*, & *Non aliqui non currunt.* Item iſta propoſitio; *Non omnes currunt*; nõ æquiualet huic, *Aliqui non currunt*; Nam ſi vnus tantum non curreret, eſſet vera, *Non omnes currunt*; vt non eſſet, *Aliqui non currunt*; quæ ad ſui veritatem requirit ſaltem binarium, quod non currat; æquiualebit autem huic, *Aliquis non currit*: licet aliquando æquiualeant *non omnes*, & *Aliqui non*; vt Matth. 19. *non omnes capiunt verbum iſtud*, ideſt aliqui non capiunt. Demum hæc propoſitio; *omnes non currunt*, non æquiualet huic, *Nulli currunt* propter contrariam rationem, quia ſi vnus curreret, non eſſet vera iſta, *omnes non currunt*, vt eſſet, *Nulli currunt*: ſed æquiualet huic, *Nullus currit*.

Appendix II. Gen.

11 QVæres, *an propoſitio de prædicato infinito æquipolleat propoſitioni negatiuæ, & an liceat ex vna argumentari ad aliam*.

Difficultas mouetur propter Ariſtotelem 1. prior cap. vlt. vbi ita habet. Differt autem nō eſſe hoc, & eſſe non hoc. *Et ſenſus eſt, quod differat*, non poteſt ambulare, & poteſt non ambulare, *Nam ſecūda eſt vera, prima falſa. Et infra* amplius, *inquit* eſt non album lignum, & non eſt album lignum, non ſimul ſunt, *id eſt non æquipollent & rationem affert*. Si enim, *inquit*, eſt lignum non album, erit lignum; quod autem non eſt album lignum, non neceſſe eſt lignum eſſe. *Et inferius*. Quoniam verò, *inquit*, manifeſtum, quod diuerſum ſignificat, eſt non album, & non eſt album, & illud quidem affirmatio, hoc negatio. *Et ſenſus eſt, quod in propoſitione affirmatiua de prædicato infinito, ratione affirmatæ copulæ, ſupponatur exiſtentia ſubiecti: in propoſitione verò negatiua, non ſit neceſſe ſupponi exiſtentiam ſubiecti*.

12 *Duplex autē poteſt fieri quæſtio. Prima; an ſibi æquipolleant huiuſmodi propoſitiones. Secunda, an vna inferat aliam nam non eſt idem æquiualere & inferre: ex eo enim quod inferatur:* Dies eſt, ergo ſol eſt; *non ſequitur eſſe idem. Tractant hāc quæſtionem Conimbr. lib. 2. periherm. cap. 1. quæſt. vnica.*

13 *Pro ſolutione, cū diſtinctione procedendum. Si ſermo ſit de propoſitionibus in materia neceſſaria vel remota ſeu impoſſibili, exiſtimo æquiualere quia non requiritur exiſtentia in ſubiecto: v. g* homo non eſt animal: homo eſt non animal: *ſeu* homo non eſt lapis: homo eſt non lapis. *In materia verò contingenti, propter oppoſitam rationem, non æquiualere,*

ualere:v.g. Antichriſtus eſt non crudelis; Antichriſtus non eſt crudelis: *nam prima, ratione affirmata copula, & prædicati contingentis, importat exiſtentiam ſubiecti ex dictis, ſecunda non; benè tamen prima infert ſecundam, non è contra. nam prima, cum ſit affirmatiua de prædicato infinito, affirmat quidẽ ſubiectum, vt diximus: negat verò ſignificatũ prædicati; ſecunda vero negat idem prædicatum, nihil curãdo de ſubiecto; & ſic prima infert ſecundam, non autem ſecunda primam; quia, cum prima requirat exiſtentiam ſubiecti, & ſecunda ab illa præſcindat; non benè Iª à ſecunda infert. Inferretur autem; ſi ſaluaretur conſtantia ſubiecti in negatiua, hac ratione;* Antichriſtus non eſt crudelis, & Antichriſtus eſt; ergo eſt non crudelis. *Rurſus requiritur, vt totus terminus negatus cum modo eiuſdem; ſi illũ habeat, infinitetur: propter cuius defectum, non valet: v.g.* Petrus non eſt de ſe albus; ergo eſt de ſe non albus *ſed dici debet;* Petrus non eſt de ſe albus, & Petrus eſt, ergo Petrus eſt non de ſe albus, *vbi ly,* de ſe, *etiam infinitatur: quæ doctrina valdè tenenda eſt in propoſitionibus etiam Theologicis: v.g non valet.* myſterium Trinitatis, non eſt euidenter poſſibile; ergo eſt euidenter non poſſibile. *ſed dici debet*, ergo eſt non euidenter poſſibile. *Demum aduerte Ariſtotelem 2. Cæli tex.* 48. *vbi contendit probare, planetas eſſe prope nos; vti propoſitione negatiua loco affirmatiua de prædicato infinito, ſcilicet* planetæ non ſcintillant, *pro hac;* planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillantes: *poſuit*

enim

enim propoſitionem, quæ infertur, pro ea, à qua infertur: quod benè poteſt fieri, ponendo conſtantiam ſubiecti, vt ipſe ponit.

CAPVT NONVM.
De Conuerſione.

1 Conuerſio eſt *duarũ propoſitionũ vnius ad alteram per extremorum tranſpoſitionem neceſſaria conſequentia*, ideſt, vt factâ mutatione ſubiecti in prædicatum, & è contra, vna propoſitio inferatur ex alia: v.g. *aliquis homo eſt animal*; ſic cõuertitur; *aliquod animal eſt homo*. Prima propoſitio, quæ conuerti debet dicitur *conuerſa*, altera, quæ ex illa infertur, dicitur *conuertens*.

2 Tripliciter autem fit conuerſio. Primo *ſimpliciter*, cum ſcilicet ſeruata eadem quãtitate, & qualitate, mutatur ſolum ſubiectũ in prædicatum, ſic conuertuntur propoſitiones vniuerſales negatiuæ, & particulares affirmatiuæ: v.g. *nullus homo eſt lapis*, ſic cõuertitur *nullus lapis eſt homo*: item *aliquis homo eſt albus*; ſic conuertitur *aliquod album eſt homo*.

3 Secundo. Conuerſio fit *per accidens*, & hæc dicitur cõuerſio ex parte, vt prima dicitur ex terminis; hæc autem fit; cum mutãtur extrema, ſeruata eadẽ qualitate, non quantitate: ſic conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua: v.g. *omnis homo eſt animal*; ſic conuertitur; *aliquod animal eſt homo*: item *nullus homo eſt lapis*: *aliquis lapis non eſt homo*.

4 Ter.

4 Tertio Fit conuerſio per contrapoſitionem, cum ſeruata eadem qualitate, & quantitate infinitantur extrema. Sic conuertuntur vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua: v.g. *omnis homo eſt animal;* ſic conuertitur; *omne non animal eſt non homo: aliquis homo non eſt albus, aliquod non album non eſt non homo.*

Huiuſmodi autem conuerſiones exprimi ſolent his verſibus

Simpliciter Feci conuertitur Eua per acci:
Aſto per contra: ſic fit conuerſio tota:
Aſſerit A, negat E ſunt vniuerſaliter ambæ:
Aſſerit I, negat O: ſunt particulariter ambæ.

5 Pro intelligentia; nota has litteras A, E, I, O, eſſe notas propoſitionum. Et, A, ſignificare propoſitionem vniuerſalem affirmatiuã: E: vniuerſalem negatiuam: I, particularẽ affirmatiuam, O, particularem negatiuam, Senſus ergo duorum verſuum eſt, vocales E, & I, incluſas in dictione *Feci*, conuerti *ſimpliciter*; ideſt propoſitiones ſignificatas per illas literas. Item litteras E, & A, incluſas in particula, *Eua*, conuerti *per accidens* (metri enim cauſa ponitur tantum *Acci*, pro *accidens*) litteras A, & O ſignificatas per, *Aſto*, conuerti *per contrapoſitionem:* metri enim etiam cauſa, loco *contrapoſitionis* ponitur ſolum *contra*.

6 In qualibet conuerſione ſeruari debet eadem ſuppoſitio, & aliæ terminorum affectiones. Quare non benè conuerteretur, *ego amo Petrum, ergo Petrus amat me:* ſed *amãs Petrum ſum ego.* item *Petrus eſt in agro:* ergo

ager

ager eſt in Petro: ſed *exiſtens in agro eſt Petrus* Item quãdo in propoſitionibus tempus eſt pars prædicati, vel ſubiecti, vel vtriuſque in conuerſione, prædicatum mutandum eſt in ſubiectum cũ ſuo tempore: v.g. *omnis puer erit ſenex*; hæc propoſitio dicit duo tempora, præſens in ſubiecto, futurũ in prædicato; quare ita conuerti debet; *qui erit ſenex, eſt, qui modo eſt puer*. Item hæc; *ſenex fuit puer*; ita conuertetur; *qui fuit puer, eſt qui modo eſt ſenex*: Semper enim ſeruandum, vt integrum prædicatum mutetur in integrum ſubiectũ. In propoſitionibus vero modalibus, modus, qui ſe tenebat ex parte prædicati in cõuerſo, in conuertente ſe debet tenere ex parte ſubiecti cum repetitione copulæ v.g *album neceſſario eſt corpus*, ita debet conuerti, *quod neceſſario eſt corpus eſt album*: & idem ſeruandum in alijs modis: & ratio eſt, quia modus ſe tenet ex parte prædicati in conuerſo; ergo, cum hoc fiat ſubiectum in conuertente, ex parte ſubiecti debet poni modus.

Appendix. I. Gen.

7 Q*Vares, cur vniuerſalis affirmatiua non poſſit conuerti ſimpliciter*: v g omnis homo eſt animal?

8 *Reſpõdetur, rationem eſſe, quia prædicatũ factum iam ſubiectũ in conuertente ſupponeret diſtributiuè, cum in conuerſo non ſupponat diſtributiuè, ex vniuerſali regula, quod propoſitio vniuerſalis affirmatiua non diſtribuit prædicatũ. Item nec particularis negatiua conuerti poteſt ſimpliciter propter eandem ratio-*

*rationem:v g.*aliquod animal nõ eſt homo;*ſi enim conuerteretur hac ratione;*homo nõ eſt animal; *iã ly* animal, *acciperetur diſtributiuè ratione negationis,cuius vis eſt diſtribuere ea, qua inuenit poſt ſe.Cũ ergo conuerſio ſit genus conſequentia, in qua nõ licet argumentari à non diſtributo ad diſtributũ:non poterũt conuerti ſimpliciter vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua. Si autem addatur aliquod ſignũ diſtributiuũ,poterũt conuerti ſimpliciter:v.g.*omnis homo eſt omne rationale; *benè cõuerti poterit;* ergo omne rationale eſt omnis homo, *qua conuerſio eſſet irregularis, qualis etiã eſſet hac;*Petrus nõ eſt doctus ergo nullum doctum eſt Petrus: *vbi aduerte à propoſitione conuerſa ad conuertentem eſſe euidentem conſequentiã,non è contra:v g.benè valet;*omnis homo eſt albus;*ergo* aliquod album eſt homo; *non tamen valet;* aliquod album eſt homo;*ergo* omnis homo eſt albus.

9 *Notãdum, pro conuerſione per contrapoſitionem,velle aliquos,vt teneat dicta cõuerſio,debere addi,*conſtantiam. *qua ſe teneat ex parte ſubiecti propoſitionis cõuertentis vniuerſalis affirmatiua:v g* omnis homo eſt doctus; *ita conuertitur,*omne nõ doctũ eſt nõ homo; *conſtantiã autẽ debere addi ex parte ſubiecti huius propoſitionis,ſcilicet,* & eſt non doctũ. *In particulari vero negatiua debere poni conſtantiã ſubiecti propoſitionis conuerſa:v g* Antichriſtus nõ eſt bonus; *ita conuertitur:* aliquod nõ bonũ nõ eſt nõ Antichriſtus: *debet addi conſtantia ex parte pradicati huius propoſitionis, quod erat ſubiectum conuerſa ſcilicet,* &

Anti-

Antichriſtus eſt,*quam conſtantiam requirunt, vt ſeruetur eadem ſuppoſitio terminorum; nam alioqui,daretur antecedẽs verũ,& cõſequens falsũ;quod ſi Antichriſtus non exiſteret, verum eſſet, quod non eſſet bonus:& poſſet non eſſe verum, quod aliquod non bonum non eſſet id quod non eſt Antichriſtus, ex ſuppoſitione quod Antichriſtus non exiſteret.Volunt alij, poſſe alio modo conuerti propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam per contrapoſitionem,infinitando ſcilicet ſubiectum, & negando copulam: v.g.* omnis homo eſt animal: omne, quod non eſt animal, non eſt homo. *Demum aduerte ex Toleto, Villalpando, & alijs conuerſionem harum propoſitionum non eſſe admodum vtilem,cum obſcurior ſit, quam illa propoſitio, cuius explicandæ gratia adhibetur; & ideo non eſſe multum in vſu.*

CAPVT DECIMVM.
Quid, & Quotuplex ſit Propoſitio Hypothetica.

1 MVlta huc congerunt Summuliſtæ,quæ neſcio an plus habeant vtilitatis ad Tyronum ingenia ſubleuanda, quam obſcuritatis ad eorum in ſtudijs alacritatem conterendam. Nos vtiliora de more ſeligemus.

2 Nomine *Propoſitionis hypotheticæ* intelligimus quamcunque propoſitionem conflatam ex pluribus, quam Ariſtoteles primo periherm. cap. 4. vocat *coniunctione vnam*. Quærendum eſt igitur primo quotuplex ſit talis pro-

propoſitio. ſecundo vnde ſumatur affirmatio, & negatio veritas & falſitas harum propoſitionum. tertio demum quomodo habenda ſit earum oppoſitio.

3 Triplex communiter à Summuliſtis fit *propoſitio hypothetica*. prima eſt *copulatiua*, quæ conſtat particulis *Et, Nec, &c,* v. g. *& Petrus ſtudet. & Paulus ambulat* Seu: *Nec Petrus ſtudet, nec Paulus ambulat*. ſecunda eſt *disiunctiua*, quæ conſtat particula, *Vel.* v.g. *vel dies eſt, vel nox eſt.* tertia dicitur *conditionalis*, quæ triplex eſt, prima *cauſalis*, quæ conſtat particula, *quia* v.g. *quia Sol eſt.* ſecunda *rationalis,* ſeu *illatiua*, quæ conſtat particula. *Ergo*, vel ſimilibus; v g. *Sol eſt, ergo dies eſt.* tertia demum, quæ conſtat particula, Si, & dicitur *conditionalis ſpecialiter dicta.* & hæc rurſus triplex eſt. prima *conditionalis illatiua*, quæ conſtat ex vna propoſitione, in qua ſit cauſa neceſsaria effectus, qui ponitur in altera propoſitione; v.g. *ſi ſol eſt, dies eſt.* ſecunda & tertia non ſunt illatiuæ. & ſecunda quidem habet in antecedenti cauſam conſequentis, non tamen neceſſariam, v.g. (& eſt exemplum Soti, lib. 3. cap 8, lect. 3) *Si viceris in diſputatione, dabo tibi librum*: tertia demum eſt, in qua antecedens, & conſequens ſunt diſparata, v g. *Si Cælum tonabit, Berta filabit*. Ad hæc tria genera reducuntur omnes propoſitiones hypotheticæ, quorum ſingula explicatione indigent.

Appendix II. Gen.

4 *Notandum primo particulam,* Et, *Primo accipi copulatim, vt iungentem partes ſubiecti, vel prædicati, ſecundo copulatiuè, vt iungentem integras propoſitiones, & vt facientem terminos ſupponere diſtributiuè; Exemplum primæ acceptionis eſt,* Petrus, & Paulus ſunt duo *Exemplum ſecundæ eſt,* Petrus, & Paulus ſtudent. *Generatim autem ſeruandum; quoniam multipliciter poteſt fieri propoſitio copulatiua: tunc eſſe propriè copulatiuam, quando particula, Et, coniungit plures integras propoſitiones, ſiue ſint de eodem prædicato, ſiue de diuerſo. Quare hæc eſt copulatiua,* Petrus, & Paulus ſtudet, *quia æquiualet huic;* & Petrus ſtudet, & Paulus ſtudet; *idem proportionaliter dicendum de particula,* vel, *ideſt, quod accipiatur dupliciter* diſiunctim, *hoc eſt, vt vniat ſuo modo propoſitionem faciendo illam vnam, diuidendo tamen partes ſubiecti, aut prædicati, v. g.* vel hic, vel ille oculus eſt neceſſarius ad videndum, *& hoc modo non repetitur prædicatum dicendo, vel hic oculus eſt neceſſarius, vel hic eſt neceſſarius &c. ſed* vel hic, vel ille, vel ille eſt neceſſarius. *ſecũdo vt accipiatur* diſiunctiue, *vt vniat diuidendo propoſitiones, v. g. in hac propoſitione.* Vel dies eſt, vel nox eſt, *ſeu* vel Petrus vel Paulus furatus eſt librum, *repetitur prædicatum dicendo,* vel Petrus furatus eſt librum, vel Paulus furatus eſt librum, *cuius diuerſitatis ſupra reddidimus rationẽ. prædicatũ enim* neceſſitatis ad videndum *non eſt in vno oculo determinatũ, cum ſit prædicatũ potentiale. prædicatum vero* furandi librum, *cũ ſit actuale eſt in vno determinato licet neſciatur. Dixit ly* Vel *accipi,*

vt vniat diuidendo; quod intelligendũ (vt benè notat Verſorius in Petrum Hiſp. tract. 1. *de propoſitione diſiunctiua) de coniunctione verbali, ſecundũ vocẽ, non ſecundũ rem ſignificatam: cum ſecundum rem, vere diſiungat, licet dici poſſit, quod partes ipſius propoſitionis diſiunctiuæ etiam habeant aliquã coniũctionẽ in hoc, quod veritas reperiatur in alterutra.*

5 *Notandum ſecundo, velle aliquos, propoſitiones copulatiuas eſſe omnino ſimplices: nam ſenſus illarum eſt: vtraque propoſitio eſt vera, ſeu in exemplo allato* vterque ſtudet, *imo diſiunctiuas quoque eſſe ſimplices. Nam huius propoſitionis.* Vel dies eſt, vel nox eſt; *ſenſus eſt; vna ex his propoſitionibus eſt vera. Quare materialiter tantum ſunt copulatiuæ; formaliter verò ſunt ſimplices. Hurtadum verò diſp.* 4. *ſect.* 5. *velle, nullam eſſe propoſitionem propriè hypotheticam, niſi conditionalem: copulatiuas verò eſſe plures categoricas:* Hypotheticam *autem ſimplicem, eſſe ſolum conditionalem eo quod in ea ſit vna ueritas, pendens tamen à conditione.* In *hac re, quæ tota eſt de nomine; cenſeo primo. ſolas conditionales eſſe propriè, & in rigore hypotheticas: tum propter rationem nominis: tum propter rationem tactam ab Hurtado. Cæterum in latiore acceptione per analogiam ad iſtas; copulatiuas quoque, & diſiunctiuas dici poſſe hypotheticas; quatenus veritas copulatiuæ ipſa etiã ſuo modo eſt ex ſuppoſitione pendens ab vtraq; parte: diſiunctiuæ vero, veritatem habet ſaltem in vna per excluſionẽ alterius, à qua etiã ſuo modo pendere videtur. Cenſeo ſecundo copulatiuas, & diſiunctiuas eſſe complexas, quatenus conſtant duplici copula verbali; dici verò vnam coniunctione, vt ait Ariſt. citatus. Non negauerim tamen, conditionalẽ eſſe omniũ minimè*

nimè compoſitam quatenus veritas reperitur ſolum in vna, & altera ſe habet. vt mera conditio: in diſiũctiua verò poteſt reperiri veritas in qualibet parte, & in copulatiua in vtraque; licet conditionalis quoque dici poſsit cõplexa propter duplicem propoſitionem; vnam tamen dependentem ab alia: v.g. Si Petrus ſtuderet, euaderet doctus, *includit has propoſitiones;* ſimul erit, ſeu eſſet, Petrus ſtudet, & euadet doctus. *Sed hæc ſubtilius examinare longum eſſet, & inutile.*

6 *Notandum tertio pro conditionalibus in genere, duas propoſitiones requiri in qualibet conditionali primam dici* antecedens, *ſecundam* conſequens. *Rurſus conditionales illatiuas, ſeu rationales; eſſe conſequentias. Patet clarè, quia habent notam illationis: item cauſales, loquendo de cauſa neceſſaria, eſſe conſequentias, licet non ita explicitas: item & conditionales ſpecialiter dictas in materia neceſſaria: v.g.* Si ſol eſt, dies eſt: *vnde dicunt aliqui Summuliſtæ, quamlibet conſequentiã eſſe propoſitionem hypoteticam, intelligendo nomine Propoſitionis, non incomplexam, & ſimplicem ſed complexam: Conditionales verò in materia contingenti de antecedenti nõ habente neceſſariam connexionem cum conſequenti, non videri conſequentias: quia poſſet ſtare antecedens verum, & cõſequens falſum: v g. in exemplo Soti ſupra allato, poſſet ſtare; quod diſputatione viceris, & tamen, non dem tibi librum: Si autem ſermo ſit de conditionali, de antecedenti contingenti, ſine etiam impoſſibili, modo antecedens habeat*

beat neceſſariam connexionem cũ conſequenti, poſſe dici conſequentiam implicitam : v.g. Si Petrus currit, mouetur; *ſiue*, ſi Petrus habet alas, poteſt volare; *in quibus propoſitionibus, antecedens habet neceſſariam connexionem cum conſequenti.*

Appendix III. Gen.

7 N*Otandum quarto, Pro conditionalibus ſpecialiter dictis. Totam propoſitionem dici* conditionalem; *antecedens verò* conditionem, *conſequens* conditionatum, *Rurſus aliquando Subiectum conditionati eſſe ipſam conditionem. v.g.* Si Petrus eſſet doctus, crearetur Cardinalis, *ſubiectum eſſe.* Petrus exiſtens doctus, *de quo verificaretur, eſſe Cardinalem: interdum conditionem eſſe partem ſubiecti. v.g.* Si Papa vellet, Petrus eſſet Cardinalis; *ſenſus eſt, quod Petrus, Papa volente, eſt Cardinalis.*

8 *Demum aduerte, huiuſmodi propoſitiones verbaliter tantum eſſe orationes imperfectas, cum verè ſint perfecta, eo quod prædicatum affirmetur de ſubiecto iuxta differentiam temporis importati per copulam, tale autem prædicatũ denotatur conuenire ſubiecto pro qualibet differentia temporis, modò ponatur conditio ſicut propoſitiones de futuro, & præterito petunt ſuam veritatem à tempore, quod non ſit actu, dum enunciantur vt aliæ æternæ veritatis, quas appellant, ſunt veræ, etiam ſi præſcindãt à qualibet differentia temporis. Ad rem noſtram, hæc propoſitio;* ſi Petrus eſſet doctus, crearetur Cardinalis, *affirmat Cardinalem de Petro pro qualibet*

diffe-

differentia temporis, pro qua ſit poſita doctrina. Vbi obiter aduertendum ex Soto loco citato, pro conditionalibus non illatiuis, non requiri ad earum veritatem, vt conditio poſſit poni, ſed etiam ſi ſit impoſſibilis abſolutè, & ponatur, vt poſſibilis, poſſit affirmari, quid futurum ſit, ea poſita. v. g. Si tetigeris Cælum digito, Papa faciet te Cardinalem; *ſeu* Si intra horam iueris in Hiſpanias, dabo tibi vnum millionem aureorum *conditiones ſunt impoſſibiles naturaliter, quæ nunquam erũt: benè tamen ſcit Deus vt ait Sotus, an verè eſſem daturus pecuniam, poſita tali conditione. Aliqui recentiores extendunt hanc doctrinam ad conditionalia de conditione impoſſibili: v. g* An ſi Chimæra eſſet fœmina, nupſiſſet cum Socrate, vel futura eſſet Monialis. *Sed de hac re aliquid dicam infra, vbi examinabo, quando liceat argumentari ex ſuppoſitione impoſſibili. Atque hoc eſt, quod aliqui dicunt, huiuſmodi propoſitiones poſſe eſſe veras cum falſitate, imò cum impoſſibilitate antecedentis; quia nimirum, videt Deus, quid eſſet futurum poſita tali conditione etiam impoſſibili, abſolutè loquendo.*

9 *Notandum quinto. Pro conditionalibus ſpecialiter dictis, inſurgere non leuem difficultatem contra partitionem factam. Nam volunt aliqui nõ dari aliam conditionalem, niſi illatiuam, eò quod hoc videatur importare particula,* Si *ſcilicet, quod antecedens, vel verè ſit, vel ſupponatur cauſa conſequentis. Quarè non eſſe conditionales propoſitiones ſecundo loco enumeratas; ſcilicet, in quarum*

rum antecedente contineatur aliquod requiſitum ad effectũ, & quodammodo illius principium, non tamen effectus ſequatur neceſſario, ex eo. vt in exemplo Soti ſupra allato. Si viceris diſputatione, *&c. quas propoſitiones benè ait Hurtadus diſput.4.Summ.Sect.3. nõ eſſe illatiuas, ſed enunciatiuas affirmantes euentum rei, & multo minus eſſe illatiuas, conditionales vltimo loco enumeratas, quæ ſcilicet conſtant ex antecedenti, & conſequẽti diſparatis. Quoniam verò hæc difficultas aperit radicem celeberrimæ quæſtionis Theologicæ de Scientia media, ſeu conditionalium, quam appellant; ideo placet paulo fuſius illam examinare.*

10 *Diomedes Grammaticus, ſic habet,* particulam, Si, accipi conditionaliter, quoties incertus eſt ſermo, vt ſi facias, ſi feceris; qui enim ſic loquitur, non factum interim declarat hæc ille. *Ex quibus verbis nõ poteſt inferri, quod ly, Si, ſemper ſit nota cauſalitatis, & conſequenter, quod omnis conditionalis ſit cauſalis.*

11 *Petrus Hyſpanus tract.* 1. *cap.* quid ſit conditionalis, *ita illam definit.* Conditionalis, *inquit,* eſt illa in qua coniunguntur duæ Categoricæ per hanc coniunctionem, *Si, in qua definitione nulla ſit mentio cauſalitatis, quod clarius patet explicatione Verſorij ibidem: qui poſtquam dixit ad perfectam conditionalem requiri, quod vna propoſitio ſequatur ad aliam; ſubdit,* & hoc, non ſit in propoſitione cauſali; & ideo cauſalis eſt vna ſpecies contenta ſub conditionali, ſed vltra

rationem conditionalis, addit cauſalitatem ſui antecedentis reſpectu conſequentis (*nota quod ſequitur*) ratione cuius plus requiritur ad veritatem eius, quam ad veritatem conditionalis. *Ex quibus ſic argumentor, cauſalis ſupra conditionalem addit cauſalitatẽ, & eſt ſpecies illius, ergo conditionalis ſecundum ſe praeciſè, non dicit cauſalitatem; ergo poteſt dari conditionalis, quae non ſit cauſalis.*

12 *Sotus ſolita qua pollet perſpicuitate, & ſubtilitate agnoſcit, & diſcernit conditionales quas ipſe appellat promiſsiuas, à cauſalibus: cuius verba, quia clariſſima ſunt, afferã. lib. 3. Sum. cap. 8. lect. 3. notabili primo.* Notandum, *inquit*, primo, quod pomiſſio dupliciter poteſt fieri: abſolutè, de qua nihil ad præſens, alio modo conditionaliter; vt ſi diſputatione viceris, dabo tibi librum, de qua non nihil hic meminerimus Notandum ſecundo, quod ad veritatem conditionalis promiſſiuæ affirmatiuæ, ſufficit, & requiritur, quod non ſit ita, ſicut ſignificatur per antecedens, quin ſit ita, ſicut ſignificatur per conſequens; vt ad veritatem dictæ promiſſiuæ ſufficit, quod poſita veritate antecedentis, ſcilicet, quod vincas, ponatur conſequens; & ad falſitatẽ ſufficit, & requiritur, quod quando erit ita ſicut ſignificatur per antecedens, non erit ita, ſicut ſignificatur per conſequens: vnde conditionalis promiſſiua conuenit cum illatiua in hoc, quod non ponit veritatem antecedentis, & conſequentis: vt ſi digito tetigeris Cœlum, faciam te immortalem. Differt autem

autem à conditionali illatiua, quia non requiritur ad veritatẽ promiſſiuæ, quod ſit bona conſequentia, ſcilicet, quod antecedens non poſſit eſſe verũ ſine conſequenti; ſed ſatis eſt, quod antecedens non ſit verũ ſine cõſequẽti (*& paulo poſt*) ex quo, *inquit*, ſequitur primo quod cõditionalis promiſſiua eſt contingens; vt ſi quando viceris, dabo tibi librũ, dicta promiſſiua erit vera; ſi verò non dederim, erit falſa. *Vbi obiter nota veritatem harũ propoſitionum non haberi in cauſa, ſed in poſitione ipſius effectus* Sequitur, *inquit*, Secundo multas eſſe conditionales promiſſiuas, de quarum veritate, aut falſitate non conſtat: ſed ſolũ Deus ſcit an veræ ſint, an falſæ: v.g. ſi tu nunquam viceris in diſputatione, ſolus Deus ſcit, an ſi viciſſes, dediſſem librũ; Tales ſunt multæ conditionales de præterito, vt ſi tu occurriſſes prior, tibi dediſſem librum. Si Petrus non ſumpſiſſet potionem, non fuiſſet mortuus. *Hæc ille; quibus iniuriam facerem, ſi aliquid adderem de meo.*

13 *Bagnes in Summulis lib. 3. tract. ſecũdo cap. 1.* Obſeruandum, *inquit* eſt coniunctionem, Si, non ſemper illatiuè accipi, ita, vt conſequentiam conſtituat: v.g. in hac propoſitione, ſi cras viſitaueris me, dabo tibi equũ; hæc enunciatio non eſt conſequentia conditionalis. Nam poterit ſtare veritas antecedentis cum falſitate conſequentis *ex quibus conſtat particulã Si, non ſemper eſſe illatiuã. Omitto Fonſecam lib 3. cap. 15 & alios omnes noſtræ Societatis, qui hanc doctrinam amplectuntur. Satis enim eſt prædictos Auctores*

hunc ſenſum admittere particula, Si, *ne videamur nos noſtro Marte hanc acceptionem inuexiſſe*.

14 *Notandum ſexto, pro propoſitionibus cõditionalibus, quas appellant* diſparatas, *pleroſque exiſtimare non eſſe proprias conditionales etiam ſi ſint affecta particula*, Si, *ita Vaſquez* 1. *par. diſp.*67. *cap.*4. *in fine. Leſsius diſp. de efficacia gratiæ cap.*19 *Arubal prima parte diſp* 49. *& alij; & ratio eſt, quia in conſequenti non eſt effectus, ſeu aliquid habens connexionem cum antecedenti, vt eſt in ſupra allatis, & ita eſſe merè copulatiuas: v g.* Si Rex dormiet, Petrus ſtudebit, *ſenſum eſſe; &* Rex dormiet, & Petrus ſtudebit. *Suarez lib.* 2. *de Scientia conditionalium cap.*6. *nu.*4. *affirmat, has quoque eſſe conditionales, licet aſſerat, quæſtionem eſſe de nomine, & melius explicari per particulam*, Quando, *per quam denotatur coëxiſtentia antecedentis cum conſequenti, non cauſalitas; nam ſi denotaretur cauſalitas, huiuſmodi propoſitiones eſſent falſa, & contradictoria vera v g. in exemplo allato, ſi denotaretur, quod cauſa, cur Petrus ſtudebit, eſſet quia Rex dormiet, eſſet falſa, & contradictoria eius quæ diceret; ſi* Rex dormiet, Petrus ſtudebit; *eſſet vera; nam ſenſus eſſet, quod dormitio Regis non eſſet cauſa ſtudij Petri. Dici autem poſſet, has propoſitiones propriè, & in rigore eſſe meras copulatiuas, & importare ſolum coëxiſtentiam durationis; verbaliter verò, & ex modo ſignificandi eſſe conditionales: nam ſæpè vtimur his propoſitionibus, cum denotare*

tare ſolum volumus coexiſtentiam antecedentis cum conſequenti, & de veritate illarum ſolemus contendere, & ſponſionem facere: v g. ſint duo diſcipuli, qui optant diem vacationis habere ſerenam in hyeme; ſpondeant inuicem, ita vt alter dicat. Si dies Mercurij erit vacationis, erit Serena: *alter vero ex affectu quem habet, & dubio, quod non ita ſit futura, dicat,* non futuram Serenam. *Sanè vterque, qui ſpondet non exiſtimat, quod eſſe diem vacationis habeat connexionem cum hoc quod eſt eſſe Serenam, ſed ſolum ambo ſpondent de connexione ſerenitatis cum die vacationis ex proprio affectu. Ex quo patet huiuſmodi etiam propoſitiones dici poſſe conditionales; latè tamen in ſenſu explicato.*

Appendix I. Gen.

15 *NOtandum Septimo, pro affirmatione, & negatione hypotheticarum, quoniã in qualibet propoſitione hypothetica reperitur duplex copula, altera, quæ ſit verbum, altera quæ ſit dictio copulatiua duarum propoſitionum: affirmationem, vel negationem illarum deſumi ex affirmatione, vel negatione dictionum, quare hæc erit affirmatiua;* Si Sol non eſt, dies non eſt; *hæc verò negatiua,* Non ſi Sol eſt, nox eſt. *Ex quibus habetur, qualitatem harum propoſitionum deſumi à particulis coniunctiuis: quantitatem verò non habere propriam diuerſam ab ea, quæ eſt in partibus; exceptis copulatiuis, & diſiunctiuis, quarum prima, ratione particulæ coniun-*

ctiua, quam eſſe diximus notam vniuerſalitatis, dici poſſunt vniuerſales: ſecunda verò, ratione particulæ disiunctiuæ, quæ eſt nota particularitatis, dici poterunt particulares. Pro affirmatione, & negatione. Sciendum, cauſali, & conditionali benè conuenire prædictam regulam, quod ſint affirmatiua, vel negatiua, ſi ſit affirmata, vel negata dictio. At difficultas eſt in propoſitione rationali: v g. Sol eſt, ergo dies eſt, *cuius dictio illatiua non poteſt habere negationem, ratione cuius tota propoſitio ſit negatiua, Dicendum igitur eſt, huiuſmodi propoſitiones, quoniam ſunt conſequentia, dupliciter poſſe habere negationem; primo; vt ſiet cum bonitate illationis, ita vt concluſio ſit negatiua: v. g.* Sol eſt, ergo non eſt nox; *ſecundo; vt negatio tollat eſſentiam conſequentiæ, id eſt coniunctionem duarum propoſitionum expreſſam per particulam*, Ergo: *v. g. non benè ſequitur* Petrus eſt homo, ergo eſt Equus, & *vtroque modo, beneficio negationis propoſitio rationalis fit negatiua, modo explicato; licet non fiat ratione, qua cæteræ propoſitiones per negationem præpoſitã particulæ coniunctiuæ, propter innaturalem modum loquendi; quem haberet: v g. ſi diceretur*, non Petrus eſt homo, ergo eſt Equus; *cum enim ly*, Non, *cadat ſupra ly*, Ergo, *quod eſt valde remotum à ſe, non videtur illud afficere: imò etiam ſi dicatur* Petrus eſt homo, non ergo Petrus eſt equus, *adhuc modus loquendi eſt inuſitatus, & ideo cum tota hæc res pendeat ab vſurpatione modi loquendi;*

propo-

propoſitiones illatiuæ fieri debent negatiuæ, modo dicto.

16 *Pro* copulatiuis *eſt peculiaris difficultas: an ſint negatiuæ per negationem copulæ. affirmatiuæ verò per affirmationem eiuſdem, licet partes ſint negatiuæ ratione negatæ copulæ verbalis: v. g.* & Petrus non ſtudet, & Paulus non ſtudet. *Nam ex vna parte, regula tradita videtur præcipere hanc propoſitionem eſſe affirmatiuam; ex alia verò parte ratio euincit eſſe negatiuam; æquiualet enim his*, Nec petrus ſtudet, nec Paulus ſtudet: *item* ambo non ſtudent, *item* neuter ſtudet: *& ſi tantum ſint duo, qui poſsint ſtudere: æquiualet huic*, Nullus ſtudet: *dicere verò has non eſſe negatiuas; eſſet immutare omnes formulas oppoſitionis. Pro ſolutione, repetendum, quod ſupra diximus; duas propoſitiones contrarias non differre in quantitate; & conſequenter, contrariam negatiuam affirmare implicitè quantitatem affirmatiuæ: nam nega io, ex dictis, ſi inuenit particularitatem, illam tollit ponendo vniuerſalitatem: v. g.* nullus, *ponit vniuerſalitatem: nam æquiualet huic*, omnis non, *vbi vides, vniuerſalitatem affirmari. Dicitur autem hæc propoſitio*, Nullus homo ſtudet, *eſſe negatiua, quia in ea ſpectatur copula verbalis, & prædicatum, quorum habetur ratio in propoſitionibus, cum abſolutè de illis eſt ſermo; atque in hoc ſenſu negatiua quoque erit iſta:* & Petrus non ſtuder, & Paulus non ſtudet. *Si autem in illa prima propoſitione*, Nullus homo ſtudet, *ſpectatur*

ſola quantitas, ſanè erit affirmatiua in quãtitate. Quopoſito, cum copulatiua accepta ſub hac formalitate copulatiua, appellet ſolum quantitatem. hæc propoſitio, Et Petrus non ſtudet, & Paulus non ſtudet, *erit affirmatiua, quod idem eſt, ac dicere eſſe affirmatiuam de quantitate vniuerſali affirmata; & in hoc ſenſu omnes illas eſſe affirmatiuas, quibus æquiualet: non dici tamen affirmatiuas, quia in communi vſu loquendi attenditur ex dictis ad prædicatum, & copulam verbalem. Copulatiua igitur erit negatiua per negationem immediatè afficientem ipſam dictionem, ſeu particulam copulatiuam*, & *v. g.* Non Et Petrus ſtudet, & Paulus ſtudet, *& æquiualet huic* vel Petrus non ſtudet, vel Paulus non ſtudet.

17 *Notandum octauo pro veritate, & falſitate harum propoſitionum, primo* copulatiuas, *&* illatiuas, *tunc eſſe veras, cùm vtraque pars eſt vera; v. g. hæc eſt vera*, Et ignis eſt calidus, & aqua eſt frigida; *item hæc eſt vera*, Homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis; *& ratio eſt; quia particula*, Et, *denotat aſſenſum mentalem, quo dicitur vtraque propoſitio conuenire in veritate: Per notam verò illationis denotatur connexio vnius cum alio ratione tertij. Ad hoc igitur, vt ſit vera connexio vnius cum alio ratione tertij, debet ipſum tertium eſſe connexum cum vtroque. Idem dicendum de propoſitione cauſali; pro qua, aduerte; non ſufficere ad veritatem cauſalis, quod ſit bona illatio, ſed requiri, vt in antecedenti ſit vera cauſa; quare, hæc*

non

non eſt vera cauſalis, Quia fumus eſt, ignis eſt; *nam per cauſalem denotatur quod in antecedenti ſit vera cauſa, qualis non eſt fumus reſpectu ignis. Dici tamen poteſt cauſalis in ordine ad cognoſcendum; quatenus ex illo antecedenti, inferri poteſt conſequens. Ad falſitatem verò harum propoſitionum, ſufficit falſitas vnius partis, propter oppoſitam rationem.*

18 *Secundo* diſiunctiuam *eſſe veram, cum altera ſaltem pars eſt vera. Dixi ſaltẽ; quia dupliciter accipi poteſt diſiunctiua. primo iuxta acceptionem Antiquorum, vt refert Toletus lib.* 1. *cap.* 19. *vt ſignificet idem, ac* tantum, *ita vt propria diſiunctiua ſit, quæ conſtat partibus oppoſitis, incompoſſibilibus in veritate; & in hoc ſenſu diſiunctiua, ad hoc vt ſit vera, debet vna tantum pars eſſe vera. Et hoc videtur ſignificare propriè particula*, vel; *v.g.* vel dies eſt, vel non eſt, *ſenſus eſt, quod vna tantum ex his propoſitionibus ſit vera, & in hoc ſenſu, ſi vtraque pars eſſet vera, diſiunctiua eſſet falſa. Secundo diſiunctiua poteſt accipi in ſenſu recentiorũ, ita, vt ly*, vel, *ſonet* ad minus, *& in hac acceptione dixi ſaltem requiri, vt vna pars ſit vera; atque in hoc ſenſu videtur loquutus Chriſtus Dominus cum dixit*, vbi duo, vel tres fuerint congregati *&c. quo modo loquendi non videtur excluſiſſe plures. ſicut etiam, ſi dicerem*, quando vel omnes, vel medietas Diſcipulorum fuerit in Schola, ego legam: *ſenſus eſt, quod ad minus fuerit medietas, & in hac acceptione, vt ſit*

falſa diſiunctiua, debet vtraque pars eſſe falſa.

19 *Tertio, Ad veritatem, vel falſitatē conditionalis non requiri veritatem, vel falſitatem ſingularum partium, ſed illationis, ſeu connexionis antecedentis cum conſequenti; vnde communiter dicitur conditionalis nihil ponere in eſſe: v. g.* ſi lapis eſt homo, lapis eſt animal.

20 *Colliguntur primo aliquæ regulæ à Sūmuliſtis, præſertim à Petro Hiſpano citatæ, & Verſorio ibi, Soto, & aliis. Prima, ex iis, quæ diximus de veritate, & falſitate affirmatiuarum, colligi quid dicendum ſit de negatiuis; Et regula generalis eſt; quod, ſi affirmatiua ſit vera, negatiua illi oppoſita ſit falſa. Secunda pro conditionalibus illatiuis neceſſariis; conditionalem veram, eſſe neceſſariā; falſam verò, impoſſibilem. Nam ſi ſemel: v. g. verum eſt, eſſe connexum riſibile cum homine, propter rationale: ſemper verum eſt; quod eſt, eſſe neceſſario verum; ſi autem falſum eſt, hominem eſſe lapidem, quia eſt rationalis; ſemper erit falſum; quod eſt eſſe impoſsibile: & hoc eſt, quod aliter dici ſolet, conditionales in materia neceſſaria includere conſequentiam, quæ importat neceſſariam connexionem antecedentis cum conſequenti; conditionales verò de particula, Si, ſecundi generis, id eſt, in quibus non eſt neceſſaria connexio antecedentis cum conſequenti, vt ſint veræ, non requirere, vt ſint neceſſariæ propter rationem ſupradictam, quia non continent in antecedenti cauſam habentem neceſſa-*

ceſſariam connexionem cum conſequẽti. Tertia. Copulatiua *eſt neceſſaria, cum omnes eius partes ſunt neceſſariæ: v. g.* Deus eſt vnus, & Homo eſt animal; *vt verò ſit contingens, ſatis eſt; vt vna pars ſit contingens: v. g.* Deus eſt vnus, & Petrus currit; *& ratio eſt, quia id, quod eſt contingens poteſt non eſſe, ac proinde tota copulatiua conſtans ex contingenti poſſet non eſſe vera, & ideo tota erit contingens, ſi vna pars ſit contingens, & propter eandem rationem, tota eſt falſa, vel impoſſibilis; ſi vna pars ſit falſa, vel impoſſibilis; Quare, hæc eſt falſa, & impoſſibilis;* Homo eſt animal, & Angelus eſt corpus, *quia particula,* Et, *denotat ſimultatem veritatis vtriuſque. Quarta.* Diſiunctiua, *iuxta acceptionem antiquorum eſt neceſſaria, cum vtraque pars eſt incompoſſibilis, ſiue vtraque pars ſit contingens, ſiue altera ſit contingens, altera impoſſibilis: v. g.* Vel homo eſt animal, vel non eſt animal: *ſiue,* vel Petrus ſtat, vel non ſtat: *& ratio eſt, quia neceſſe eſt, quod vna ex illis ſit vera, cum ſint contradictoriæ: Iuxta acceptionem verò recentiorum diſiunctiua erit cõtingens, ſi vtraque pars ſit contingens, & compoſſibilis: Si verò vna ſit neceſſaria altera, contingens, modo vtraque ſit compoſſibilis, erit neceſſaria. Exemplum primæ eſt* Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat. *Exemplum ſecundæ,* vel homo eſt animal, vel Paulus currit. Diſiunctiua *ſecundum acceptionem antiquorum eſt impoſſibilis, cum vtraque eſt neceſſaria: v. g.* vel homo eſt rationalis, vel

homo eſt animal. *nam ſenſus eſt, quod vna ſit vera excluſa alia; in ſenſu verò recentiorum, vt ſit impoſsibilis, requiritur, vt vtraque pars ſit impoſsibilis.* Quinta *pro conditionalibus non illatiuis, illa erit contingens, cuius antecedens contingentem habet connexionem cum conſequenti: v. g.* ſi diſputatione viceris, dabo tibi librum. *dixi pro conditionalibus non illatiuis: nam illatiuæ ſemper ſunt neceſſariæ; cum per illas denotetur ſolum connexio antecedentis cum conſequenti ratione tertij: v. g.* Si lapis eſt animal, eſt ſenſitiuus. *impoſsibilis verò eſt conditionalis illatiua, cuius conſequens, vel repugnat cum antecedenti, vel cum illo non habet connexionem; v. g.* Si homo eſt animal, Equus currit, *ſiue* ſi Deus non eſſet, Creatura, exiſteret. *Sexta demum generatim pro propoſitionibus negatiuis: ſi affirmatiua ſit neceſſaria, negatiua erit impoſſibilis, & è contra: ſi verò affirmatiua ſit contingens: talis erit negatiua, vt patet ex dictis.*

21 *Colliguntur ſecundo à Summuliſtis alij qui modi argumentandi in his propoſitionibus; videat, qui velit apud Sotum lib. 3. cap. 8. & deinceps. Primo valet à copulatiua affirmatiua ad partem illius: v. g.* Petrus ſtudet, & Paulus ambulat, ergo Petrus ſtudet: *non autem valet à parte ad totam. Secundo in diſiunctiuis valet à parte ad totam: v. g.* Petrus ſtudet; ergo vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat. *A tota autem diſiunctiua non valet ad partem: v. g.* vel Petrus ſtudet, vel

Paulus ambulat, ergo Petrus ſtudet. *Valet a tota diſiunctiua cum deſtructione unius partis ad poſitionem alterius: v.g.* vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat, ſed Paulus non ambulat, ergo Petrus ſtudet. *A tota vero diſiunctiua cum poſitione vnius partis valet ad negationem alterius, ſumendo diſiunctiuam in ſenſu antiquorum: v.g.* vel dies eſt, vel nox eſt: ſed dies eſt ergo nox non eſt. *Reliquos modos argumentandi vide apud Sotum citatum, & alios.*

22 *Colligitur tertio, ad copulatiuas reduci primo propoſitiones cum relatiuo,* Qui, quæ, quod, *vt bene notat Verſorius in tractatum primum Petri Hyſpani cap. de* propoſitionibus hypotheticis. *nam ſenſus huius propoſitionis* Socrates, qui currit, mouetur, *eſt idem, ac Socrates currit, & ipſe mouetur. Secundo ad copulatiuas item reduci propoſitiones quantitatiuas, qualificatiuas, temporales, & locales, v. g.* quantus eſt Socrates, tantus eſt Plato, *ideſt, & Plato eſt tantus, & Socrates eſt tantus; item* qualis eſt Plato, talis eſt Socrates, *ſenſus eſt, Socrates eſt talis, & talis eſt Plato. Rurſus* vbi eſt Socrates, eſt Plato, *ſenſus eſt & in eo loco eſt Socrates, & in eo loco eſt Plato. Demum* Socrates currit, quando Plato diſputat, *ſenſus eſt; & in eo tempore Socrates currit, & in eodem Plato diſputat.*


CA-

CAPVT VNDECIMVM.

De Oppoſitione Propoſitionum hypotheticarum.

1 QVoniã exceptis copulatiuis, & diſiunctiuis, alias Propoſitiones hypotheticas diximus nõ habere quantitatẽ diuerſam à quãtitate ſimplicium: non poteſt in ijs aſſignari alia oppoſitio, niſi cõtradictoria, quã generatim fieri diximus per additionẽ negationis, in frõte totius propoſitionis, vt benè notat inter cæteros Verſorius in PetrumHyſpanum tract. 1. cap. *Quæ copulatiua propoſitio &c.* Si autem velimus aſſignare oppoſitionẽ per ſimilitudinem ad propoſitiones ſimplices, oportebit ſpectare non ad oppoſitiones de modo enunciandi, ſed de lege, id eſt, quod vna magis latè pateat, quam altera, & ex vnã ſequatur contradictoria alterius &c. v. g. in conditionalibus; huic propoſitioni, *Si Petrus ſtudet, erit doctus*, aſſignabitur oppoſita, non propria contraria, ſed ſimilis cõtrariæ, ſcilicet, ſi *Petrus ſtudet, non poteſt eſſe doctus*, quæ ſecunda habet leges contrariæ; ſeu eſt contraria de lege, tum quia, plus negat, quam affirmatiua dicat: tũ quia infert contradictoriã primæ, ſcilicet, *nõ ſi Petrus ſtudet, erit doctus*, quæ tertia eſt ſubalterna ſecundæ, & minus latè patens, quam illa; minus enim eſt, non euadere doctũ, ſi ſtudeat, quã nõ poſſe euadere doctũ. Secũda erit oppoſita contradictoriè iſtæ,

iſtæ, *ſi Petrus ſtudet, poteſt eſſe doctus*, quæ ſubalternatur primæ; æquiualet enim particulari; cum minus latè pateat, quam prima; minus enim eſt, poſſe euadere doctum, ſi ſtudeat, quam eſſe de facto doctum ſi ſtudeat, vt vides in hac figura.




Appendix I. Gen.

2 E*andem regulam applica alijs propoſitionibus cauſalibus, & illatiuis,*

3 *Pro copulatiuis, & disiunctiuis hac traditur regula à Verſorio citato, & alijs.* Copulatiua, *inquit,*

inquit, & diſiunctiua de partibus contradicentibus contradicunt; *& ſenſus eſt, quod, data propoſitione copulatiua affirmatiua, aſsignata altera diſiunctiua negatiua erunt contradictoriæ: v. g.* & Petrus ludit, & Paulus ambulat, *erit contradictoria huic;* vel Petrus non ludit, vel Paulus non ambulat, *poſita ergo hac propoſitione.* Et Petrus ludit, & Paulus ambulat, *contraria huic erit,* nec Petrus ludit, nec Paulus ambulat *infert enim contradictoriam primæ ſcilicet,* vel Petrur non ludit, vel Paulus non ambulat, *cui ſubcontrariatur iſta,* vel Petrus ludit, vel Paulus ambulat, *quæ est ſubalterna primæ, & contradictoria ſecundæ; & prima valet* vterque, *ſecunda* neuter, *tertia* Alter non, *quarta* Alter. *vt vides in hac ſequenti figura.*


Ap-



Appendix II. Gen.

4 *Aduerte autem, ſi pro poſitiones ſimplices, quibus conſtant copulatiuæ ſint particulares, vel vniuerſales; ſeruari debere in earum oppoſitione regulas ſimplicium circa quantitatem, & qualitatem; ſi velimus attendere ad copulatiuas, & diſiunctiuas, vt conſtant talibus prædicatis, & ſubiectis, vt patet in hac figura.*

Ap-



Appendix III. Gen.

5 D*Emum aduerte, prædictas regulas aſsignandi contradictorias copulatiuis non tenere in propoſitione copulatiua de partibus contradicentibus, & ſe mutuò deſtruentibus : v. g.* & homo exiſtit, & non exiſtit; *quod ſic paulatim oſtendo . non enim primò benè illi contradicitur per diſiunctiuam, ſcilicet*, vel homo exiſtit, vel non exiſtit *; nam iſta ex regulis oppoſitionis ſubalternatur priori : omnis enim propoſitio, quæ differat ſolum in qualitate ab*

ab altera. quæ ſit vniuerſalis, & ipſa particularis, eſt illi ſubalternata; vt huic propoſitioni; omnis homo currit, *ſubalternatur hac;* aliquis homo currit; *quæ æquiualet huic,* vel hic, vel ille currit. *Ergo cum in caſu noſtro prima copulatiua æquiualeat vniuerſali, diſiunctiua æquiualẽs particulari erit illius ſubalternata, & nõ oppoſita cõtradictoriè, nec obſtat quod prima ſit falſa, ſecunda vera; nam non eſt nouum ſubalternãtem aliquando eſſe falſam, & ſubalternatam veram, vt falſa eſt;* omnis homo eſt albus: *vera autem eius ſubalternata;* aliquis homo eſt albus. *Nec ſecundo abſolutè loquendo benè contradicitur per appoſitionem negationis in fronte totius propoſitionis, vt eſt vniuerſaliſsima regula contradicendi omnibus propoſitionibus, dicendo;* non & homo exiſtit, & non exiſtit; *vt ſenſus ſit, non eſt verum hoc coniunctum, ſeu non eſt verum ſimul hominem exiſtere, & non exiſtere. Et ratio eſt, quia vna contradictoria non debet affirmare, vel negare id, quod affirmant, vel negant ſingula partes alterius, alioquin vna contradictoria eſſet pars alterius, & in ea includeretur contra regulas, & naturã contradictoriarum; nã hæc,* aliquis homo nõ eſt albus, *non debet includi, neque ſecundum partem in alia ſibi contradictoria, ſcilicet,* Omnis homo eſt albus: *quod autem in caſu noſtro ſecunda includeretur in partibus prioris; ſic oſtendo; ſuppoſito ſenſu illius ſecundæ propoſitionis,* non & homo exiſtit, & non exiſtit, *ſcilicet quod neget ſimultatem negationis exiſtentiæ hominis cum eadem exiſtentia; iam hoc idem dicit, & negat ſecunda pars prioris propoſitionis,* & homo exiſtit, & non exiſtit; *dum enim dicit non exiſtit; cum negatio ſit malignantis natura, & ſuppo-*

falſa diſiunctiua, debet vtraque pars eſſe falſa.

19 *Tertiò. Ad veritatem, vel falſitatẽ conditionalis non requiri veritatem, vel falſitatem ſingularum partium, ſed illationis, ſeu connexionis antecedentis cum conſequenti; vnde communiter dicitur conditionalis nihil ponere in eſſe: v. g.* ſi lapis eſt homo, lapis eſt animal.

20 *Colliguntur primò aliquæ regulæ à Sũmuliſtis, præſertim à Petro Hiſpano citato, & Verſorio ibi, Soto, & aliis. Prima, ex iis, quæ diximus de veritate, & falſitate affirmatiuarum, colligi quid dicendum ſit de negatiuis; Et regula generalis eſt; quod, ſi affirmatiua ſit vera, negatiua illi oppoſita ſit falſa. Secunda pro conditionalibus illatiuis neceſſariis; conditionalem veram, eſſe neceſſariã; falſam verò, impoſſibilem. Nam ſi ſemel; v g. verum eſt, eſſe connexum riſibile cum homine, propter rationale: ſemper verum eſt; quod eſt, eſſe neceſſario verum; ſi autem falſum eſt, hominem eſſe lapidem, quia eſt rationalis; ſemper erit falſum; quod eſt eſſe impoſsibile: & hoc eſt, quod aliter dici ſolet, conditionales in materia neceſſaria includere conſequentiam, quæ importat neceſſariam connexionem antecedentis cum conſequenti; conditionales verò de particula;* Si, *ſecundi generis, id eſt, in quibus non eſt neceſſaria connexio antecedentis cum conſequenti, vt ſint veræ, non requirere, vt ſint neceſſaria propter rationem ſupradictam, quia non continent in antecedenti cauſam habentem neceſſa-*

ceſſariam connexionem cum conſequẽti. Tertia. Copulatiua *eſt neceſſaria, cum omnes eius partes ſunt neceſſaria: v. g.* Deus eſt vnus, & Homo eſt animal; *vt verò ſit contingens, ſatis eſt; vt vna pars ſit contingens: v. g.* Deus eſt vnus, & Petrus currit; *& ratio eſt, quia id, quod eſt contingens poteſt non eſſe, ac proinde tota copulatiua conſtans ex contingenti poſſet non eſſe vera, & ideo tota erit contingens, ſi vna pars ſit contingens, & propter eandem rationem, tota eſt falſa, vel impoſsibilis; ſi vna pars ſit falſa, vel impoſsibilis; Quare, hæc eſt falſa, & impoſsibilis;* Homo eſt animal, & Angelus eſt corpus, *quia particula,* Et, *denotat ſimultatem veritatis vtriuſque. Quarta.* Diſiunctiua, *iuxta acceptionem antiquorum eſt neceſſaria, cum vtraque pars eſt incompoſsibilis, ſiue vtraque pars ſit contingens, ſiue altera ſit contingens, altera impoſsibilis: v. g.* Vel homo eſt animal, vel non eſt animal: *ſiue,* vel Petrus ſtat, vel non ſtat: *& ratio eſt, quia neceſſe eſt, quod vna ex illis ſit vera, cum ſint contradictoria: Iuxta acceptionem verò recentiorum diſiunctiua erit cõtingens, ſi vtraque pars ſit contingens, & compoſsibilis: Si verò vna ſit neceſſaria altera, contingens, modo vtraque ſit compoſsibilis, erit neceſſaria. Exemplum primæ eſt* Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat. *Exemplum ſecundæ,* vel homo eſt animal, vel Paulus currit. Diſiunctiua *ſecundum acceptionem antiquorum eſt impoſsibilis, cum vtraque eſt neceſſaria; v. g.* vel homo eſt rationalis, vel

homo eſt animal: *nam ſenſus eſt, quod vna ſit vera excluſa alia; in ſenſu verò recentiorum, vt ſit impoſsibilis, requiritur, vt vtraque pars ſit impoſsibilis.* Quinta *pro conditionalibus non illatiuis, illa erit contingens, cuius antecedens contingentem habet connexionem cum conſequenti: v. g.* ſi diſputatione viceris, dabo tibi librum. *dixi pro conditionalibus non illatiuis: nam illatiuæ ſemper ſunt neceſſariæ; cum per illas denotetur ſolum connexio antecedentis cum conſequenti ratione tertij: v. g.* Si lapis eſt animal, eſt ſenſitiuus. *impoſsibilis verò eſt conditionalis illatiua, cuius conſequens, vel repugnat cum antecedenti, vel cum illo non habet connexionem: v. g.* Si homo eſt animal. Equus currit, *ſiue,* ſi Deus non eſſet, Creatura, exiſteret. *Sexta demum generatim pro propoſitionibus negatiuis: ſi affirmatiua ſit neceſſaria, negatiua erit impoſſibilis, & è contra: ſi verò affirmatiua ſit contingens: talis erit negatiua, vt patet ex dictis.*

21 *Colliguntur ſecundo à Summuliſtis aliqui modi argumentandi in his propoſitionibus; videat, qui velit apud Sotum lib. 3. cap. 8. & deinceps. Primo valet à copulatiua affirmatiua ad partem illius: v. g.* Petrus ſtudet, & Paulus ambulat, ergo Petrus ſtudet: *non autem valet à parte ad totam. Secundo in diſiunctiuis valet à parte ad totam: v. g.* Petrus ſtudet; ergo vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat. *A tota autem diſiunctiua non valet ad partem: v. g.* vel Petrus ſtudet, vel

Paulus

Paulus ambulat, ergo Petrus ſtudet. *Valet a tota diſiunctiua cum deſtructione vnius partis ad poſitionem alterius: v.g.* vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat, ſed Paulus non ambulat, ergo Petrus ſtudet. *A tota vero diſiunctiua cum poſitione vnius partis valet ad negationem alterius, ſumendo diſiunctiuam in ſenſu antiquorum: v.g.* vel dies eſt, vel nox eſt: ſed dies eſt ergo nox non eſt. *Reliquos modos argumentandi vide apud Sotum citatum, & alios.*


22 *Colligitur tertio, ad copulatiuas reduci primo propoſitiones cum relatiuo*, Qui, quæ, quod, *vt bene notat Verſorius in tractatum primum Petri Hyſpani cap. de* propoſitionibus hypotheticis. *nam ſenſus huius propoſitionis* Socrates, qui currit, mouetur, *eſt idem, ac Socrates currit, & ipſe mouetur. Secundo ad copulatiuas item reduci propoſitiones quantitatiuas, qualificatiuas, temporales, & locales. v.g.* quantus eſt Socrates, tantus eſt Plato, *id eſt, & Plato eſt tantus, & Socrates eſt tantus; item* qualis eſt Plato, talis eſt Socrates, *ſenſus eſt, Socrates eſt talis, & talis eſt Plato. Rurſus* vbi eſt Socrates, eſt Plato, *ſenſus eſt & in eo loco eſt Socrates, & in eo loco eſt Plato. Demum* Socrates currit, quando Plato diſputat, *ſenſus eſt; & in eo tempore Socrates currit, & in eodem Plato diſputat.*

CAPVT VNDECIMVM.

De Oppoſitione Propoſitionum hypotheticarum.

1 QVoniã exceptis copulatiuis, & diſiunctiuis, alias Propoſitiones hypotheticas diximus nõ habere quantitatẽ diuerſam à quãtitate ſimplicium: non poteſt in ijs aſſignari alia oppoſitio, niſi cõtradictoria, quã generatim fieri diximus per additionẽ negationis in frõte totius propoſitionis, vt benè notat inter cæteros Verſorius in PetrumHyſpanum tract. 1. cap. *Quæ copulatiua propoſitio* &c. Si autem velimus aſſignare oppoſitionẽ per ſimilitudinem ad propoſitiones ſimplices, oportebit ſpectare non ad oppoſitiones de modo enunciandi, ſed de lege, id eſt, quod vna magis latè pateat, quam altera, & ex vna ſequatur contradictoria alterius &c. v. g. in conditionalibus; huic propoſitioni, *Si Petrus ſtudet, erit doctus*, aſſignabitur oppoſita, non propria contraria, ſed ſimilis cõtrariæ, ſcilicet, ſi *Petrus ſtudet, non poteſt eſſe doctus*, quæ ſecunda habet leges contrariæ, ſeu eſt contraria de lege, tum quia, plus negat, quam affirmatiua dicat: tũ quia infert contradictoriã primæ, ſcilicet, *nõ ſi Petrus ſtudet, erit doctus*, quæ tertia eſt ſubalterna ſecundæ, & minus latè patens, quam illa; minus enim eſt, non euadere doctũ, ſi ſtudeat, quã nõ poſſe euadere doctũ. Secũda erit oppoſita contradictoriè iſtæ,

iſtæ, *ſi Petrus ſtudet, poteſt eſſe doctus;* quæ ſubalternatur primæ; æquiualet enim particulari; cum minus latè pateat, quam prima; minus enim eſt, poſſe euadere doctum, ſi ſtudeat, quam eſſe de facto doctum ſi ſtudeat, vt vides in hac figura.



Appendix I. Gen.


2 E*andem regulam applica alijs propoſitionibus cauſalibus, & illatiuis,*

3 *Pro copulatiuis, & diſiunctiuis hac traditur regula à Verſorio citato, & alijs.* Copulatiua,

inquit,

inquit, & diſiunctiua de partibus contradicentibus contradicunt; *& ſenſus eſt, quod, data propoſitione copulatiua affirmatiua, aſsignata altera diſiunctiua negatiua erunt contradictoriæ: v. g.* & Petrus ludit, & Paulus ambulat, *erit contradictoria huic*; vel Petrus non ludit, vel Paulus non ambulat, *poſita ergo hac propoſitione*. Et Petrus ludit, & Paulus ambulat, *contraria huic erit*, nec Petrus ludit, nec Paulus ambulat *infert enim contradictoriam primæ ſcilicet*, vel Petrur non ludit, vel Paulus non ambulat, *cui ſubcontrariatur iſta*, vel Petrus ludit, vel Paulus ambulat, *quæ eſt ſubalterna primæ, & contradictoria ſecundæ; & prima valet* vterque, *ſecundæ* neuter, *tertia* Alter non, *quarta* Alter. *vt vides in hac ſequenti figura.*

Ap-



Appendix II. Gen.

4 *Aduerte autem, ſi pro poſitiones ſimplices, quibus conſtant copulatiua ſint particulares, vel vniuerſales; ſeruari debere in earum oppoſitione regulas ſimplicium circa quantitatem, & qualitatem; ſi velimus attendere ad copulatiuas, & diſiunctiuas, vt conſtant talibus prædicatis; & ſubiectis, vt patet in hac figura.*

Ap-

ab altera. quæ ſit vniuerſalis, & ipſa particularis, eſt illi ſubalternata; vt huic propoſitioni; omnis homo currit, *ſubalternatur hæc;* aliquis homo currit; *quæ æquiualet huic,* vel hic, vel ille currit. *Ergo cum in caſu noſtro prima copulatiua æquiualeat vniuerſali, diſiunctiua æquiualẽs particulari erit illius ſubalternata, & nõ oppoſita cõtradictoriè, nec obſtat quod prima ſit falſa, ſecunda vera; nam non eſt nouum ſubalternãtem aliquando eſſe falſam, & ſubalternatam veram, vt falſa eſt;* omnis homo eſt albus: *vera autem eius ſubalternata;* aliquis homo eſt albus. *Nec ſecundo abſolutè loquendo benè contradicitur per appoſitionem negationis in fronte totius propoſitionis, vt eſt vniuerſaliſſima regula contradicendi omnibus propoſitionibus, dicendo;* non & homo exiſtit, & non exiſtit; *vt ſenſus ſit, non eſt verum hoc coniunctum, ſeu non eſt verum ſimul hominem exiſtere, & non exiſtere. Et ratio eſt, quia vna contradictoria non debet affirmare, vel negare id, quod affirmant, vel negant ſingula partes alterius, alioquin vna contradictoria eſſet pars alterius, & in ea includeretur contra regulas, & naturã contradictoriarum; nã hæc,* aliquis homo nõ eſt albus, *non debet includi, neque ſecundum partem in alia ſibi contradictoria, ſcilicet,* Omnis homo eſt albus: *quod autem in caſu noſtro ſecunda includeretur in partibus prioris; ſic oſtendo; ſuppoſito ſenſu illus ſecundæ propoſitionis,* non & homo exiſtit, & non exiſtit, *ſcilicet quod neget ſimultatem negationis exiſtentiæ hominis cum eadem exiſtentia; iam hoc idem dicit, & negat ſecunda pars prioris propoſitionis* , & homo exiſtit, & non exiſtit; *dum enim dicit non exiſtit; cum negatio ſit malignantis natura, & ſup-*

po-

ponat diſtributiuè:negabit omni modo exiſtentiam, & conſequenter omnem ſimultatem ſui cum exiſten tia, quicquid ſit, an ratione particulæ, Et, affirmata, dicat etiam talem coniunctionem; tamen non tollitur, quin illam neget ratione negationis ſecunda pars copulatiuæ, ſcilicet, non exiſtit; *& cum eam tantum neget contradictoria allata, ideſt* non & homo exiſtit, & non exiſtit, *negabit idem, ac pars contradictoriæ copulatiuae, Propterea in ſecundo curſu in metaphyſica explicans quid ſit,* eſſe poſſibile, *per* non repugnantiam; *docui copulatiua ex partibus contradicentibus non poſſe contradici per vnicam propoſitionem. Pro ſolutione.*

6 *Notandum primo ex dictis de ente rationis præſertim in tertio curſu, ens poſitiuum fictum, quod ex parte obiecti eſt aliquod impoſſibile, debere includere duo contradictoria virtualiter; contradictio autem virtualis conſiſtit in hoc, quod ſit aliquod ens includens talia prædicata poſitiua, quæ eſſentialiter inferunt contradictionem formalem; contradictio autem formalis eſt inter ens, & negationem entis; quare, ſi idem actus eſſet amoris, & odij, eſſet ens poſitiuum impoſſibile includens contradictionem virtualem, ideſt, duo prædicata poſitiua amoris, & odij, quæ peterent duo contradictoria formalia, peterent, inquã, non haberent actu contradictoria, & ſic illa diceret ſolum in actu primo; quatenus traherent illa conſequenter,*

7 *Notandum ſecundo. Omnia contradictoria formalia peti ab aliquo impoſſibili, & ficto; quod ſi poneretur: non ponerentur in actu ſecundo duo contradictoria formalia, ſed ſolum peneretur aliquod petens, ſeu trahens illa; cur autem hoc dicatur, ratio eſt: quia dum quæritur; ex hac ſuppoſitione impoſſibili*

poſsibili; ſi homo exiſteret chimæra, *ſeu* ſi eſſet impoſſibilis, & exiſteret; *quid ſequeretur? non poteſt dici, quod ſequerentur actu duo contradictoria formalia, ſcilicet,* quod exiſteret, & non exiſteret realiter, *ſed ſolum de eo verificarentur prædicata poſitiua, ſcilicet,* quod exiſteret realiter, & quod eſſet ens fictum, *ſeu impoſsibile petens quidem non eſſe reale & eſſe reale, quæ ſunt contradictoria formalia, vt etiam petens eſſe ens fictum, & non eſſe ens fictum. Et ratio, cur ſequerentur in actu ſecundo ſolum prædicata poſitiua eſt; quia, cum ſit propoſitio affirmatiua, ſcilicet,* ſi homo eſſet impoſſibilis, & exiſteret, *& in propoſitione affirmatiua prædicatum ſupponat particulariter: debent in ea de ſubiecto verificari prædicata particularia, quæ ſanè ſunt illa poſitiua, eò quod negatiua, ſcilicet* non ens reale, non ens fictum, *ſupponant vniuerſaliter, & diſtributiuè, & ſic licet actu peterentur, non deberent verificari, nec eſſe actu. His poſitis*

8 *Notandum tertio. Cum non poſsint aſsignari contradictoria de modo enunciandi propoſitioni de partibus contradicentibus formaliter; illi aſsignari propoſitionem contradictoriam ſaltem de lege, ideſt, quæ habeat legem contradictoriarum, ſcilicet, quod non poſsint eſſe ſimul vera, vel falſa, quæ tamen propoſitio immediatè, & de modo enunciandi contradicat propoſitioni, quæ eſt principium, & radix exigens talem propoſitionem de partibus contradicentibus formaliter. Qualis eſt hæc* homo exiſtens realiter eſt ens fictum petens duo contradictoria formalia, *&c. Huic propoſitioni, cum ſit copulatiua, contradicitur per negationem in fronte:* non ... homo exiſtit realiter, & eſt ens fictum,

ctum, quæ per aliam regulam reſoluetur in diſiunctiuam de partibus contradicentibus, ſcilicet, vel homo non exiſtit, vel ſi exiſtit, non exiſtit ens fictum; hæc propoſitio licet immediatè. & de modo enunciandi non opponatur primæ propoſitioni de partibus contradictorijs formalibus, contradicit tamen illi de lege, quia non poteſt cum illa eſſe ſimul vera, vel falſa.

9 Ex quibus habes diſcrimen inter ens reale, & chimaram quod, ſi chimara eſſet, exiſteret quidem ens reale, ſed ſimul eſſet ens fictum, petens, ſeu trahens eſſe reale, & negationẽ entis realis, &c. ens vero reale eſt tale, quod ſi exiſteret, eſſet quid eſt ens reale, ſed cum negatione entis ficti, & ſic non peteret negationem entis realis. Habes rurſus repugnantiam eſſe quid poſitiuum fictum petens negationem entis realis, &c. non repugnantiam verò integrari ex duobus poſitiuo, & negatiuo, ſcilicet, quod ſi, aliquid reale eſſet, exiſteret realiter, & haberet negationem talis prædicati poſitiui ficti: ex quibus duobus integratur carentia repugnantiæ, quæ vere datur à parte rei, & conſequenter datur à parte rei carentia illius propoſitionis copulatiuæ initio poſita de partibus contradicentibus. Habes demum primæ propoſitioni copulatiuæ modo dictæ opponi contradictoriè inadæquatè, ſaltem illam aliam non. homo exiſtit, & non exiſtit, inadæquatè, inquam, quia idem dicit ſecunda pars huius copulatiuæ, ſcilicet homo exiſtit, & non exiſtit, vt ſupra vidimus.

10 Video rem eſſe implicatiſsimam: placuit tamen hæc leuiter delibare, vt ampliſsimum aperirem campum ingenioſiſsimis Lectoribus illam facilius explanandi.

11 Præ-

11 Prætermittimus hic agere de æquipollentia harum propoſitionum; tum primo, quia conditionales non habent propriè omnes oppoſitiones, & ſic nec æquipollentiam; tum ſecundo, quia facilè quiſque poterit per ſe reddere æquipollentes propoſitiones prædictarum figurarum iuxta regulas ſupra traditas de æquipollentia ſimplicium propoſitionum: videat qui velit apud noſtros, Vallium par. 2. Sum. cap. 15. & Fonſecam lib. 3. cap. 2. tum demum tertio, quia parum haberet vtilitatis; eſſent enim obſcuriores propoſitiones, quas aſſumeremus de nouo, quam illæ, pro quibus declarandis fierent æquipollentes.

12 Conuerſio non habet locum in iſtis propoſitionibus: nam in copulatiuis, & diſiunctiuis, cum ſint diuerſæ propoſitiones, non ſeruarentur iidem termini: in conditionalibus non poteſt conditio conuerti in conditionatum; quare ſeruandæ ſunt regulæ ſimplicium enunciationum.

13 Pro exprimenda quantitate propoſitionum hypotheticarum, in hac propoſitione; ſi homo eſt animal non eſt ſpiritus, videtur, ly animal non ſupponere diſtributiue, vt ſenſus ſit; nullum animal eſt ſpiritus, nam cum negatio non ponatur ante animal, non diſtribuit animal, quod clare patet in alia materia, v.g. ſi homo non eſt contritus nõ ſaluabitur; falſa enim eſt propoſitio, ſi ſenſus ſit, nullus, qui non ſit contritus ſaluabitur; infantes enim baptizati non ſunt contriti, & ſaluantur.

14 Verum ſi attentius rẽ conſideremus ly animal in ea propoſitione diſtribuitur, & ſupponit vniuerſaliter, non ratione negationis, ſed ratione particulæ, ſi, quæ ex genere ſuo, & modo ſignificandi eſt illatiua, non quod propoſitio conditionalis ſit argumentatio formaliter, ſed ſolum virtualiter, & in radice,

quate-

quatenus ex iis terminis formatur ſyllogiſmus, qui latet in tali propoſitione. Quare hæc propoſitio. ſi homo eſt animal non eſt ſpiritus *æquiualet his tribus,* homo eſt animal, animal non eſt ſpiritus, homo non eſt ſpiritus. *ex quibus talis formatur ſyllogiſmus.* animal non eſt ſpiritus, homo eſt animal, ergo homo non eſt ſpiritus; *in quo ſyllogiſmo ly* animal, *debet accipi vniuerſaliter, nam cum ſit medius terminus, debet ſemel accipi diſtributiue, & cum non ſumatur diſtributiue, in min: quia eſt particularis affirmatiua, in qua prædicatũ non diſtribuitur ex dictis; vt nec diſtribueretur ſi eſſet vniuerſalis affirmatiua ex dictis; debet ſumi diſtributiue in maiore; ita vt ſenſus ſit* omne animal non eſt ſpiritus, *ſeu* nullum animal eſt ſpiritus; *& tunc bene concludit; quare in materia ſupra dicta hæc erit falſa,* ſi homo non eſt contritus non ſaluabitur, *nam ſenſus eſt, vt dicebatur* nullus non contritus ſaluabitur *falſa quoque erit hæc alia.* ſi homo non eſt contritus ſaluatur, *nam ſenſus eſt,* omnis qui non eſt contritus ſaluatur. *falſa prima. quia infantes baptizati non contriti ſaluantur, falſa ſecunda, quia omnis contritus ſaluatur, & ita tales propoſitiones erunt contrariae, quae poſſunt eſſe ſimul falſae.*

15 *Alia plura æquè minuta; atque inutilia congerunt Auctores. Videat, qui velit apud illos, praeſertim citatos.*

CA-

CAPVT DVODECIMVM.

De Propoſitionibus Modalibus. Quæ & quotuplex ſit propoſitio Modalis, deque eius qualitate, & quantitate.

1 Libenter abſtinerem à traditione harum propoſitionum: habent enim difficiles, & obſcuros ſenſus parum aptos pro captu Tyronum; præſertim quia Summuliſtæ tot regulis, & animaduerſionibus rei alioquin implicatæ tenebras potius, quam lucem attulerunt. Quoniam tamen ſæpè occurunt huiuſmodi propoſitiones inter diſceptãdum, & ex ignoratione valoris, & oppoſitionis illarũ, multæ cõmittuntur æquiuocationes; ideo operæpretium duxi illas explicare, perſpicuitate, & breuitate, qua potero maxima, quà inutilia omittendo, quà obſcura aperiẽdo, quà demum ſuo quæque loco diſponendo: vt rem ex ſe implicatiſſimam, facilem reddam, & ad captum Tyronum maximè accommodatam, ſed tenenda eſt bene initio acceptio terminorum.

2 De his agit Ariſtoteles 2. Perih. 1. cap. 3. iuxta verſionem Conimb. & de conuerſione earum primo priorum cap 3. Poſt illum Petrus Hyſpanus tract. 1. cap. *Pars illa hac eſt, quae de modalibus*, vbi Verſorius, à quo reliqui Summuliſtæ recentiores ſumpſerunt, qui

 muta-

mutauit ordinem harum propoſitionum ab Ariſtotele allatum, & communiter tenetur ipſius diſpoſitio, qui inuenit etiam dictiones pro oppoſitione, & æquipollentia illarum. Sotus lib. 3. cap. 6. Fonſeca lib. 3. à cap. 9. & deinceps, Tol. lib. 3. à cap. 1. Bagnes lib. 4. tract. 2. à cap. 1. & alij communiter, ex quibus nos accepimus quæ ſequuntur.

3 Præter propoſitioné de ineſſe, id eſt in qua prædicatum abſolutè affirmatur, vel negatur de ſubiecto; dantur aliæ propoſitiones, quæ patiuntur limitationem, ratione alicuius particulæ, quæ illis additur; quæ particula dicitur, *modus*, eò quod modificet talem propoſitionem. Hæc porrò limitatio non vna eſt, nec vnius generis, ſed diuerſa, pro diuerſitate dictionum, quæ illis adduntur, quod fit, vel per appoſitionem alicuius obliqui: v. g. *hic liber eſt Petri*, vel per alias particulas, exclusiuas, exceptiuas, reduplicatiuas, de quibus infra: nunc autem nomine *modi* intelligimus peculiarem notam, qua limitatur connexio prædicati cum ſubiecto.

4 Petrus Hyſpanus definit modum *eſſe adiacentem rei determinationem*; quam determinationem explicans Bagnes ita definit; *Modus eſt dictio modificans vnionem prædicati cum ſubiecto*: Nomine autem *modificationis*, non intelligitur quæcumque, ſed quæ aptari poſsit cuilibet propoſitioni, in quacumque materia: id eſt, per quam oſtendatur, qua ratione vniatur prædicatum cum ſubiecto.

5 Porro iſta modificatio triplex eſt: aut enim neceſſariò, prædicatum ſubiecto vnitur, aut

aut licet non neceſſario, vnitur tamen, vel ſaltem vniri poteſt prædicatum ſubiecto, aut demum impoſſibile eſt, vt vniatur prædicatum ſubiecto; quibus poſitis; triplex eſt modus; primus dicitur *neceſſarius*, ſecundus *poſsibilis*, ſeu *contingens*, ſumendo vtrunque ſtrictè pro eo, quod poteſt eſſe, & non eſſe; tertius *impoſsibilis*. Additur quartus modus, qui dicitur *poſsibilis*, & ſumitur pro eo, quod eſt, ſeu eſſe poteſt, prout eſt quid commune ad eſſe *neceſſario*, & eſſe *contingenter*. ſeu *poſsibiliter* ſtricte ſumpto, & ab vtroque præſcindit, & hic modus dicitur etiam *contingens*, latè ſumptus, prout contradiſtinctus à poſſibili, & contingenti in ſecunda acceptione: nunc ergo prætermiſſo modo poſsibli, ſeu contingẽti in ſecunda acceptione; de eo enim peculiariter infra agemus; quatuor modi communiter enumerantur *Neceſſarius, Impoſsibilis, Poſsibilis*, & *Contingens*, qui duo vltimi ſumuntur pro eodem, illos tamen nos propter communem vſum loquendi Summuliſtarum enumeramus diſtinctos. Pro intelligentia

6 Notandum primo, dupliciter poni poſſe modum in propoſitione, primo *aduerbialiter*, ſecundo *nominaliter*. & primo, modum eſſe partem prædicati: v. g. *Petrus poſſibiliter currit*. Secundo, modum ita afficere totam propoſitionem, vt illam conſtituat ſubiectum de verbo infinitiui modi, & ipſa cum alia copula finita ſit Prædicatum: v. g. *Petrum currere eſt poſſibile*: vbi aduerte, primam propoſitionem de verbo infinito appellari *dictum*; ſecundam, *modum*, loquendo de propoſitione mo-

ne modali de modo nominaliter dicto: quatuor autem ſunt modi aduerbialiter dicti: *Neceſſario, Impoſsibiliter, Contingenter, Poſsibiliter*, totidem de modo nominaliter dicto. *Neceſſe, Impoſsibile, Poſsibile, Contingens.*

7 Proquantitate horum modorum.

Notandum ſecundo, hos modos habere ſuam quantitatem: Nam, *neceſſe* eſt modus vniuerſalis affirmatiuus: *Impoſsibile*, vniuerſalis negatiuus: *Poſsibile*, particularis affirmatiuus: *Poſsibile non*, particularis negatiuus; quorum modorum quantitas, his verſibus continetur.

Omnis neceſſe valet; Impoſsibile Nullus.
Poſsibile, Quidam; quidam non, poſsibile non.

Vniuerſalitas, & particularitas in modalibus petenda à modo; quare abſolutè loquendo, iſta eſt particularis *Omnem hominem currere eſt poſsibile.* Solet autem diſtingui modalis in modalem vniuerſalem, ac particularem de dicto ſingulari, & in particularem, ac vniuerſalẽ de dicto cõmuni, ſeu vniuerſali: v.g. *Petrum currere eſt neceſſe*, eſt particularis de dicto, vniuerſalis de modo: item *omnẽ hominẽ currere eſt poſsibile*, eſt vniuerſalis de dicto, particularis de modo; alias combinationes facilè formabis, immutando dictum, vel modum.

Appendix I. Gen.

8 *Quoniam modales de dicto communi habent peculiarem difficultatem, ideo de illis ſeparatim agemus, & nunc, vt clarius perſpiciamus naturam modorum; agemus de modalibus de dicto ſingulari. Idem proportionaliter dicendum de propoſitionibus de modis aduerbialiter dictis, quae cum*

non

non contineant duas propoſitiones, ſed modus *ſit prædicatum*, dictum *vero contineatur in ſubiecto: quod diximus de* dicto *in genere, tribuendum ſubiecto in his propoſitionibus: v.g.* Petrus neceſſario currit, *eſt vniuerſalis de modo, ſingularis de ſubiecto: item* omnis homo poſsibiliter currit, *eſt vniuerſalis de ſubiecto, particularis de modo.*

Pro quantitate harum propoſitionum rurſus.

9 *Notandum tertio. Fonſecam lib. 3. cap. 16. quem ſequitur Hurtadus diſput. 4. Sum. Sect. 9. Sumere quantitatem per ordinem ad tempus, vt illa ſit vniuerſalis,* quæ diſtribuit (*inquit ipſe*) copulam dicti in omne tempus, *particularis verò quæ eandem ſolum reſtringit in ordine ad aliquod tempus.* Sicut enim (*inquit Fonſeca*) *ſignum vniuerſale,* Omnis, nullus *&c. in propoſitionibus abſolutis deſignat quantitatem numeralem. id eſt. quod extendatur ad omnia Indiuidua: ita modi* Neceſſe, & Impoſſibile *in propoſitionibus modalibus extendunt illas ad omnia tempora; quod fusè explicat Hurtadus: quia ſcilicet, quod eſt neceſſariũ, in omni tempore eſt, & quod eſt impoſſibile, in nullo tempore eſt. Rurſus ſicut* aliquis, & aliquis non, *ſunt ſigna particularia. quia ſupponunt pro vno. licet vage; ita* Poſsibile, & Poſsibile non, *dicunt aliquod tempus, licet vagum, & indeterminatum: quare iſti quatuor modi æquiualent quatuor modis temporaneis:* Et, Neceſſe *quidem æquiualet,* Semper; Impoſsibile *verò,* Nunquam: Poſsibile, Aliquando: Poſsibile non, *valet* Aliquando non. *Hæc porrò, quanquam vera ſunt, tangunt enim radicem valoris omnium modorum; tamen à Tyronibus facilius fortè intelligetur, quod magis latè pateat eſſe* neceſſarium, *quam eſſe* poſſibile,

ne modali de modo nominaliter dicto: quatuor autem ſunt modi aduerbialiter dicti: *Neceſſario, Impoſsibiliter, Contingenter, Poſsibiliter,* totidem de modo nominaliter dicto. *Neceſſe, Impoſsibile, Poſsibile, Contingens.*

7 Proquantitate horum modorum.

Notandum ſecundo, hos modos habere ſuam quantitatem: Nam, *neceſſe* eſt modus vniuerſalis affirmatiuus: *Impoſsibile,* vniuerſalis negatiuus: *Poſsibile,* particularis affirmatiuus: *Poſsibile non,* particularis negatiuus; quorum modorum quantitas, his verſibus continetur.

Omnis neceſſe valet; Impoſsibile Nullus.
Poſsibile, Quidam; quidam non, poſsibile non.

Vniuerſalitas, & particularitas in modalibus petenda à modo; quare abſolutè loquendo, iſta eſt particularis *Omnem hominem currere eſt poſsibile.* Solet autem diſtingui modalis in modalem vniuerſalem, ac particularem de dicto ſingulari, & in particularem, ac vniuerſalẽ de dicto cõmuni, ſeu vniuerſali: v.g. *Petrum currere eſt neceſſe,* eſt particularis de dicto, vniuerſalis de modo: item *omnẽ hominẽ currere eſt poſsibile,* eſt vniuerſalis de dicto, particularis de modo; alias combinationes facilè formabis, immutando dictum, vel modum.

Appendix I. Gen.

8 QVoniam modales de dicto communi habent peculiarem difficultatem, ideo de illis ſeparatim agemus, & nunc, vt clarius perſpiciamus naturam modorum; agemus de modalibus de dicto ſingulari. Idem proportionaliter dicendum de propoſitionibus de modis aduerbialiter dictis, quae cum

non

non contineant duas propoſitiones, ſed modus *ſit prædicatum,* dictum *vero contineatur in ſubiecto: quod diximus de* dicto *in genere, tribuendum ſubiecto in his propoſitionibus: v.g.* Petrus neceſſario currit, *eſt vniuerſalis de modo, ſingularis de ſubiecto: item* omnis homo poſsibiliter currit, *eſt vniuerſalis de ſubiecto, particularis de modo.*

Pro quantitate harum propoſitionum rurſus.

9 *Notandum tertio. Fonſecam lib. 3. cap. 16. quem ſequitur Hurtadus diſput. 4. Sum. Sect. 9. Sumere quantitatem per ordinem ad tempus, vt illa ſit vniuerſalis,* quæ diſtribuit *(inquit ipſe)* copulam dicti in omne tempus; *particularis verò quæ eandem ſolum reſtringit in ordine ad aliquod tempus.* Sicut enim *(inquit Fonſeca) ſignum vniuerſale.* Omnis, nullus *&c. in propoſitionibus abſolutis deſignat quantitatem numeralem. id eſt. quod extendatur ad omnia Indiuidua; ita modi* Neceſſe, & Impoſſibile *in propoſitionibus modalibus extendunt illas ad omnia tempora; quod fusè explicat Hurtadus: quia ſcilicet, quod eſt neceſſariũ, in omni tempore eſt, & quod eſt impoſſibile, in nullo tempore eſt. Rurſus ſicut* aliquis, & aliquis non, *ſunt ſigna particularia. quia ſupponunt pro vno. licet vage; ita* Poſsibile, & Poſsibile non, *dicunt aliquod tempus, licet vagum, & indeterminatum; quare iſti quatuor modi æquiualent quatuor modis temporaneis:* Et, Neceſſe *quidem æquiualet,* Semper; Impoſsibile *verò,* Nunquam; Poſsibile, Aliquando: Poſsibile non, *valet* Aliquando non. *Hæc porrò, quanquam vera ſunt, tangunt enim radicem valoris omnium modorum: tamen à Tyronibus facilius fortè intelligetur, quod magis latè pateat eſſe* neceſſarium, *quam eſſe* poſſibile,

& Impoſſibile, *quam* Poſſibile non. *Nã quod eſt* neceſſarium, *continet & infert eſſe* poſſibile, *non contra; vt eſſe* impoſſibile, *infert* Poſſibile non. *Nam ſi v.g.* Petrum currere eſſet neceſſe, Petrum currere eſſet etiam poſsibile. *Pro qualitate harum propoſitionum.*

10 *Notandum quarto. affirmationem, & negationem propoſitionum modalium deſumi ab affirmatione, & negatione modorum. Quare hæc eſt affirmatiua,* Hominem non eſſe lapidem eſt neceſſe; *hæc verò negatiua,* hominem eſſe lapidem non eſt poſsibile. *Propoſitiones verò modales de modo aduerbialiter dicto eſſe affirmatiuas, vel negatiuas, vt eſt copula illarum. Cum enim ſint propoſitiones categoricæ, & de ineſſe, & modus aduerbialis ſit pars prædicati: talis erit propoſitio, qualis erit copula. v.g.* Petrus poſsibiliter currit, *eſt affirmatiua, vt hæc eſt negatiua, v.g.* Petrus poſsibiliter nõ currit. *Solet autem quadruplex diſtingui propoſitio modalis: quæ diſtinctio bene tenenda eſt pro oppoſitione, & æquipollentia modalium.* Prima *affirmatiua de dicto, & de modo, vt* Hominem currere eſt poſsibile. *ſecunda negatiua de vtroq; vt* Hominē non currere non eſt Poſsibile. *tertia negatiua de dicto, affirmatiua de modo, vt* Hominem non currere eſt poſsibile. *quarta affirmatiua de dicto, negatiua de modo, vt* Hominem currere non eſt poſſibile. *Eandem regulam applica alijs modis,* Neceſſe, Contingens, Impoſſibile.

Appendix II. Gen.

11 *Pro veritate autem & falſitate harum propoſitionum traduntur aliquæ regulæ. Prima regula eſt,* Modalis de neceſſe *eſt vera, cuius dictum poteſt reduci ad propoſitionē de ineſſe in ma-*

teria

teria neceſſaria. Quare iſta erit vera Hominem eſse animal eſt neceſſe, *quia reſoluitur in iſtam,* Homo eſt animal, *quæ eſt in materia neceſſaria. falſa autem erit illa, cuius dictum reſoluitur in propoſitionem de ineſſe in materia impoſsibili, vel contingenti; quare iſta eſt falſa,* Hominem eſſe lapidem eſt neceſſe, *quia reſoluitur in iſtã,* Homo eſt lapis, *quæ eſt impoſsibilis. vbi aduerte; ſi dictum ſit in materia impoſsibili negatiuum. & modus de neceſſe, ſequi naturam propoſitionum in materia neceſſaria affirmatiuarum v.g.* Hominem non eſſe lapidem eſt neceſſe: *eſt vera propoſitio, quia eius de ineſſe, ſcilicet,* Homo non eſt lapis *eſt neceſſaria. Item hæc eſt falſa,* Hominem eſſe logicum eſt neceſſe, *quia eius dictum reſoluitur in hanc de ineſſe;* Homo eſt logicus, *quæ licet poſſit eſſe vera, eſt tamen contingens, & conſequenter falſum eſt eſſe neceſſe hominem eſſe logicum.*

12 *Secunda regula. Propoſitio* modalis de Impoſsibili, *eſt vera, cuius dictum reſoluitur in propoſitionem de ineſſe impoſsibilem. Quare iſta eſt vera,* Hominem eſſe Angelum eſt impoſſibile, *quia propoſitio de ineſſe,* Homo eſt Angelus, *in quam reſoluitur, eſt impoſsibilis: Illa verò falſa, cuius propoſitio de ineſſe, in quam reſoluitur dictum, eſt neceſſaria, vel contingens. Quare iſta eſt falſa,* Hominem eſſe animal, eſt impoſſibile, *quia propoſitio de ineſſe. in quam reſoluitur, ſcilicet,* Homo eſt animal, *eſt neceſſaria: item hæc eſt falſa,* Hominem eſſe logicum eſt impoſſibile, *quia propoſitio de ineſſe, in quam reſoluitur eius dictum, ſcilicet.* Homo eſt logicus *eſt contingens; & ratio eſt, quia quod eſt contingens, vel neceſſarium, non eſt impoſsibile.*

13 *Tertia Regula. Propoſitio modalis de Poſſibili, vel Contingenti communiter dicto eſt vera cuius propoſitio de ineſſe, in quam reſoluitur dictum eſt neceſſaria, vel contingens de contingenti ſpecialiter dicto, v.g. iſta eſt vera* Hominem eſſe animal eſt poſſibile, *quia propoſitio de ineſſe* Homo eſt animal, *eſt neceſſaria: item hæc eſt vera,* Hominem eſse logicum eſt poſsibile, *quia reſoluitur in hanc* Homo eſt logicus, *quæ eſt contingens; ſufficit enim, quod propoſitio de ineſſe non ſit impoſsibilis. Illa verò eſt falſa, cuius de ineſſe eſt impoſsibilis: quare iſta eſt falſa* Hominem non eſſe animal, eſt poſsibile, *quia eius de ineſſe* Homo non eſt animal, *eſt impoſsibilis.*

14 *Quarta Regula. Omnes modales veræ, ſunt neceſſariæ; falſæ impoſsibiles, nunquam contingentes, ſumendo contingens ſpecialiter dictum, id eſt pro eo, quod poteſt eſſe, & non eſſe; & ratio eſt, quia ſenſus huius propoſitionis; v. g.* Hominem eſse album eſt poſsibile. *eſt, quod ita conueniat albedo Homini, vt poſsit non conuenire, ac proinde neceſſario albedo conuenit hoc modo Homini: quod eſt idem, ac dicere; Id quod eſt contingens, neceſſario eſt contingens: nam, ſi non eſſet neceſſario contingens, poſſet eſſe, vel impoſsibile, vel neceſſarium, quod eſt falſum.*

15 *Talis ergo eſt propoſitio modalis, qualis eſt modus iuxta ſenſum explicatum, licet veritas modi pendeat à dicto, hoc eſt, quod dictum ſit in materia vel neceſſaria, vel impoſsibili &c. vt ſupra explicauimus. Propoſitiones autem de ineſſe in quas reſoluitur dictum, debent eſſe eiuſdem temporis, ac eſt illarum dictum. v. g.* Petrum cucurriſſe eſt neceſſe. *reſolui debet in hanc,* Petrus cucurrit.


16 *Illud poſtremo non eſt prætermittendũ, quod communiter aduertunt Summuliſtæ, licet non eodem modo omnes explicent; propoſitiones modales aliquando habere ſenſum compoſitum, aliquando diuiſum: v.g.* ſtantẽ ſedere eſt impoſsibile, ſtãtẽ ſedere eſt poſsibile; *vtraq; eſt vera, vel falſa in diuerſo ſenſu: & prima quidem vera eſt in ſenſu compoſito, falſa ſecunda in eodem ſenſu; è contra verò falſa eſt prima in ſenſu diuiſo, vera ſecunda in eodem ſenſu.* Senſus diuiſus *eſt, cum tribuitur aliquod prædicatum ſubiecto pro diuerſo, vel eodem tempore, in quo ſupponitur habere formam incompoſsibilem: ſed non ſimul cum illa.* Senſus compoſitus *eſt cum tribuitur aliquod prædicatũ ſubiecto pro eodem tempore, quo habet aliã formam incompoſſibilem ſimul cum illa, vt patet in exemplis allatis: Vt enim eſt impoſsibile, dum habet formam ſtandi, aliquem habere ſimul formam ſedendi, qui eſt ſenſus compoſitus; ita eſt poſsibile eundem pro eodem tempore habere formam ſtandi & ſedendi, ſed non ſimul, qui eſt ſenſus diuiſus. Atque hæc diſtinctio benè tenenda eſt pro dignoſcendis multis propoſitionibus, etiam in materia Theologica, v.g.* Prædeſtinatum damnari eſt poſsibile, Prædiſtinatum damnari eſt impoſſibile.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

De Oppoſitione, Aequipollentia, & Conuerſione harum propoſitionum.


1 EX ſupradictis de quantitate, & qualitate horum modorum; facilè erit

colligere eorum oppoſitionem; & æquipollentiam, & primo oppoſitionem vides in hac figura.




Eadem

2 Eadem ratione erunt oppoſitæ propoſitiones his modis conſtantes, vt vides in hac figura.



3 Idem dicendum de modalibus de modo aduerbialiter dicto, vt vides in ſequenti figura.




4 Fiunt autem ſingulæ propoſitiones æquipollentes ſuis oppoſitis beneficio negationis iuxta regulas æquipollẽtiæ propoſitionũ categoricarũ, v.g. prima Propoſitio, *Petrũ currere eſt neceſſe*, fit æquipollens ſuæ cõtrariæ, ſi fit negatiua de dicto, affirmatiua de modo, ideſt

Petrum

Petrum non currere eſt neceſſe: Item ſit æquipollens ſuæ contradictoriæ, ſi ſit negatiua de modo; & affirmatiua de dicto, ideſt *Petrum currere non eſt neceſſe*. Demum ſiet æquipollens ſuæ ſubalternatæ, ſi ſit negatiua de modo, & de dicto, ideſt *Petrum non currere non eſt neceſſe*: & ſic de alijs.

5 Pro oppoſitione & æquipollentia ſingularum propoſitionum, & quaternariorum adinuentæ ſunt quatuor dictiones, quarum quælibet conſtat quatuor vocalibus denotantibus quatuor propoſitiones diuerſas in affirmatione, & negatione, ita tamen, vt prima vocalis cuiuſcumque dictionis denotet primam propoſitionem de poſſibili: Secunda ſecundam de contingenti, quæ propoſitiones non differunt ſecundum rem, cum contingens hic accipiatur pro poſſibili; cõſtituendæ autem figuræ gratia, poſitæ ſunt propoſitiones de contingenti communiter dicto. Tertia tertiam de impoſſibili. Quarta quartã de neceſſe. Rurſus quaslibet propoſitiones expreſſas per vocales incluſas in qualibet dictione eſſe æquipollentes Dictiones autem ſunt *Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli*. In quibus ſunt quatuor vocales A. E. I. V. & vocalis A. denotat propoſitionem affirmatiuam, de modo. & de dicto. V. negatiuam de vtroque, E. affirmatiuam de modo, negatiuam, de dicto. I. negatiuam de modo, affirmatiuam de dicto. Demum quælibet dictio habet aliam contradictoriam, contrariam, ſubalternam, vt vides in hac figura.

Purpu-



6 Claritatis autem gratia propoſitiones ſignificatas per vocales incluſas in his dictionibus, ſequens figura demonſtrabit.

1

Pur- Petrum non currere non eſt poſſibile
pu- Petrum nō currere nō eſt cōtingens
e- Petrum non currere eſt impoſſibile
ra. Petrum currere eſt neceſſe.

CONTRA-RIAE

2

I- Petrum currere non eſt poſſibile
li- Petrum currere non eſt contingens
a. Petrum currere eſt impoſſibile
ce. Petrum non currere eſt neceſſe.

SVBALTERNAE

CONTRADICTORIAE

CONTRADICTORIAE

SVBALTERNAE

4

A- Petrum currere eſt poſsibile.
ma- Petrum currere eſt contingens
bi- Petrum currere non eſt impoſſibile
mus. Petrum non currere non eſt neceſſe.

SVBCONTRA-RIAE

3

E- Petrum non currere eſt poſſibile
den- Petrum non currere eſt contingens
tu- Petrum nō currere non eſt impoſſibile
li. Petrum currere non eſt neceſſe.

Appendix I. Gen.

7 PRobo nunc talem oppoſitionem, & æquipollentiam: & primo Purpurea & Iliace, opponi contrariè. Sumo primam propoſitionem in Purpurea, ſcilicet Petrum non currere non eſt poſſibile, quæ æquiualet quartæ eiuſdem ordinis, ſcilicet Petrum currere eſt neceſſe. Iſta eſt contraria primæ de Iliace, ſcilicet, Petrum currere nō eſt poſſibile. Quæ æquiualet tertiæ eiuſdem ordinis, ſcilicet Petrum currere eſt impoſſibile; ergo prima de Purpurea, & prima de Iliace erūt contrariæ, cum æquiualeant contrariis explicitè aſſignatis. Quod rurſus patet, quia non poſſunt eſſe ſimul vera: nam alioquin eſſent vera duæ cōtradictoria incluſa in illis: prima enim dicit, Ita Petrus currit, vt non poſsit exiſtere ſine curſu, ſecunda dicit, Ita Petrus non currit, vt non poſsit exiſtere, quin careat curſu, quæ ſecunda infert hanc; Petrus poteſt exiſtere ſine curſu, quæ eſt contradictoria primæ. Poſſunt autem illæ eſſe ſimul falſa: nam æque falſum eſt, Petrum non poſſe exiſtere ſine curſu, ac Petrum ita carere curſu, vt non poſsit exiſtere quin illo careat. Rurſus prima de Iliace infert contradictoriam primæ de Purpurea, & idem dico de aliis eiuſdem ordinis; nam Iliace infert Edentuli, vt ſuam ſubalternatam, cuius prima eſt, Petrum non currere eſt poſſibile; quam eſſe contradictoriam primæ de Purpurea, patet ex dictis. Eundem diſcurſum applica dictioni Purpurea, quæ infert contradictoriam ſuæ contrariæ Iliace:

habet

habet enim ſubalternatam Amabimus,*cuius prima* Petrum currere eſt poſſibile, *includitur in quarta de* Purpurea, Petrum currere eſt neceſſe,*vt vides. Secundo* Amabimus, & Edentuli *ſunt ſubcontraria, cum ſint particulares ſubalterna vniuerſalibus ex dictis. Poſſunt eſſe rurſus ſimul vera, ſcilicet* Petrum currere eſt poſſibile, Petrum non currere eſt poſſibile: *vtrumque enim verum eſt. Tertio demum* Purpurea, & Edentuli *opponuntur contradictoriè, vt* Iliace, & Amabimus. *Et ratio eſt euidens, tum primo, quia vna dictio eſt vniuerſalis, altera particularis vna affirmatiua, altera negatiua iuxta regulas contradictoriarum, tum ſecundo quia cum Edentuli: v g. ſit ſubalterna* Iliace, *qua eſt contraria,* Purpurea: *& contraria inferat cõtradictoriã ſua contraria, conſequenter* Edentuli, & Purpurea *erunt dictiones contradictoria, ideſt includent propoſitiones contradictorias. Atque hac de Aequipollentia, & Oppoſitione modalium de dicto ſingulari.*

Appendix II. Gen.

8 C*Irca propoſitiones modales de dicto communi multas regulas congerit Toletus loco citato, cap. 3. Alias Fonſeca citatus, cap. 2. Sotus lib. 3. cap 6. per totum: præſertim lect. 3. notabili quarto fusè de his agit. Petrus Hiſpanus non meminit diſtinctè harum propoſitionum: Verſorius tamen in illum tract. 7. de modalibus cap.* oppoſitiones modalium §. Ad argumenta, *ad primum, ait omnes modales eſſe ſingulares ex parte dicti vniuerſales verò vel*

vel particulares ex parte modi. Ex his aliquæ vtiliores regulas colliguntur.

9 *Prima eſt: In quolibet ordine ſi tres propoſitiones ſint particulares, quarta debet eſſe vniuerſalis, & è contra, ad hoc vt omnes propoſitiones illius ordinis ſint æquipollentes; alioquin non eſſent, vt infra clarius patebit. Quarè iſtæ omnes ſunt æquipollētes in* Amabimus.

Aliquam Perſonam Diuinam eſſe Patrem eſt poſſibile.

Aliquam Perſonam Diuinam eſſe Patrem eſt contingens.

Aliquam Perſonam Diuinam eſſe Patrem non eſt impoſſibile.

Omnem Perſonam Diuinam non eſſe Patrem non eſt neceſſe.

Si autem vltima eſſet particularis, ſcilicet, Aliquam Perſonam Diuinam non eſſe Patrem non eſt neceſſe, *eſſet falſa: nam ſenſus eſſet, non eſſe neceſſe, quod aliqua Perſona Diuina non ſit Pater, quod eſt falſum; vera eſt autem illa vniuerſalis,* Omnem Perſonam Diuinam non eſſe Patrem non eſt neceſſe: *nam ſenſus eſt quod aliqua Perſona Diuina poſsit eſſe Pater. Oppoſitionem, & æquipollentiam harum propoſitionum vides in ſequenti figura, et in materia magis propria logica, nam exemplum allatum eſt ſupra captum Tyronum, ſed illud poſui, vt rudiſter ſaltem videant prædictas regulas habere etiam locum in terminis diuinis.*

1

Pur- Aliquem Hominem non currere, non eſt poſſibile.
pu- Aliquem Hominem non currere non eſt contingens
re- Aliquem Hominem non currere, eſt impoſſibile
æ. Omnem Hominem currere, eſt neceſſe

Contrariæ

2

I- Aliquem Hominem currere, non eſt poſſibile
li- Aliquem Hominem currere; non eſt contingens
a- Aliquem Hominem currere, eſt impoſſibile
ce, Omnẽ Hominẽ nõ currere eſt neceſſe

Subalternæ. Contradictoriæ. Contradictoriæ. Subalternæ.

4

A. Aliquem Hominem currere, eſt poſſibile
ma- Aliquem Hominem currere, eſt contingens
bi- Aliquem Hominem currere, non eſt impoſſibile
mus. Omnem Hominem non currere, non eſt neceſſe.

Sub contrariæ

3

E- Aliquem Hominem non currere, eſt poſſibile
den- Aliquem Hominem non currere, eſt contingens
tu- Aliquem Hominem non currere, non eſt impoſſibile
li. Omnem hominem currere, non eſt neceſſe.

Secunda

10 *Secunda regula eſt Propoſitiones oppoſitas contrariè, & ſubcontrariè de* neceſſe, *debere habere vtrumque dictum, vel ſaltem alterutrum vniuerſale: in reliquis verò, vel vtrumque, vel ſaltem alterũ debere eſſe particulare. Senſus eſt incipiendo à prima parte, quod in contrarijs vtrumque, vel alterutrum dictũ propoſitionis de neceſſe debeat eſſe vniuerſale, quod ſic probo. Ponatur in* Purpurea *iſta Propoſitio.* Aliquod Animal eſſe hominẽ, eſt neceſſe. *Itẽ in* Iliace Aliquod Animal nõ eſſe Hominem eſt neceſſe. *Vtraque propoſitio eſt vera contra legẽ contrariarũ: tam enim eſt neceſſarium, quod aliquod animal ſit Homo, quam, quod aliquod animal non ſit Homo: reſoluitur enim vtraque in duas de ineſſe neceſſarias, vt per ſe patet. Item ſequeretur ſubalternantem eſſe veram, ſubalternatam falſam: v. g. hæc in* Purpurea, aliquod animal eſſe Hominem eſt neceſſe: *& hæc in* Amabimus, aliquod animal non eſſe hominem non eſt neceſſe, *ita ſe habent, vt prima ſit vera, nam reſoluitur in propoſitionem de ineſſe neceſſariam*, aliquod animal eſt Homo. *Secunda vero falſa; nam ſenſus eſt, non eſſe neceſſe, quod aliquod animal non ſit Homo, hoc autem eſt falſum, quia illud animal, quod eſt in equo, eſt neceſſe, vt non ſit homo Vtrumque ergo eſt neceſſe vt vides.*

11 *In ſubcontrarijs etiam patet regula; Si enim omnes tres fuerint particulares, debet vltima in* Amabimus, *&* edentuli *eſſe vniuerſalis. Nam ſi eſſet particularis: v. g. in* Ama-

Amabimus, aliquod animal non eſſe hominẽ non eſt neceſſe, *iam hæc ex dictis eſſet falſa: Si autem eſſet vniuerſalis, eſſet vera ſcilicet* omne animal non eſſe Hominem non eſt neceſſe. *quia ſenſus eſt, quod aliquod animal nõ ſit Homo Item in* edentuli *ſi quarta ſit*, aliquod animal eſſe hominẽ non eſt neceſſe, *eſt falſa; nã ſenſus eſt, quòd nõ ſit neceſſe aliquod animal eſſe hominẽ, cũ tamen omnis homo ſit neceſſariò animal: ſi autem dicatur*, omne animal eſſe hominem non eſt neceſſe, *erit vera, quia* ſenſus eſt, *quod non ſit neceſſe. Omne animal eſſe hominem. Vides ergo in ſubcontrariis vtramque de neceſſe debere eſſe vniuerſalem.*

12 *Pro vltima parte regulæ, qua dicimus in reliquis propoſitionibus aliorum modorum vel vtrumque, vel alterum dictum debere eſſe particulare: v. g. in* Amabimus, *ſi ſit vniuerſalis prima* Omne animal eſſe hominem eſt poſſibile, *eſt manifeſte falſa: nam animal aſini non poteſt eſſe homo; item prima in* edentuli; omne animal non eſſe hominem non eſt poſſibile, *hæc quoque erit falſa: nam ly* omne, *cũ ſupponat diſtributiuè; ſẽſus eſſet, quod nullum animal eſſet homo; & ſic duæ ſubcõtrariæ eſſent falſæ contra regulas ſupra traditas.*

13 *Alia abſurda, quæ inferri poſſent, facilè poterit per ſe quiſque colligere. Video rem eſſe obſcuram, & obnoxiam multis æquiuocationibus. Sed quia hac ratione inueſtigamus valorem multarum propoſitionum in qualibet materia etiam Theologica; neceſſe habui hæc breuiter tradere.*

14 *Verſorius citatus ait in modalibus affirmationem, & negationem ſumi à modo, vt nos etiam ſupra innuimus: vnde inferri poteſt primo ex eodem, non haberi aliunde oppoſitionem modalium, quàm ab affirmatione, vel negatione modorum: ſicut in propoſitionibus Categoricis habetur à copula, quæ in modalibus eſt modus, ſumpto modo pro omni eo, quod non eſt dictum:* v.g. eſt poſſibile, eſt neceſſe *&c. Vbi obiter aduerte has propoſitiones,* Petrum currere eſt verum, Petrum non currere eſt verum, *eſſe contradictorias, licet negatio ſe teneat ex parte dicti. Sed vt benè notat Sotus lib.3. cap. 6. lect. prima, notabili quinto. Veritas non eſt modus contra diſtinctus à propoſitione de ineſſe, vt docet etiam S. Thomas à Soto citatus opuſ. 70. Verum enim, & falſum nihil addit ſupra propoſitiones ſimplices; nam* ex eo *ſolum* quod res eſt, vel non eſt, propoſitio eſt vera, vel falſa, *& ſic patet diſparitas de veritate, & alijs modis. Secundo, propoſitiones modales non habere propriè aliam quantitatem niſi modorum ex dictis; cum tota propoſitio de ineſſe, id eſt dictum, ſe habeat, vt ſubiectum reſpectu modi. Tertiò propriam æquipollentiam propoſitionum modalium deſumendam à modis, non attendendo ad veritatem, & falſitatem dictorum, ad quæ ſi attendatur, fateor rem eſſe infinitis difficultatibus obnoxiam. Sed hæc ſufficiant pro Tyronibus, vt aſſueſcant valorem propoſitionum agnoſcere.*

15 *Pro conuerſione Modalium, Agemus hic de conuerſione Modalium de modo nominaliter*

naliter dicto: nam de aduerbialiter dicto, ex ijs, quæ de modalibus nominaliter dicemus, facilè erit colligere, quid ſit dicendum. De hac re fusè Ariſt. 1. Priorum c. 3. vbi Conimb. Nos breuiter vtiliora ſeligemus.

16. *Prima regula eſt, omnes modales de modo* neceſſario poſſibili, *&* contingenti *affirmatis conuertuntur, vt petunt ipſarum dicta id eſt, vt petunt propoſitiones de ineſſe, in quas reſoluũtur. Quare ſi dictum fuerit vniuerſale affirmatiuum, conuertetur per accidens: v. g.* omnem hominẽ eſſe animal eſt poſſibile: *ſic conuertetur,* aliquod animal eſſe hominem eſt poſſibile. *Item, ſi fuerit propoſitio de modo impoſſibili, ſed negato; v. g.* omnem hominem eſſe animal non eſt impoſſibile, *ita conuertetur,* Aliquod animal eſſe hominem non eſt impoſſibile: *& ratio eſt, quia ſi benè aduertatur, idem eſt, eſſe poſsibile, & non eſſe impoſsibile. Si autem dictum fuerit vniuerſale negatiuum, vel particulare affirmatiuũ, conuertetur ſimpliciter: v. g* omnem hominem non eſſe album eſt poſſibile, *ſeu* neceſſarium, *ita conuertetur,* omne album non eſſe hominem eſt poſſibile, *ſeu* neceſſarium. *Item* aliquem hominem eſſe album eſt poſſibile; *ita conuertetur* aliquod album eſſe hominem eſt poſſibile. *Si verò fuerit propoſitio de dicto particulari negatiuo, non conuertetur ſimpliciter, quia conuerſa eſſet vera, conuertens falſa: v. g.* aliquod corpus non eſſe album eſt poſſibile: *eſt vera propoſitio: hæc verò conuertens falſa;* aliquod album non eſſe corpus eſt poſſibile; *& ratio eſſe patet, quia contin-*

git

Digitized by Google

git aliquando prædicatum conuerſa dicere eſſentialiter ſubiectum, non è contra, eo quod ſubiectum ſit quid vniuerſalius, & magis latè patens, quam prædicatum, ſeu nõ habens neceſſariam connexionem cum illo. Sic v.g. in propoſitione allata, Corpus non habet neceſſariam connexionem cum albedine, vt albedo cum corpore. Excipe à regulis ſupra traditis, cum propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua de modo neceſſario, nam tunc debet mutari modus in, poſſibile: *v g.* omne album eſſe corpus eſt neceſſe, *ita conuertetur*, Aliquod corpus eſſe album eſt poſſibile; *Si autem diceres*; aliquod corpus eſſe album eſt neceſſe, *eſſet falſa propoſitio, ex ſuppoſitione quod albedo nulli corpori inſit neceſſariò, quod clarius eſt in hac propoſitione*, omnem Logicum eſſe hominem eſt neceſſe. *Non bene conuerteres*, Aliquem hominem eſſe logicum eſt neceſſe, *ſed* eſt poſſibile, *eo quod logica nulli homini inſit neceſſariò. Idem ſeruandum in particulari affirmatiua modali de neceſſe; v. g.* aliquem logicum eſſe hominem eſt neceſſe, *ita conuertes*, Aliquem hominem eſſe logicum eſt poſſibile, *Aliæ limitationes adduntur, quas facilius vſus, quam præcepta docebit.*

17 *Secunda regula Omnes modales de impoſſibili affirmato non conuerti ait Toletus lib. 3. cap. 5. §.* ſecunda propoſitio; *& affert exemplum* Non enim, *inquit* valet, omne animal eſſe hominẽ eſt impoſſibile, ergo omnem hominem eſſe animal eſt impoſſibile, vel non eſt neceſſe. *Et ratio eſſe poteſt, quia*

modales

modales de impoſſibili ſunt virtualiter vniuerſales negatiua, ac proinde ſequi debent regulam conuerſionis vniuerſalis negatiua, qua eſt; vt conuertatur ſimpliciter, id eſt, vt remaneat eadem quantitas in ſubiecto, & pradicato conuertentis quaerat in conuerſa, vt non remaneret, ſi conuerteretur modo dicto: nam ſubiectum conuerſa, ſcilicet, animal *erat vniuerſale diſtributum: factum vero pradicatum non eſt vniuerſale diſtributũ: poſſet ergo conuerti* ſimpliciter *retinendo idē ſignum vniuerſalitatis in pradicato conuertentis, quod erat in ſubiecto conuerſa, hac ratione*, Omnem hominem eſſe omne animal eſt impoſsibile.

18 *Tertia regula. Cum dictum eſt vniuerſale negatiuum, aut particulare affirmatiuũ* de impoſsibili: *tunc propoſitiones modales poterunt conuerti* ſimpliciter: *v.g.* nullum hominem eſſe animal eſt impoſſibile, *ita conuertetur*; nullum animal eſſe hominem eſt impoſſibile: *item* aliquod animal eſſe lapidem eſt impoſſibile, *benè conuertitur* ſimpliciter, aliquem lapidem eſſe animal eſt impoſſibile.

19 *Quarta regula quando cateri modi prater* impoſsibile, *negantur; tunc, ſi dicta ſint vel particularia affirmatiua, vel vniuerſalia negatiua conuerti poterunt* ſimpliciter: *v.g* nullum corpus eſſe album non eſt poſsibile *ſeu* contingens, *ſeu* neceſse; *ſic conuertetur*, nullum album eſse corpus non eſt poſsibile *ſeu* contingens, *ſeu* neceſse. *Quando autem dicta ſunt vniuerſalia affirmatiua de*

modis prædictis negatis, tunc non poſſunt cõ-uerti per accidens, *vt patere videtur regula conuerſionis, Non enim valet*; omne animal eſse hominem non eſt poſsibile, contingens, neceſse, *&c.* ergo aliquem hominem eſse animal non eſt poſsibile, contingens, neceſ-ſe, *&c. ſed ſi bene attendatur, iſtæ propoſitio-nes vniuerſales de modo* poſsibili, *&* contin-genti, *negato ſunt negatiuæ virtualiter, & æquiualent illis de modo impoſsibili, idem enim eſt*, omne animal eſse hominem non eſt poſsibile, ac eſt impoſsibile, *Quare conuerti poterũt* ſimpliciter, *modo ſupradicto, retinen-do ſyncategorema, hac ratione*, omnem homi-nem eſse omne animal non eſt poſsibile, non eſt contingens, *In modo verò* neceſsario, *ne-gatio poni debet ex parte dicti, hac ratione*, Hominem non eſse omne animal eſt neceſſe, *Cur autem debeat remanere ſyncategorema in prædicato conuertentis, quod erat in ſubie-cto conuerſa, ratio eſt, quia ſi benè attendatur, modus eſt copula, & prædicatum reſpectu di-cti; quare diſcurrendum de modo ſicut de co-pula propoſitionis de ineſſe. v.g. in hac*, non eſt omnis homo animal; *negatio mutat ſyn-categorema & ex vniuerſali reddit particu-lare, & ſic fit propoſitio negatiua particularis æquiualens huic*, aliquis homo non eſt ani-mal; *eadem prorſus ratione, ac ſi negatio eſſet poſita immediatè ante*, omnis homo; *ſcilicet*, non omnis homo eſt animal, *qui ſanè eſt di-uerſus ſenſus, ac ſi negatio poneretur poſt ſi-gnum ſyncategorematicum, ſcilicet*, omnis homo nõ eſt animal: *tunc enim ex dictis æqui-*

ualeret

ualeret huic, Nullus homo eſt animal. *Ad rem noſtram cum dicimus*: omne animal eſse hominem non eſt poſsibile, *ſeu* eſt impoſsibile; *ſi vellemus formare propoſitionem in rigore ita formanda eſſet*: non eſt poſsibile eſſe omne animal hominem, *in qua negatio eſt ante copulam dicti, quam negationem affert modus: & conſequenter ſyncategorema dicti vniuerſale mutatur, & fit æquiualenter particulare, & redditur propoſitio de ineſſe ſimilis illi*, non eſt omne animal homo, *quam æquiualere diximus huic*, aliquod animal non eſt homo, *quæ propoſitio vel non poteſt conuerti* ſimpliciter *ex regula ſupra tradita de propoſitione negatiua, vel ſi conuerti debeat, relinquendum eſt ſyncategorema* omnis, *in prædicato conuertentis, quod erat in ſubiecto conuerſæ ſcilicet*, homo non eſt omne animal, *quæ eſt vera propoſitio, cum non ſit animal* Equi, *quod eſt aliquod animal. Si autem abſolutè diceretur*, Homo non eſt animal *iam, cum animal, eiuſdem negationis beneficio ſupponeret diſtributiuè pro ſingulis, & conſequenter pro eo, quod eſt in homine; talis propoſitio eſſet falſa*.

20 *Quoniam verò huiuſmodi leges ſunt obnoxiæ maximis difficultatibus; ideo ſemper attendendum ad ſenſum propoſitionis, & virtutem modi: quare hanc propoſitionem: v.g.* Creans neceſſariò eſt Deus, *ita Toletus conuertit*; Deus poſsibiliter eſt creans.

21 *Conuerti etiam poſſunt propoſitiones modales per contrapoſitionem iuxta regulas ſupra traditas de conuerſione ſimplicium propoſitio-*

poſitionum, ſed, quia conuerſio eſſet obſcura, & non admodum vtilis, illam omitto.

22 *Circa Propoſitiones modales, de modo Contingenti Specialiter dicto, Suppoſuimus hucuſque,* cõtingens *accipi pro eodem, ac* poſſibile: *Nunc agendum* de contingenti ſpecialiter dicto *ſcilicet, pro eo, quod poteſt eſſe, & non eſſe. Triplicem Contingentis acceptionem habemus apud Ariſt. primo Priorum cap. 3. iuxta Conimb.* At in Contingentibus, *inquit*, cum multipliciter dicatur cõtingere: neceſſarium enim, & non neceſsarium, & poſsibile contingere dicimus. *Et ſenſus eſt (vt explicant Conimbr. ibi) vt accipiatur* contingens, *primo pro neceſſario: v.g.* contingens eſt hominem eſse animal. *ſecundo pro eo, quod non eſt neceſſarium ſed pro eo, quod poteſt eſſe, & non eſſe: v.g.* Socratem currere. *tertio prout eſt commune neceſſario, & contingenti ſpecialiter dicto, quomodo poteſt dici.* Petrum currere eſt poſsibile: Hominem eſse animal eſt poſsibile: *atque hoc modo ſumpſit Ariſtoteles:* contingens *ſecundo perihermenias c. 3. Primo modo ſumitur contingẽs nimis impropriè, tertio modo ſumitur late. ſecundo igitur modo ſumitur propriiſsimè, de quo nobis hic agendũ: nam de primo, & tertio iam egimus. Videat qui velit Conimb. loco citato q. 2. & 3.*

23 *Notandum primo; illũ, qui dicit eſſe aliquid cõtingens, dicere ita eſſe, vt poſsit etiã nõ eſſe. Quare vna propoſitio infert; aliam n am ſi contingens eſt, quod ambulẽ; ſenſus eſt, quod poſsim ambulare, et nõ ambulare: quod nõ accidit propoſitionibus de neceſſe, & impoſsibili.*

Aduertit

Aduertit Bagnes lib. 4. Summ. tract. 2. cap. 1. pro æquipollentia harum propoſitionũ, Si huic propoſitioni, Petrus contingenter ambulat, *ponatur negatio poſt modum hac ratione*, Petrus contingenter non ambulat, *iſtam propoſitionem eſſe æquiualentem primæ, in quo differt à propoſitione de modo neceſſario affirmatiua de dicto quia illa infert negatiuam de dicto, de modo impoſsibili: & è contra, ſi propoſitio de modo neceſſario ſit negatiua de dicto infert affirmatiuam de dicto impoſsibilem de modo: v. g.* Hominem eſse animal eſt neceſſe ergo hominem non eſse animal eſt impoſſibile. *Item* hominem non eſse lapidem eſt neceſse, ergo hominem eſse lapidem eſt impoſsibile. *ſumitur regula ex Ariſt. 1. Prior. c. 16. vt referunt* Conimb. *ibi q. 2. art. 2. ſcilicet propoſitiones de contingenti conuerti per oppoſitam qualitatem, ideſt affirmatiuas in negatiuas, & è contra: v. g.* contingens eſt aliquem ambulare, ergo contingens eſt aliquẽ non ambulare, *quod fuit fortaſſe occaſio, cur Bagnes dixerit negatiuam æquiualere affirmatiuæ.*

24 *Notandum ſecundo. Affirmatiuas vniuerſales; & particulares conuerti ſicut reliquas; id eſt primam* per accidens; *ſecundam* ſimpliciter: *v. g.* omnem hominem eſse album eſt contingens, *ita conuertitur*, aliquod albũ eſse hominem eſt contingens. *Item vniuerſalem negatiuam non poſſe conuerti ſimpliciter: v. g.* nullum hominem eſſe album eſt cõtingens, *non conuertes ita*. Nullum album eſſe hominem eſt contingens: *& ratio, quam ex*

Ariſt.aſſerunt Conimb.1.Prior.c.3. q.9.art.2. præter cæteras, eſt, quia conuertens poſſet eſſe falſa,& conuerſa vera v.g. nullum corpus eſse album eſt contingens, ergo nullum album eſse corpus eſt contingens, *antecedens, quod eſt conuerſa, eſt vera, conſequens verò quod eſt conuertens, videtur falſum, quia nõ poteſt eſſe album, & non eſſe corpus. Sed ſi benè attendatur eſt verum, ſi nullum albũ ſit. Tenet autem regula cum conſtantia ſubiecti, ſcilicet,* & album ſit. *Sed quicquid ſit de hoc, certè non conuertetur* per accidens *hac ratione*, aliquod album non eſse hominem eſt contingens; *quia daretur etiam antecedens verum,& conſequens falſum: v.g.* nullam creaturam eſse peccantem eſt contingens, ergo aliquod peccans non eſse creaturam eſt contingens. *Item Particularem negatiuam, quæ in aliis modis non conuertitur, nec hic conuerti* ſimpliciter *in particularem* negatiuam: v.g. aliquem hominem non eſse album eſt contingens, *non ita conuertetur,* aliquod album non eſse hominem eſt contingens, *& ratio eſt, quia in alia materia non valet: v.g.* aliquam creaturam eſse peccantem eſt contingens, ergo aliquod peccans eſse creaturam eſt contingens. *Videat plura qui velit apud Conimbr. citatos. Iſta ſufficiant pro introductione Tyronis.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.
De Exponibilibus, ideſt excluſiuis, exceptiuis, Reduplicatiuis.

1 NOmine propoſitionis *exponibilis* intelligitur ea, quæ ad ſui declarationem indiget expoſitione, quod multis modis contingit. Legat qui velit Tolet. lib. 5. cap. 6 & ſequenti Fonſecam lib. 3. à cap. 23. & ſequenti. Sotum lib. 4. de exponibilibus Petrū Hiſpanum tract. 7. par uorum logicalium cum Verſorio ibidem, & alios. Nos breuiter aliqua magis neceſſaria ſeligemus.

2. Pro excluſiuis. Propoſitiones *excluſiuæ* dicuntur, quæ conſtant aliquo ſigno excludente, qualia ſunt *Tantum, Dumtaxat, Solum*: v. g. *Homo tantum eſt rationalis*. Senſus eſt, quod homo ſit rationalis, & alia omnia, quæ non ſunt homo, non ſint rationalia.

3 Propoſitiones *exceptiuæ* dicuntur illæ, in quibus ponitur particula *præter, niſi*, vel alia ſimilis: v. g. *omnes diſcipuli præter Petrum ſcribunt*.

4 Propoſitiones *reduplicatiuæ* sūt, in quibus ponuntur huiuſmodi particulæ *Prout, Inquantum, Quatenus*, & ſimiles: v g. *Petrus prout muſicus canit*. Pro expoſitione, & oppoſitione harum propoſitionum.

Appendix II. Gen.

5. PRo excluſiuis. *Notandum primo, Signum excluſiuum aliquando afficere prædica-*

tum, & dici propoſitionem excluſiuã de prædicato excluſo: *v. g.* Petrus eſt logicus tantum, *ſenſus eſt, quod Petrus non habeat aliam facultatem niſi logicam: aliquando afficere ſubiectum, & dici propoſitionem de ſubiecto excluſo*: *v. g.* Petrus tantum eſt logicus, *ſenſus eſt, quod Petrus ſit logicus, & nullus alius ſit logicus. Addunt aliqui propoſitionem excluſiuam de ſigno afficiente totam propoſitionem, ſed non poteſt aſsignari iſte diuerſus modus, qui non ſe teneat ex parte prædicati, vel ſubiecti. Addunt alij aliquãdo ſignum excludere rem, aliquando numerum; exemplum primi eſt ſupra allatũ; exemplum ſecundi eſt.* Apoſtoli ſunt tantum duodecim, *per quam propoſitionem excluduntur alij numeri: item numerus poteſt ſe tenere ex parte ſubiecti, & ex parte prædicati cum ſuo ſigno excluſiuo: & ex parte prædicati quidem, vt in exemplo allato: ex parte vero ſubiecti: v g.* Apoſtoli tantum ſunt duodecim, *ſenſus eſt, quod numerus duodenarius non reperiatur niſi in Apoſtolis. De expoſitione excluſiuarum, cum excluſio ſe tenet ex parte prædicati, non eſt difficultas, vt benè aduertit Sotus citatus: v. g.* Petrus eſt tantum logicus. *Ita exponitur*, Petrus eſt logicus, & nihil aliud. *Difficultas eſt de excluſiuis, cum ſignum afficit ſubiectum, pro quibus.*

6 *Notandum ſecundo. Propoſitionem excluſiuã eſſe reſoluendam in duas categoricas, ſeu de ineſſe: v. g. cum dico:* Petrus tantum currit, *ſenſus eſt, Petrus currit, et nullus alius currit. Præterea excluſiuam poſſe fieri in ter-*

minis


minis indefinitis : *v.g.* Tantum homo currit: *& in vniuerſalibus* , *& particularibus*: *v.g.* tantum omnis homo currit, *ſeu* tantum aliquis homo currit. *Rurſus particulam*, Tantū, *importare negationem* , *vt vides in exemplis allatis* ; *ſed cum hoc diſcrimine à particula negatiua* . Non, *quod*, *ly*, Non, *immutat* , *& tollit terminum*, *quem immediatè afficit* : *ly*, *verò*, Tantum, *tollit terminum mediatum*, *& ponit*, *ſeu affirmat immediatum* : *v.g.* Petrus tantum currit ; *ſenſus eſt* Petrus currit, & nullus alius currit: *quare*, *ſi ponatur negatio ante particulam* , Tantum , *propoſitio habebit ſenſum poſitiuum ex regula duarum negationum*, *quæ affirmant*. *v.g.* Non tantum Petrus currit ; *ſenſus videtur eſſe* . *& Petrus currit*, *& aliquis alius etiam currit* ; *ſeu*, *vel Petrus nō currit*, *vel aliquis alius cū Petro currit*, *de qua re mox*. *Vis ergo particulæ*, Tantum , *eſt*, *vt tollat ſocietatem aliorum cum ſubiecto*, *quod afficit in participatione prædicati*, *id eſt*, *vt tollat prædicatum ab omni alio*, *quod non eſt ſubiectum*, *quod afficit*. *Per particulam autem excluſiuam affectam negatione ponitur*, *ſeu non excluditur ſocietas aliorum ſubiectorum in habendo tale prædicatum* . *Quare*, *vt particula*, Tantum, *negabat alia ſubiecta* , *ita per aliam negationem ponūtur eadem ſubiecta*, *modo explicando* . *Vbi aduerte*, *quod propoſitio excluſiua dicitur affirmatiua*, *cum nō habet negationem*: *v.g.* Tantum Homo currit: *cum autem habet negationem* , *dicitur negatiua* : *v. g.* Non tantum Petrus currit: *dicitur autem prima affirmatiua de affirmato ſi-*

guo, ſecunda verò negatiua de eodem negato; affirmatur verò ſignum, cum habet ſuam vim excludendi, ſcilicet conſortium aliorū, negatur autem, cum aliorum ſocietatem admittit. Quare, (& valde notandum pro oppoſitione excluſiuarum) non eſſe contra rationem contradictionis, quod aliquid affirmetur in vtraque propoſitione, cum non attendatur affirmatio partium, ſed ſigni, eiusq; virtutis, vt ſupra diximus in conditionalibus, & aliis propoſitionibus hypotheticis.

7 *Notandum tertio, negationē poſſe multipliciter afficere propoſitionem excluſiuam. Et primo poteſt eſſe propoſitio excluſiua ſine vlla negatione: v. g.* Tantum omnis homo currit, *& hac exponitur per copulatiuam, cuius prima pars ſit, vniuerſalis affirmatiua, ſecunda, vniuerſalis negatiua, cui etiam aequiualet: v. g.* & omnis homo currit, & nullus alius currit. *Ad quam propoſitionem memoria retinendum, poſita eſt hac dictio,* DATE, *cuius vocales ſpectanda ſunt, A, & E: A, denotat vniuerſalem affirmatiuam, E, vniuerſalem negatiuam. ſecundo poteſt negatio poni ante copulam, vt ſit propoſitio de ſigno affirmato, & negata copula: v. g.* Tantum omnis homo non currit, *& tunc exponitur per copulatiuam, cuius prima pars ſit vniuerſalis negatiua, ſecunda vniuerſalis affirmatiua, & explicatur per dictionem,* PENAM, *cuius prima vocalis denotat primam propoſitionē, ſecunda ſecundam, hac ratione* nullus homo currit, & omne aliud currit. *Tertio, negatio poteſt afficere ſignum, & non copulam,*


ita vt

ita vt ſit negatiua de ſigno, affirmatiua de copula: v. g. non tantum omnis homo currit, *& exponitur per particularem negatiuam, & particularem affirmatiuã ſub disiũctione, ſeu per disiunctiuam conſtantem ex dictis partibus, quam propoſitionem explicat dictio,* PROMPTI, *cuius prima vocalis denotat primam propoſitionem, idest, particularem negatiuam expreſſam per vocalem* O. *ſecunda ſecundam, idest particularem affirmatiuam expreſſam per vocalem I. hac ratione*, vel aliquis homo non currit, vel aliquis alius, qui non ſit homo currit. *Quartò negatio poteſt afficere tam copulam, quàm ſignum, & erit negatiua de vtroque: v g.* non tantum omnis homo non currit, *exponitur per disiunctiuam, cuius prima pars ſit particularis affirmatiua, ſecunda particularis negatiua, & exponitur per dictionem,* PIGRO, *hac ratione*, vel aliquis homo currit, vel aliquid aliud non currit. *Has propoſitiones eſſe oppoſitas, ſequens figura demonſtrat.*



8 *Propoſitiones excluſiuæ de ſubiecto ſingulari paulo aliter exponuntur, ideo illis poſſunt deſeruire ſequentes dictiones, in quibus ſpectantur vocales habentes eandem vim, ac in ſuperioribus dictionibus, & ſingulæ ſingulas denotant propoſitiones, vt vides in ſequenti figura.*

9 *Pro*



9 *Pro intelligentia oppoſitionis harum propoſitio-num. Notandum in his ſeruari oppoſitionem de lege, ideſt, quod vna inferat aliam, & vna ſit affirmatiua, altera negatiua &c. quod ſic explicatur in exemplo excluſiua de ſubiecto ſingulari, v. g. prima, quæ dicit* **Petrus tantum currit.**

rit, *habet hunc ſenſum. & Petrus currit, & nullus alius currit, Subalterna huius eſt.* Non tantum Petrus non currit. *Hæc ita reſoluitur*, vel Petrus currit, vel aliquis alius non currit, *quæ propoſitio non differt in qualitate à prima: differt autem in quantitate: nam prima eſt copulatiua, ſecunda diſiunctiua: item prima habet ſecundam partem vniuerſalem, ſecunda habet illam particularem. Tertia dicit* Tantum Petrus non currit, *quæ æquiualet huic, & Petrus non currit, & omne aliud præter Petrum currit: atque hæc eſt contraria primæ, à qua differt in qualitate, non in quantitate; tum quia vtraque explicatur per particulam,* Et; *notam vniuerſalitatis; tum quia vtraque habet ſecundam partem vniuerſalem. Quarta quæ dicit,* Non tantum Petrus currit, *æquiualet huic, vel Petrus non currit, vel aliquis alius cum Petro currit, quæ eſt contradictoria primæ, eo, quod prima excludat conſortium aliorum omnium in curſu, iſta admittat: rurſus prima excludat copulatim, iſta includat diſiunctiuè conſortium alterius. Hæc eſt ſubalterna tertiæ, eo quod ab ea in qualitate non differat, ſed in quantitate, vt patet conſideranti.*

10 *Non acquieſcit Hurtadus ſupra dictis diſp. 4. Summu. ſect.* 14. *quamquam magna ex parte obiectionibus ipſius fecerimus ſatis immutando dictiones, & conſequenter propoſitiones exponentes, quæ illis reſpondent; vnica tamen ſupereſt difficultas, quâ conatur oſtendere expoſitionem huius propoſitionis*, Non tantum Petrus currit, *quæ dicit, vel Petrus non currit, vel aliquis alius etiam currit; non eſſe bonam: Sic enim habet* §. 77. ſecundo, *inquit*, hæc reſolutio propoſitionum non tam enucleate, quam arietino more videtur

detur inuecta. Hæc enim propoſitio; Non tantum homo currit, à Summuliſtis ita reſoluitur; Nullus homo currit, vel aliquod non homo currit; cum tamen è mammis ſuxerimus eius reſolutionem eſſe hanc; homo currit, & aliquid aliud præter hominem currit.

11 *Probat primo ita debere exponi à Priori, vt ipſe ait; Id affirmat hæc Propoſitio,* Non tantum homo currit, *quod negat*, tantum homo currit; *Sed illa negat ſocietatem aliorum cum homine in curſu; ergo iſta illam affirmat. Confirmatur, quia cum dico,* ſum ego ſolus, *æquiualet huic, nō eſt alius mecum, & cum dico,* non ſum ego ſolus, *æquiualet huic copulatiuæ, ſcilicet, ſum ego, & aliquis alius, quod probatur ex Ioan. 8.* ſolus, *inquit Chriſtus,* non ſum, *quam propoſitionem exponit idem Chriſtus per copulatiuam:* ſed ego, *inquit* & qui miſit me Pater.

12 *Secundo, ſi quis diceret hunc errorem.* Ego ſolus natus ſum in peccato originali, *teneretur retractare hanc propoſitionē per hanc,* non ego ſolus; *&c. per quam ita non excluderetur ipſe, vt includerentur alij: Ita vt fieret catholica propoſitio,* Ego, & alij nati ſumus in peccato originali, *quæ eſt propoſitio Catholica definita in Conc. Trid. ſeſſ. 5 aſſerente,* omnes poſteros Adami naſci in peccato, *ſub qua vniuerſali continentur omnes copulatiuæ; non autem illa diſiunctiua, vel ego non ſum natus in peccato, vel alij nati ſunt in peccato;* quia, *inquit*, vniuerſalis affirmatiua nullam continet ſingularem negatiuam, nec deſcenſum diſiunctiuum, ſed copulatiuum. *Hæc ille.*

13 *Re-*

13 *Reſpondeo & pro ſolutione. Notandum, cum propoſitiones excluſiuæ æquiualeant complexis; conſequenter oppoſitionem illarum deſumendam eſſe à natura complexarum.*

14 *Diximus autem propoſitioni copulatiuæ cōtradici per diſiunctiuam de partibus contradicentibus, ideſt, ſi partes copulatiuæ ſint affirmatiuæ, partes diſiunctiuæ eſſe debere negatiuas. v. g.* Et Petrus ſtudet, & Paulus ambulat, *ita contradicitur.* vel Petrus non ſtudet, vel Paulus non ambulat. *Si autem copulatiua ſit de vna parte affirmatiua, de altera negatiua. v. g.* & Paulus ſtudet, & Petrus non ſtudet, *ita contradicetur,* vel Paulus non ſtudet, vel Petrus etiam ſtudet. *Ratio autem, cur ita contradici debeat, eſt quia contradicitur cuilibet propoſitioni hypotheticæ ex ſupra dictis per negationem in fronte, hac ratione,* Non, & Paulus ſtudet, & Petrus non ſtudet; *& ſenſus eſt; non ſunt coniunctæ in veritate ſimul iſtæ duæ propoſitiones: ad negationem autem coniunctionis duorum ſufficit defectus vnius, vt fusè ſupra probauimus. Vnde habetur, quod huic propoſitioni,* Nullus homo currit *ſufficienter contradicitur per hanc,* aliquis homo currit, *quæ ſanè non affirmat omnia, quæ negat vniuerſalis negatiua, ſed ſolum vnum, tollendo per ly,* vel, *coniunctionem, quam dicebat negatiua, cui æquiualet,* Aliquis; *ſcilicet,* vel hic, vel ille currit. *Contradictoria ergo propoſitio non debet tollere ſingulas partes alterius diuiſiuè, ſed indiuiſibiliter complexionem illam in veritate, quam copulatiua dicebat.*

15 *Ex his reſpondetur ad argumenta Hurtadi. Ad primum, nego maiorem. & ratio eſt, quia prima propoſitio* tantum homo currit, *eſt affirmatiua*

de

de copula principali: affirmatur enim ſimultas curſus hominis cum negatione curſus aliorum; negatiua autem de copula minus principali, hoc eſt de parte propoſitionis, vt vides. E contra verò hæc propoſitio. Non tantum homo currit, eſt negatiua de copula principali: negatur enim ſimultas curſus Petri cum negatione curſus aliorum. Quare, cum dicitur quicquid negat prima, ſcilicet, tantum homo currit, affirmat ſecunda, ſcilicet, non tantum homo currit: vel ſermo eſt de copula principali, & propoſitio eſt de ſubiecto non ſupponente, nam ſupponit primam propoſitionem eſſe negatiuam de copula principali, cum ſit affirmatiua; vel ſermo eſt de copula minus principali, & non eſt neceſſe; quod contradictoria affirmet determinatè id, quod altera negat, vt fusè ſupra probauimus, & ſic abſolutè, propoſitio tota eſt falſa. Minor etiam, quæ dicit, ſed prima propoſitio negat ſimultatem curſus hominis cum curſu aliorum, eſt quidē vera, ſed debet addi, quod includit affirmationem curſus hominis cum negatione curſus aliorum.

16 Ad confirmationem. Patet ex dictis. Ad probationem ex Ioanne, dico, Chriſtum Dominum per illa verba: Sed ego, &c. probare, quod ipſe non ſit ſolus; non autem intentum illius fuiſſe aſsignare veram contradictoriam: immò implicitè etiam aſſignauit, quia illa, quam attulit, eſt contraria priori ex dictis; contraria autem infert contradictoriam ſua contrariæ. Locutus eſt enim in ſenſu communi hominū, qui ſæpe contrariā ponunt pro contradictoria: cōmuniter enim dicuntur hæ propoſitiones contradictoriæ. omnis homo currit, nullus homo currit.

Ad

17. *Ad ſecundum concedo talem errorem retractari per illam propoſitionem*, Non tantum ego natus ſum in peccato originali, *Concedo item hanc non eſſe immediatè catholicam, ſed mediatè, quatenus infertur ex illa Catholica, quæ ponitur in argumento: ſed dico per hanc ſecundam propoſitionem ſufficienter deſtrui primã erroneam. Quod verò vlterius requiratur, vt hic, retractando determinatè affirmet, & alios* eſse natos in peccato: *ratio eſt, quia eſt ſuſpectus in fide, quod ipſe neget abſolutè, & determinatè independenter à ſe, quod alij ſint nati in peccato: & ideo requiritur, vt determinatè affirmet alios eſſe natos in peccato: vt neget id, propter quod erat contra fidem prior propoſitio.*

18 *Præterea aduerte, quod hæc debent intelligi in rigore logico; non enim nego illam propoſitionem*, non tantum ego ſum natus in peccato, *in ſenſu vulgari accipi pro copulatiua; ſed nos hic loquimur in rigore logico, in quo negatio ante propoſitionem copulatiuam facit illam disiunctiuam, copulatiuæ contradictoriam, vt ſupra diximus. Demum, quod addit vniuerſalem copulatiuam non continere deſcenſum disiunctiuum; eſt contra communem ſententiam Summuliſtarum. Fonſeca enim libro 8. cap. 29. ſic habet;* ex omni, *inquit*, vera copulatiua fieri poteſt vera disiunctiua, *& ratio eſſe poteſt, quia copulatiua, cum ſit vniuerſalis, ſubalternat ſibi particularem: v. g.* omnis homo eſt animal, *ſubalternat ſibi*, aliquis homo eſt animal, *at terminus ſupponens particulariter, & determinatè habet deſcenſum disiunctiuum: v. g. vel hic homo eſt animal; vel hic homo eſt animal, vel hic &c. quæ propoſitio affirmat ſaltem vnum hominem*


eſſe

eſſe animal,licet ſub diſiunctione, & ſic patet, quomodo diſiunctiua continetur in copulatiua ;quare iſta, vel ego non ſum natus in peccato. vel alij nati ſunt in peccato, *benè continetur in illa catholica,* omnes nati ſunt in peccato.

19 *Pro Exceptiuis, duo aduertenda. Primum, particulam exceptiuam debere cadere ſupra aliquid, quod contineatur in termino, à quo excluditur, v. g,* omnes diſcipuli præter Petrum ſcribunt. ly, Petrus, *qui excipitur, debet contineri in collectione diſcipulorum: quare hæc non erit exceptiua* omnes Diſcipuli præter Equum ſcribunt:*nam* Equus *terminus exceptus, non continetur inter Diſcipulos. Secundo requiri vt terminus, à quo ſit exceptio ſupponat vniuerſaliter, ſeu diſtributiuè, id eſt,quod ſit terminus communis diſtributus. Quare iſta non erit exceptiua:* Aliquis diſcipulus præter Petrum ſtudet; *nam* excipere, *vt bene notat Fonſeca lib. 3. cap. 26,* eſt à toto genere partem detrahere: *ab eo autem, quod eſt particulare determinatum nihil poteſt detrahi. Quare ſi quando proferuntur tales enunciationes,* Aliquis, *ſeu* alius Rex, præter Chræſum fuit diues, *ly,*præter, *ſonat* vltra Chræſum,*id eſt,quod non ſolum Chræſus fuerit diues.*

20 ***Pro oppoſitione harum propoſitionum; ſciendum, quatuor modis poſſe combinari particulam exceptiuam: primo, vt affirmetur ipſa particula, ſeu ſignum, & copula: v.g*** omne animal præter piſcem reſpirat, *& exponitur per copulatiuam, cuius prima pars ſit vniuerſalis affirmatiua, ſecunda vniuerſalis negatiua, hac ratione;* omne animal, quod non eſt piſcis reſpirat, & nullus piſcis reſpirat: *Hæc copulatiua a Summuliſtis exprimitur*

per duas vocales, A. & E, contentas in hac dictione: DATE, quae habent eandem vim, ac in ſuperioribus dictionibus, Secundo vt negetur copula. & affirmetur ſignum : v.g. omne animal præter piſcem non reſpirat , *& exponitur per copulatiuam ; cuius prima pars ſit vniuerſalis negatiua, ſecunda vniuerſalis affirmatiua , quæ prepoſitio exprimitur per E, & A, vocales contentas in dictione,* PENAM, *hac ratione,* nullum animal, quod non eſt piſcis reſpirat, & omnis piſcis reſpirat. *Tertio, vt negetur ſignum. & non copula: v. g.* Non omne animal præter piſcem reſpirat : *dixi non negari copulam, ſolum in hoc ſenſu, quod non ſit duplex negatio , & exponitur per diſiunctiuam. cuius prima pars ſit particularis affirmatiua, quae exprimitur per duas vocales,* O , *&, I, incluſas in dictione* PROMPTI , *hac ratione,* vel aliquod animal, quod non eſt piſcis, non reſpirat, vel aliquis piſcis reſpirat. *Quarto demum vt negetur tam ſignum . quam copula per duplicem negationem: v.g.* non omne animal præter piſcem non reſpirat, *& reſoluitur per diſiũctiuam, cuius prima pars ſit particularis affirmatiua, altera etiam particularis negatiua, quae exprimitur per vocales, I, & O, contentas in dictione* PIGRO, *hac ratione;* vel aliquod animal, quod non eſt piſcis reſpirat, vel aliquis piſcis non reſpirat; *vt vides in hac figura.*




Ex his facilè erit colligere oppoſitionem exceptiuarum de termino excepto ſingulari. v.g. Omnes Diſcipuli præter Petrum ſtudent, *vnuſquiſque enim poterit ex ſe figuram conſtruere, faciendo propoſitionem de termino excepto ſingulari, addendo negationem iuxta regulas traditas.*

21 *Pro Reduplicatiuis*. *Notandum illas particulas habere duplicē ſenſum, alterū ſpecificatiuū, alterū reduplicatiuum. Specificatiuus eſt, cū denotatur, quod ratione illius rei, quæ notatur tali particula, non repugnet aliquod prædicatum ſubiecto: v g.* Albus in quantū albus poteſt eſſe logicus: *ſenſus eſt, quod dū habet albedinem, poteſt habere logicam; & conſequenter, quod logica non repugnet albedini in eodem ſubiecto. Senſus reduplicatiuus duplex eſt, primus cum particula reduplicatiua denotat rationem quā afficit, eſſe de conceptu eſſentiali, ſeu quidditatiuo ſubiecti: v g.* Homo in quantum homo, eſt rationalis, *ſenſus eſt, quod homini conueniat rationalitas ratione humanitatis, & conſequenter, quod rationalitas ſit de eſſentia hominis; & huiuſmodi propoſitiones explicantur per hæc, quod ratio illa affecta tali particula ſit de conceptu alterius, quod non poſſit concipi ſine illa: v g.* homo non poteſt concipi ſine rationalitate tā quā parte conſtituente ipſum hominē. *Secūdus ſenſus, ſcilicet reduplicatiuus eſt, cū particula reduplicatiua denotat rationem, quam afficit, eſſe cauſam, cur prædicatum ſubiecto conueniat: v. g.* homo in quantum admiratiuus eſt riſibilis: *ſenſus eſt, quod homini conueniat riſibilitas ratione admiratiuitatis; & reſoluuntur huiuſmodi propoſitiones per cauſales, hac ratione*, Quia homo eſt admiratiuus, eſt riſibilis.

22 *Pro oppoſitione reduplicatiuarum. Notandum breuiter: vt reduplicatiuæ ſint contradictoriæ, negatiuam debere etiam negare*

parti-

particulam reduplicantem, hac ratione, Petrus in quantum homo eſt albus, *contradictoria erit.* Petrus non in quantum homo eſt albus. *Si autem diceretur,* Petrus in quantum homo non eſt albus; *eſſet contraria prima, & vtraque falſa, Quæ bene attendenda ſunt ad dignoſcendas captioſas argumentationes ratione talium propoſitionum. Bagnes lib. 4. ſumm. tract. 3. à c. 3. & deinceps accuratè explicat vim & acceptionem particulæ reduplicatiuæ, & oppoſitionem propoſitionum reduplicatiuarũ, &c. legatqui velit apud illũ. Ex quo breuiter ſolum accipe; ita diſponi oppoſitionem harum propoſitionum de termino communi.*



Quæ ita explicãtur, vt prima reſoluatur in propoſitiones ſimul cõtentas ſub prima collectione propoſitionũ ſequentiũ, & ſic de alijs Om-

1

Et { Omnis homo eſt riſibilis. Omnis homo eſt rationalis Omne rationale eſt riſibile Quia aliquid eſt rationale eſt riſibile. }

2

Et { Nullus homo eſt riſibilis Omnis homo eſt rationalis Nullum rationale eſt riſibile Quia aliquid eſt rationale, ideo non eſt riſibile. }

3

Vel { Aliquis homo eſt riſibilis Aliquis homo non eſt rationalis Aliquod rationale eſt riſibile Non quia aliquid eſt rationale ideo non eſt riſibile. }

4

Vel { Aliquis homo eſt riſibilis Aliquis homo eſt ~~ri-ſibilis~~ * Aliquod rationale non eſt riſibile Non quia aliquid eſt rationale eſt riſibile. }

* rationalis.

23 *Expoſitionẽ harũ propoſitionũ vide apud eundẽ. Aliæ aſsignantur propoſitiones exponibiles ab Auctoribus citatis, ſed de his legite illos, præſertim Sotum citatum, apud quem illas reperietis diligenter examinatas; abſtinẽdum enim mihi eſſe cenſui à traditione illarum, tum quia vnuſquiſque ex dictis vtiliores poterit per ſe noſſe, & exponere; tum quia pleraque parum habent vtilitatis.*

24 *De indiſſolubilibus legite Sotum qui tractatum integrum deÿs inſtituit. Huiuſmodi ſunt propoſitiones ſe ipſas deſtruentes de quibus non nihil ſupradiximus, Item de relatiuis, comparatiuis, ſuperlatiuis, vt de verbis expoſitione indigentibus: v.g* Incipit, Deſinit, *&c. legite apud Summuliſtas: propter eãdem enim rationem ab ÿs abſtinendũ cẽſui; præſertim cũ per otium nõ liceat in his nugis diutius nos immorari, & detinere Tyrones.*

LIBER

LIBER TERTIVS.

De ijs, quæ pertinent ad tertiam operationem intellectus.

DEuenimus ad eam partem, ad quam omnia, quæ hucuſque tradidimus, referuntur. Vtinam ea perſpicuitate, & accuratione, quam ſibi res tanta poſtulare videtur, tractare poſſimus. Continet enim hæc pars vniuerſam doctrinam, quam Ariſtoteles comprehendit in libris priorum poſteriorum, & aliqua ex libris elenchorum, topicorum. Doctrina demum huius partis dicitur *ars noua* ad diſtinctionem *veteris*, quæ continetur in libris prædicamentorum, & periher. eò quod huius Ariſtoteles vel fuerit primus inuentor, vel ſaltem magnam illi acceſsionem fecerit. Sanè hi libri Ariſtotelem multò fecerunt celebriorem, quam cæteri. Fateor non pauca in ijs libris contineri captu difficilia, & obſcurè tradita, adeò vt niſi exquiſitus labor acceſsiſſet Interpretum, parum ex ea vtilitatis hauriremus. Non tamen propterea non eſt ſummopere laudandus Ariſtoteles, qui fuit in hac arte primus: vt enim facile eſt inuentis addere; ita condonandum primo inuentori, ſi rem nouam paulò implicatiorem, quam requireremus, nobis tradiderit. Legite hac ſuper re eundem Ariſt. 1. elench. cap. vlt. vbi inſuper petit ſibi gratias agi, quod primus inuenerit hanc viam ſyllogizandi. Abſtinebimus hoc loco à quæſtionibus, quæ pertinent ad li-

bros citatos: ſolum hìc certa, & communia, breuitate,& claritate, qua licet maxima ad captum præſertim Tyronum accòmmodata afferemus.

CAPVT PRIMVM.

Quid & quotuplex ſit conſequentia.

1 DE conſequentijs agunt communiter Sũmuliſtæ, & alij in libris priorum. Legat qui velit illos, præſertim Sotum lib. 3. cap. 8. lect. 1, notab. 4. & lib. 5. cap. 1. lect. 2. Fonſecam lib. 6. cap. 1. & deinceps Tolet. lib. 4 cap 1. & 2. Conimbr. 1. prior. cap 1. q 2. art. 3. lauellum in ſummulis tract. 9 de conſequent. & alios communiter.

2 Agimus primo loco de conſequentia, quia omnis alia argumentatio eſt aliqua ſpecies conſequentiæ, vt mox conſtabit, & benè aduertunt Conimb, & alij Pro intelligentia autem conſequentiæ in communi ſit. Petrus Hyſpanus tract 5. aliqua præmittit neceſſaria pro qualibet argumentatione, quæ claritatis cauſa in quæſita tribuimus.

3 Quæres primo quæ, & quotuplex ſit *ratio* ſeu quæ ſit huius vocis acceptio?

4 Reſpondetur. Sex acceptiones traduntur à Petro Hyſpano, & Verſorio ibi. Prima acceptio eſt pro *Definitione rei*; & ita ſumitur ab Ariſtotele in definitione æquiuocorum, in qua dicitur: *ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa*; ideſt definitio eſſentiæ diuerſa. Secunda eſt pro

vir-

virtute intellectiua, ſeu *mente*. Tertia pro *argumentatione*: nam vt ratiocinari eſt argumentari, ita ratio eſt argumentatio. Quarta pro *forma alterius partis*, quæ ſit materia; quomodo dicimus formam, ſeu figuram cultelli eſſe rationem determinãtem materiam ferri ad eſſe cultellũ. Quinta pro *forma totius ſiue phyſica, ſiue metaphyſica*: phyſica, inquam, vt eſt *humanitas*: v.g. reſpectu totius hominis, metaphyſica, vt eſt *eſſentia ſpecifica* hominis prædicabilis reſpectu inferiorum. Sexta demum pro *medio probatiuo concluſionis*, quod eſt principium diſcurſus, vt eſt *rationale*: v.g. ad probandum *hominem eſſe riſibilem*, quod *rationale* eſt cauſa riſibilitatis. Latius tamen patet *ratio*, quàm *cauſa*; quia medius terminus aliquando poteſt eſſe effectus, vt cum ex fumo probatur ignis, in quo caſu medius terminus erit ratio, non cauſa, niſi nomine cauſæ, intelligatur etiam cauſa cognoſcendi, in quo ſenſu effectus quoque eſt cauſa cognoſcendi ipſam cauſam.

5 Quæres ſecundo, Quid ſit *medium?*

6 Reſpondetur. eſt terminus ille, qui aſſumitur ad probandam connexionem extremorum propter connexionem, quam habet cum illis, vt patet in exemplo allato.

7 Quæres Tertio. Quid ſit *Argumentum?*

8 Reſpondetur. dupliciter accipitur. Primo pro *argumentatione* in ſenſu vulgari. Secundo pro *medio termino probatiuo concluſionis*, quia cogit quaſi mentem ad aſſentiendum concluſioni, dicitur *Argumentum*, hoc eſt, *arguens mentem*, quemadmodum *inſtrumentum* dicitur quaſi *inſtruens mentem*. Definitur *Argu-*

mentum à Petro Hyſpano citato: *Eſt ratio rei dubia faciens fidem*, vbi fides non ſumitur pro aſſenſu obſcuro, ſed pro eo, qui habetur per medium, vbi vides idem eſſe *Argumentum*, *medium terminum*, & *rationem* in vltima acceptione.

9 Quæres quarto Quid ſit *quæſtio?*

10 Reſpondetur à Petro Hyſpano citato definitur. *Eſt dubitabilis propoſitio*: v. gr. hæc propoſitio; *homo eſt riſibilis*; ſi de eius veritate dubitetur, eſt *quæſtio*: quæ deinde eſt probanda per medium, vnde infertur quid ſit *concluſio*. Eſt enim ex eodem, *eadem, ac quæſtio*; *ſed argumento probata*. Rurſus vides quomodo propoſitio negata ſemper debeat eſſe concluſio; quia vt ab Aduerſario negatur, eſt facta *quæſtio*; & ideo eſt probanda per medium, quæ per notam illationis redditur probata propoſitio, quæ eſt idem, ac *concluſio*: v. gr. in exemplo allato, ſit hæc propoſitio negata; *homo eſt riſibilis*, ſtatim aſſumatur *medium*, (de cuius inuentione infra) quod habeat connexionem cum vtroq; extremo, & diſponatur, vt ſupra innuimus in Proluſione, & infra dicemus iuxta exigentiam ſingularum figurarum. Erit autem medium, *Rationale*, quod diſpoſitum cum terminis quæſtionis conſtituet integram argumentationem, in qua concluſio erit propoſitio antea negata, hac ratione. *Omne rationale eſt riſibile; omnis homo eſt rationalis: ergo omnis homo eſt riſibilis*.

11 Quæres quinto. Quid ſit *argumentatio?*

12 Reſpondetur Petrus Hyſpanus ſic illam definit. *Eſt*, inquit, *oratio explicans argumentum:*

tum : & ſenſus eſt (vt idem habet ibidem). Eſt oratio totalis compoſita ex præmiſſis, vel præmiſſa, & concluſione, in qua manifeſtatur vis argumenti, ſeu medij termini, vt patet in exemplo modo allato.

13 Quæres ſexto. Quid ſit *diſcurſus*, cum omnis *Argumentatio* ſit quidam mentis diſcurſus.

14 Reſpondetur Conimbr. loco citato q.2. artic. 1. breuiter, & dilucidè ad quæſitum reſpondere. Ex quibus

15 Notandum primo Ariſtotelem expreſſe non meminiſſe tertiæ operationis primo periherm. cap. 1. & 3. de anim. cap. 6. vbi ſimplicis tantum apprehenſionis, & compoſitionis, ſeu iudicij meminit, vel quia eam comprehendit ſub ſecunda, vt ait Ferrarienſis; vel quia in ijs locis non erat peculiaris quæſtio de diuiſione operationum, eò quod notio tertiæ operationis, præſertim eſt in ordine ad argumentationem, de qua ex profeſſo agit in libris priorum, & poſteriorum, in quibus licet non expreſſe, implicite tamen meminit tertiæ operationis, dum agit de ſyllogiſmo, qui concluſione perficitur, quæ eſt formaliſsimè tertia operatio, & idem dicendum de diſcurſu. Pro cuius notione.

16 Notandum ſecundo ex Alberto diſcurſum appellari eam mentis operationem, quæ imitatur progreſſum localem, qui eſt diſpoſitio paſſuum vnius poſt alium. Vnde benè infert Caietanus 1 par. q. 58. ar 3. ad diſcurſum formalem requiri plures cognitiones, quarum vna ſequatur ad aliam, idque ob imperfectio-

nem noſtri modi cognoſcendi; eò quod non cognoſcamus res intuitiuè, ſed abſtractiuè, & obſcurè.

17 Pro intelligenda autem *natura ipſius diſcurſus*. Sciendum, tripliciter poſſe haberi cognitionem de aliquo obiecto multiplici. Primò, cum vnum obiectum cognoſcitur *in alio*, & vnum eſt ratio, vt cognoſcatur aliud: ſic Beati in communi ſententia cognoſcunt creaturas in Deo; eò quòd Deus cognitus, ſit ratio obiectiua, vt cognoſcatur ipſe, & creaturæ; & huiuſmodi cognitio non eſt diſcurſus. Secundo cum vnũ cognoſcitur poſt aliud, itavt cognitio vnius ſequatur ad cognitionem alterius; non tamen vna ſit alterius cauſa: v.g. cum audio aliquem appellantem prius panem, deinde vinum; cognitiones, quas habeo de pane, & vino, non efficiunt propriè diſcurſum, ſed impropriè; & à S. Thoma appellatur *diſcurſus ſecundum ſucceſſionem*, tertio cum vnum cognoſcitur dependenter ab alio per duas cognitiones inuicem connexas, & huiuſmodi cognitiones conſtituunt diſcurſum, qui dicitur cauſalitatis. Et primus modus cognoſcendi dicitur, *In alio*, ſecundus, *poſt aliud*, tertius, *ex alio*. Hic poſtremus fit mediante particula rationali, *Ergo*, vel ſimili. Quare Ariſtoteles, cum hoc modo Intellectus operatur, appellat illum, *rationem*, eò quod ratiocinetur, ſeu diſcurrat. Porrò diſcurſus duplex eſt; alter *à priori*, alter *à poſteriori*. Primus eſt, cum in prima illius propoſitione, quæ dicitur, *Antecedens*, continetur cauſa; ideſt, cum obiectum illius eſt cauſa conſequentis: v. g. *homo eſt rationalis; ergo*

eſt riſibilis. ſecundus eſt, cum in prima eſt effectus, & in ſecunda cauſa; v. g. *dies eſt; ergo Sol eſt*. Præterea ſub nomine *diſcurſus* comprehenditur quælibet Conſequentia, cum in ea ſit proceſſus ille cognitionum, quem requiri diximus ad diſcurſum. Et licet *inductio* ſit proceſſus ex multis cognitionibus ſingulariũ ad vniuerſale, in qua collectione cognitionum non ſit cauſa, & effectus: tamen pertinet ad diſcurſum cauſalem; tum quia antecedens eſt cauſa ſaltem in cognoſcendo cõſequentis; tum quia reducitur, vt diſpoſitio ad diſcurſum propriè cauſalem, quatenus cognitio ſingularium inſeruit ad dignoſcendam cauſam, cuius cognitio poſſit deindè inſeruire ad formandum rigoroſum diſcurſum. Et propter eandem rationem cognitiones experimentales ſingularium, ex quibus deducitur cognitio vniuerſalis, pertinent ad diſcurſum.

18 Quæres 7. Quid ſit *Conſequentia*.

Reſpondetur. Hæc vox *conſequentia* ducta eſt à verbo *Cõſequor*; vt *ſequela à verbo ſequor*: & in ſua latiſſima acceptione ſignificat *vim illam, qua vna res ſequitur aliam, eamque indiuiduè comitatur*. Talis autem vis vel eſt artificialis: v. g. cum filum ſequitur acum ineuitabiliter; aut vna tabula cum alia clauo iuncta ſequitur illã; vel ſecundo eſt naturalis; vt v. g. eſt anima iuncta corpori; anima enim ſequitur corpus vbicumque fuerit: & in his prima pars quæ trahit alteram dicitur *antecedens*, ſecunda *conſequens*: connexio vero, qua antecedens trahit conſequens, dicitur *conſequentia*, ſeu *ſequela*. Ex hac generaliſſima acceptione huius

vocis deriuant logici illam ad ſignificandam connexionem aliquarum propoſitionum, quarum vna ſequatur aliam: in quibus propoſitionibus reperiuntur adhuc tria illa enumerata, *Antecedens, Conſequens, & Conſequentia*.

19 Accipitur aliquando *Conſequentia* pro diſpoſitione talium propoſitionum, quarum vna, ita eſt cum antecedenti connexa, vt ex eo ſequatur, ſiue antecedens ex vna, ſiue ex pluribus conſtet propoſitionibus, vt in proluſione innuimus. Et hæc quoque diſpoſitio dicitur *Conſequentia*; quatenus in ea reperitur connexio propoſitionum, quæ eſt ipſiſſima Conſequentia: & primo modo accipitur *Conſequentia* cum dicitur à Reſpondente; *nego Conſequentiam*, ſecundo modo cum dicitur, *in qualibet Conſequentia reperiuntur tria, Antecedens, Conſequens, & nota illationis:* cum enim negatur Cõſequentia, negatur connexio propoſitionum, Antecedentis videlicet, cum conſequenti. His poſitis.

20 Conimbr. 1. prior. cap. 1. quæſt. 2. artic. 3. & Fonſeca lib. 6. cap. 1. ita definiunt Conſequentiam. *Eſt Oratio, in qua aliquid ex aliquo colligitur*. Paulò aliter Toletus lib. 4. c. 1. *eſt oratio, in quavnum ex alio inferri denotatur*. Hæ deſcriptiones, ſi rigorosè ſumantur, non explicant naturam Conſequentiæ. Et ſi ſumatur *conſequentia* pro connexione propoſitionum, certum eſt illi non competere prædictam definitionem, cum illa non ſit oratio, in qua aliquid ex aliquo colligitur, ſed ipſa vis colligendi. Si autem ſumatur *conſequentia* in ſecundo ſenſu, neque illi competet prædi-

cta definitio, cum conſiſtat in diſpoſitione propoſitionum, non in ipſis propoſitionibus, quibus propriè competit, vt ſit *oratio.* Vnde Iauellus tract. 9. de conſequentijs cap. 1. definit *Conſequentiam eſſe habitudinem, ſeu reſpectum ſubſequentis propoſitionis ad præcedentem, deſignatam per notam illationis illatiuè ſumptam*, ideſt non ſumptam materialiter, ſicut ſumeretur vel ex ra argumentationem dicendo, *Ergo eſt nota illationis*; vel interrogatiuè: v. g *ergo adhuc non ſtuduiſti?* Quia tamen *ſyllogiſmus* eſt ſpecies Conſequentiæ, & definitur eſſe *Oratio*: poterit prima definitio Conimbricenſium competere Conſequentiæ ſecundo modo acceptæ; vt ſenſus ſit, quod complexio illa propoſitionum, quæ eſt quædam oratio, contineat talem diſpoſitionem earundem, in qua diſpoſitione ſit connexio ſupra explicata. Definitio verò Toleti habet maiorem difficultatem; & primo non competit Conſequentiæ in primo ſenſu: quia, qui negat conſequentiam, non negat denotari vnum inferri ex alio, ſed negat ipſum inferri, ſeu ipſam connexionem propoſitionũ. Secundo nec competit Conſequentiæ acceptæ in ſecundo ſenſu; quia cum dicitur Conſequentia eſſe diſpoſitio: affirmatur, quod in ea ſit connexio propoſitionum, non autem quod denotetur vnum inferri ex alio. Quanquam hæc quoque poteſt habere bonum ſenſum, accipiendo ly, *inferri denotatur* pro eodem, ac *infertur*: & tunc habet eundem ſenſum, ac definitio Conimbricenſium. Ex his.

21 Definitur *conſequentia* pro duplici acceptione: Et in primo quidem ſenſu dici poteſt,

conſequentia eſt ratio connectens vnam propoſitionem cum alia, vel cum alijs. Dicitur *ratio*, ideſt vis connectendi dicitur *vnam propoſitionem* ideſt illam, quæ eſt conſequens. Dicitur, *cum alia, vel cum alijs*, ideſt cum antecedenti; quod ex dictis poteſt conſtare, vel vna, vel duplici propoſitione. In ſecundo autem ſenſu dici poteſt *Conſequentia eſt diſpoſitio Propoſitionum quæ neceſſariã contineat connexionẽ illarũ.* Deſcriptio clara eſt, nec vlteriore indiget explicatione.

22 Hic breuiter aduerte ab aliquibus comprehendi ſub deſcriptione *Conſequentia* tam bonam Conſequentiam, quam malam; cenſent enim illas differre ſicut homo albus, & niger; ita vt vtraque habeat rationem Conſequentiæ. Quod ita probant. Veritas, & falſitas ſunt accidentia propoſitionis: ſed Conſequentia bona, & mala differunt per veritatem, & falſitatem, quia bona ſignificat veram connexionem, mala verò falſam; Ergo hę Conſequentiæ differunt accidentaliter.

23 Sed contra primo. Quia Ariſt. 1. prior. cap. 5. ait ſyllogiſmos vitioſos non eſſe ſyllogiſmos, & clarius primo elench. cap. 1. multis ſimilitudinibus oſtendit ſyllogiſmum vitioſum non eſſe ſyllogiſmum; ſed ſyllogiſmus eſt ſpecies Conſequentiæ: ergo Conſequentia vitioſa non erit abſolutè Conſequentia, ſed ſe habebit ſicut homo pictus reſpectu hominis veri. ſecundo ratione à priori, quia malæ Conſequentiæ non conuenit definitio, & eſſentia Conſequentiæ; quia nec eſt connexio, nec habet connexionem propoſitionum, vt homo pictus non habet eſſentiam hominis: habebit ergo mala

Con-

Conſequentiâ vmbram, figuram, & nomen Conſequentiæ; & erit talis ſolum ſecundum vocem, non rem: & ſic verbalis tantum erit conſequentia. tertio, & reſpondetur ad fundamentum oppoſitum Bonitas Conſequentiæ non ſumitur à veritate propoſitionum, nam ex mox dicendis, poteſt ſtare bonitas Conſequentiæ cum falſitate propoſitionum.

24 Ex his colligitur diſcrimen inter *Conſequens*; & *Conſequentiam*; nam *Conſequentia* eſt illa, quam modò explicauimus, *Conſequens* verò eſt vltima propoſitio affecta nota illationis, ratione cuius aliquando denominatur Conſequẽtia. Vnde obiter habes, cur non diſtinguatur Conſequentia, ſed conſequens. Ratio eſt; quia Conſequentia, cum ſit ſolum illa vis connectens propoſitiones, quæ conſiſtit in indiuiſibili; abſolutè, vel erit bona, vel mala: &, ſi bona, erit, ſimpliciter cõſequentia, qualis nullo modo erit, ſi ſit mala: atque ita non eſt capax diſtinctionis. Conſequens verò, cum ſit propoſitio, eſt capax diſtinctionis; eò quod poſsit habere dubios ſenſus. Poſita autem diſtinctione conſequentis, dicitur abſolutè concedo, vel nego conſequentiam: & ſenſus eſt, quod poſito tali ſenſu illius propoſitionis concedimus, vel negamus eſſe connexionem illius propoſitionis cum antecedenti. Vndè vlterius habetur, non poſſe diſtingui conſequens, ſi argumentum ſit in forma, & præmiſſæ ſint abſolutè conceſſæ, eò quod, ea ratione connectuntur extrema in concluſione, qua fuerunt in præmiſsis cum medio connexa: ergo ſi abſolutè concedantur vt connexa cum medio in præmiſsis extrema: abſolutè conce-

denda eſt connexio eorundem inter ſe in concluſione.

25 Quæres octauo: Quotuplex ſit *Conſequentia*.

26 Reſpondetur non agimus hìc de ſpeciebus Conſequentiæ; de his enim infra; ſed de natura ipſius conſequentiæ, prout poteſt applicari ſingulis ſpeciebus, quod clarius conſtabit infra.

Celebris eſt diuiſio Conſequentiæ in *formalem* & *materialem*, ſed in aſsignando diſcrimine inter illas, eſt difficultas Tolet. lib. 4. cap. 1. ait *Conſequentiam materialem eſſe illam, cuius altera pars verè infertur ex altera ob verum ſolam connexionem: formalem verò eſſe illam, in qua vnum infertur ex alio propter modum colligendi*. Exemplum primæ eſt; *Petrus eſt homo; ergo eſt ſubſtantia*; quæ eſt materialis; quia, ſi eadem forma argumenti applicetur alteri materiæ habebitur antecedens verum, conſequens falſum: v. g. *Petrus eſt homo; ergo eſt albus*. Exemplum ſecundæ eſt; *omne bonum eſt appetendum; omnis virtus eſt bona, ergo omnis virtus eſt appetenda*, hæc eſt formalis Conſequentia; quia eadem forma applicata cuicunque materiæ, ſi antecedens ſit verum, ſemper concludet conſequens verum. Ferè eodem modo explicant hoc diſcrimen Fonſeca lib. 6. cap. 3 & Conimbr. cit.

Appendix 1. Gen.

27 Sotus *lib. 5. cap. 1. de ſyllogiſ. lect. 2. ait Conſequentiam illam, in qua ex inferiori arguimus ſuperius, eſſe formalem Conſequentiam;*

vt

vt in prima exemplo Toleti ſupra allato. Sic enim habet. Sed re vera, *inquit*, gratis negatur, huiuſmodi Conſequentias eſſe formales, cum teneant in eadem materia tam naturali, quam remota, quàm contingenti. *Vnde non ſunt ſimiles forma iſta;* Petrus eſt homo, ergo eſt animal: Petrus eſt homo ergo eſt equus. Nam illa habitudo inter inferius & ſuperius, eſt intrinſeca, & ſeruanda ad initandum in ſimili forma. *Et ſenſus eſt, quod, vt ſit bona conſequentia in alia materia, debeat ſeruari hac eadem forma intrinſeca, ſcilicet, quod in antecedenti ſit inferius, in conſequenti ſuperius, & tunc valebit in omni materia In exemplo verò allato*, Petrus eſt homo ergo eſt equus *non ſeruatur ratio inferioris, & ſuperioris & ſic non eſt bona* Conſequentia *Placet doctrina Soti, vt etiam diſcrimen, quod aſſignat inter* Conſequentiam *formalem & materialem* Cõſequentia, *inquit* materialis eſt illa, quæ nõ tenet per aliquem dialecticũ locum, ſed ſolum in tali materia; *v g*. homo eſt rationalis; ergo omnis homo eſt rationalis *eſt Conſequentia materialis, & valet in materia naturali, & remota, nõ cõtingenti: v g*. homo currit, *ergo* omnis homo currit *& ſenſus eſt quod illa ſit Conſequentia materialis, qua valet ſolum ratione talium terminorum, qui ex ſe ſunt connexi; vt eſt* homo, *&* rationale *in materia naturali, item* homo *&* lapis *in materia remota; v g*. homo non eſt lapis; *ergo* nullus homo eſt lapis. *nõ tenet Conſequentia ratione forma, quia cõmittitur vitiũ* à non diſtributo ad diſtributũ, *vt notat idem Sotus Nam in eo antecedenti*, homo currit *ly* homo *non eſt diſtributus, vt eſt in conſequenti;* omnis homo currit

&

& idem patet in hac Conſequentia homo nō currit; ergo nullus homo currit *Conſequentia formalis eſt*, quæ tenet per locos dialecticos, *ad quos pertinent omnia iſta: primo, vt ſeruetur eadem forma, ideſt eadem figura, & modus in quacunque materia; ideſt quod medius terminus, & alij ſint eodem modo diſpoſiti, & diſtributi, & propoſitiones ſint eodem modo particulares, vel vniuerſales, affirmatiua, vel negatiua, quod valet quando Conſequentia eſt ſyllogiſmus. Secundo quando Conſequentia non eſt ſyllogiſmus, ſi in antecedenti ſit inferius, & in conſequenti ſuperius, non è contra: item ſi in antecedenti ſit definitum, & in conſequenti definitio, vel è contra; eſt Conſequentia formalis, quia tenet in quacunque materia. Tertio ſi Conſequentia ſit conuerſio propoſitionum; & ſeruentur regulæ conuerſionis, Conſequentia erit formalis: v. g. omne album eſt corpus: ergo aliquod corpus eſt album; & idem generaliter dicendum de alijs Conſequentijs, quæ regulantur per præcepta logica; vt cum æquipollens infert alteram æquipollentem. v g.* omne album eſt corpus: ergo nullum album non eſt corpus, *& ſic de alijs propoſitionibus, quibus prima æquipollet; vel cum ſubalternans infert ſubalternatam v. g.* omne album eſt corpus: ergo aliquod album eſt corpus; *& in propoſitionibus hypotheticis, cum ſcilicet ex copulatiua infertur vna pars illius: v. g.* Et Petrus currit, & Paulus ludit; ergo petrus currit: *& in diſiunctiuis, cum ex affirmatione diſiunctiuæ, & negatione vnius partis, infertur, & affirmatur altera pars, loquendo de diſiunctiua in ſenſu antiquorum: v. g.*

vel

vel dies eſt, vel nox eſt: ſed dies non eſt, ergo nox eſt. *Dixi in ſenſu antiquorum, quia in ſenſu recentiorum, etiam ſi ex negatione vnius partis inferri poſſit altera affirmatiue, non tamen è contra ex aſſirmatione vnius infertur negatiuè altera; v. g.* vel Petrus vel Paulus ſtudent, *non benè infertur*, ſtudet Petrus, ergo non ſtudet Paulus, *vt infertur in diſiunctiua primo modo accepta: v.g.* eſt dies, ergo non eſt nox; *quare huc reuocanda, quæ hactenus diximus de modis argumentandi in alijs propoſitionibus.*

28 *Fonſeca quoque, Conimbricenſes, & alij communiter aduertunt ad conſequentiam formalem requiri, vt ſeruetur eadem ſuppoſitio terminorum, appellatio, qualitas, quantitas, diſpoſitio medij, propoſitionum, eadem diſtributio, idem genus propoſitionum, & cætera affectiones logicales, quæ niſi ſeruentur, & ex antecedenti vero habeatur conſequens etiam verum, erit argumentatio, & conſequentia materialis.*

29 *Diuidi etiam ſolet Conſequentia formalis in neceſſariam & probabilem: verbi gratia,* Petrus eſt homo; ergo eſt animal. *& eſt conſequentia neceſſaria: item* Agricola diligenter colit agrum; ergo magnum fructum percipit; *Conſequentia eſt probabilis; Vbi aduerte diſcrimen non eſſe ratione formæ; nam ſemper Conſequentia eſt neceſſaria, ſi ſit bona; ſed ratione materiæ, hoc eſt ſingularum propoſitionum ſecundum ſe conſideratarum. Sed de his fuſius infra de ſyllogiſmo.*

CA-

CAPVT II.

De Regulis bonæ Conſequentiæ.

SOtus lib.3. cap.8. lect.1. notab.5. & deinceps decem tradit regulas bonæ Conſequentiæ. Iauellus tract 9.à cap.3. vſque ad finem tradit penè infinitas. Pauciores Toletus lib.4. cap.2. non multo plures Fonſeca lib.6. cap.5. Ex quibus vtiliores, & vniuerſaliores afferemus.

2 Prima eſt, quam tradunt communiter prædicti Auctores, præſertim Fonſeca lib. citat. cap.1. *cum ex veritate antecedentis, ſiue abſolutè accepti, ſiue ex ſuppoſitione, ſequitur neceſſariò conſequens; tunc eſt bona conſequentia*, alioquin eſt vitioſa: verbi gratia. *Petrus eſt homo, ergo eſt animal*, ſeu *Petrus eſt auis, ergo habet alas*: vtraque Conſequentia bona eſt propter neceſſariam connexionem, quam habet conſequens cum antecedenti vtraque. verò hæc alia eſt mala; ſcilicet; *Socrates eſt homo, ergo currit*; ſeu *Socrates eſt homo, ergo equus eſt animal*; mala, inquam eſt; quia ex veritate vtriuſque antecedentis non infertur veritas vtriuſque conſequentis; vnde poſſet ſtare antecedens verum cum conſequenti falſo, ſcilicet quod Socrates eſſet homo, & non curreret; item quod idem eſſet homo, etiam ſi equus non eſſet animal, ſupponendo quod equus eſſet impoſſibilis.

3 Secunda regula eſt, cum *id, quod contradicit*

dicit, ſeu opponitur contradictoriè conſequenti, repugnat antecedenti, tunc erit bona Conſequentia, alioquin erit vitioſa. Quare hæc eſt bona; ſcilicet, *Socrates eſt homo, ergo eſt animal:* nam hæc propoſitio *Socrates non eſt animal*, quæ eſt contradictoria conſequentis, repugnat etiam antecedenti. Hæc vero eſt vitioſa; *Socrates eſt homo*, ergo *Socrates eſt logicus*; quia hæc propoſitio *Socrates non eſt logicus*, quæ eſt contradictoria conſequentis, non repugnat antecedenti. Ratio autem huius regulæ eſt illa, quam affert Sotus lib. 3. cap. 8. lect. 2. nota 3. quia alioquin ſi id, quod contradicit conſequenti, non repugnaret antecedenti, poſſet eſſe verum ſimul cum illo; quo poſito etiam conſequens eſſet verum cum ſuo contradictorio; nam ex antecedenti vero conſequens debet eſſe verum; conſequens enim verum ſtat cum veritate omnium illorum, cum quibus ſtat veritas antecedentis; & cum contradictorium conſequentis ſupponatur ſtare cum veritate antecedentis, cum eodem contradictorio ſtabit veritas conſequentis. His poſitis

4 Radix, & fundamentum harum regularum, & conſequentium ab omnibus poſita, eſt; quod *ex vero non ſequatur niſi verum, ex falſo autem poſſit etiam ſequi verum*. Probatur, & explicatur prima pars huius principij; & ſupponendum falſum non habere connexionem cum vero; quia falſum non eſt; verum autem ſuo modo eſt: id autem, quod eſt, verè, & propriè eſt tale, independenter ab eo, quod non eſt, quale eſt falſum: & ſic antecedens,

dens verum non habet connexionem cum conſequenti falſo, vt patet in exemplis allatis, præſertim in fine primæ regulæ. Probatur, & explicatur ſecunda pars. Bonitas conſequentiæ ex dictis non attendit veritatem propoſitionum, ſed ſolum debitam diſpoſitionem terminorum cum medio; quæ diſpoſitio poteſt ſtare cum antecedenti abſolutè falſo, ſed accepto, & ſuppoſito vt vero, ex quo antecedenti poteſt inferri verum conſequens, quod habeat connexionem cum illo; eo quod in antecedenti ſit poſitus talis terminus, qui trahat neceſſariò conſequens; v. gr. *homo eſt equus; ergo eſt animal:* terminus, *equus*, qui ponitur in antecedenti, & eſt medium huius Conſequentiæ, falſo quidem connectitur cum homine, ſed quia verè connectitur cum animali, eſt ratio, vt verè etiam connectatur animal cum homine. Quomodo ex falſo ſequatur etiam falſum, paulò poſt conſtabit. Ex hoc deducitur, *conſequentiam ſemel bonam, ſemper eſſe bonam;* eò quod bonitas illius conſiſtat in connexione conſequentis cum antecedenti ratione talis diſpoſitionis terminorum, quæ, ſi retineatur, non poterit Conſequentia non eſſe bona. Hoc tanquam iacto fundamento, deducuntur aliæ minores regulæ. Quare

5 Colligitur primo. *Ex antecedenti poſſibili ſeu contingenti ſequi poſſe conſequens poſſibile, contingens, & neceſſarium*. Probatur explicatione. Primo, quod ſequatur poſſibile, ſeu cõtingens: v. gr. *Petrus currit; ergo mouetur*: vbi vides Conſequentiam quidem eſſe neceſſariam,

con-

conſequens vero ſecundum ſe ſpectatum eſſe tãtum poſſibile, & contingens: Secundo, quod ſequatur etiam neceſſarium: v.g. *homo currit; ergo eſt viuens:* ratio autem huius vltimæ partis eſt; quia Prædicatum, quod cõtingenter conuenit ſubiecto antecedentis, & eſt medium in conſequentia poteſt habere neceſſariam connexionem cum prędicato conſequentis; & ſic illud inferre: curſus enim: v. gr. qui contingenter conuenit homini, habet neceſſariam connexionem cum viuente; & ſic infertur quod neceſſario viuens conueniat homini.

6 Colligitur ſecundo. *Ex neceſſario non poſſe ſequi niſi neceſſarium:* non enim benè ſequeretur; *homo eſt animal, ergo currit;* & ratio eſt; quia alioquin daretur antecedens verum, & conſequens falſum. Quod ſic oſtenditur: nam neceſſariũ non poteſt non eſſe verum. contingens poteſt eſſe falſum: ergo ſi antecedens ſit neceſſariũ, & conſequens contingens, poſſet ſtare antecedẽs verum cum conſequenti falſo. Contra hanc tamen regulam occurrit non leuis difficultas, quam à nemine vidi exagitatam; poſſe ſcilicet aliquando ex antecedenti neceſſario ſequi conſequens contingens: v. g in his ſyllogiſmis in *Darapti* tertiæ figuræ.

Omne album eſt coloratum:
Omne album eſt corpus:
Ergo aliquod corpus eſt coloratum.

Vbi vides præmiſſas eſſe neceſſarias, concluſionem vero eſſe contingentem.

Item in hoc alio.

Omne currens mouetur: Omne currens eſt corpus.

Er-

Ergo aliquod corpus mouetur.

Hic etiam vides præmiſſas eſſe neceſſarias, concluſionem verò contingentem.

7 Pro ſolutione, huc reuocanda quæ diximus de propoſitionibus de tertio adiacente in materia contingenti, quæ cum ſint de prædicato accidentali, ſupponunt exiſtentiam ex parte ſubiecti, & ex parte eiuſdem aliam propoſitionem de ſecundo adiacente; & ſic virtualiter talem propoſitionem de tertio adiacente eſſe copulatiuam æquiualentem huic; *Et currens eſt*, ſeu exiſtit; & *idem mouetur*: Ex dictis autem de veritate, & natura propoſitionum copulatiuarum, ſi vna pars ſit falſa, vel contingens, tota propoſitio eſt falſa, ſeu contingens: quare, cum prima pars talis copulatiuæ ſit contingens, ſcilicet *& eſt currens* (contingit enim ſubiecto curſus) tota copulatiua contingens erit; & idē dico, de ſecunda præmiſſa, ex quibus contingentibus benè deducitur concluſio contingens. Conſtat ergo prædictam regulam eſſe firmam, & certā, nec huiuſmodi ſyllogiſmos eſſe illi oppoſitos.

8 Colligitur tertio, *tam ex neceſſario, quàm ex contingenti, & poſsibili non poſſe ſequi impoſsibile*: v. g. *homo currit: ergo homo eſt lapis*: vel *homo eſt animal; ergo eſt equus*. Hæ non ſunt bonæ conſequentiæ; & ratio eſt, quia ſequeretur dari poſſe antecedens verum, & conſequens falſum. Quod enim eſt neceſſarium ſemper eſt verum; impoſsibile autem ſemper eſt falſum: item quod eſt contingens poteſt eſſe verum, impoſſibile verò ſemper eſt falſum: ergo adhuc ſequitur quod dari poſſit antecedens verū, & cōſequēs falſum; ſi ex contingenti ſequeretur impoſsibile.

Col-

9 Colligitur quarto. *Falſum non ſequi niſi ex falſo;* & ratio eſt, quia ſi ſequeretur ex vero, poſſet dari antecedens verum, & conſequens alſum. Rurſus *impoſsibile non deduci niſi ex impoſſibili* propter eandem rationem.

10 Colligitur quinto. *Ex impoſsibili poſſe ſequi impoſsibile, contingens, & neceſſarium:* v.g. *homo eſt leo, ergo eſt rugibilis: homo eſt equus ergo mouetur: homo eſt equus, ergo eſt animal*. Vbi vides ex tribus antecedentibus impoſſibilibus deduci primum conſequens impoſſibile, ſecundum contingens, tertiū neceſſarium. Ratio regulæ eſt ſupra allata: quia bonitas conſequentiæ non attendit veritatem propoſitionum, ſed ſolum, quod medius terminus habeat neceſſariam connexionem cum prædicato conſequentis, vt verè habet in exemplis allatis.

11 Circa hanc regulam egregiè notat Sotus lib. 3. cap 8. lect. 2. velle aliquos in bona conſequentia ex *impoſſibili ſequi quodlibet*, & ita eſſe bonam hanc conſequentiam; *homo eſt lapis: ergo eſt Angelus ergo eſt animal, ergo currit*. Impugnat hoc Sotus primo, quia ad bonitatem conſequentiæ requiritur, vt ſit aliqua habitudo conſequentis ad antecedens, vel effectus ad cauſam, ſeu è contra; vel generis ad ſpeciem, vel definitionis ad definitum &c. quæ habitudo reperitur etiam in antecedenti falſo, & conſequenti vero, vt ſupra diximus: at in Conſequentia modo allata; quæ habitudo eſt inter hominem eſſe Angelum, & eſſe lapidem? Reperiretur autem, ſi diceretur; homo eſt Michael; ergo eſt Angelus. Secundo Ariſtoteles (vt refert Sotus ibidem) ait eſſe impoſsibile, quod eadem propoſitio ſequatur

ad

ad duas contradictorias. Quare hæc propoſitio, quæ ſit conſequens, *Petrus mouetur*, benè ſequitur ad hanc, *Petrus volat*: non autem ſequi poteſt ad eius contradictoriam, ſcilicet *Petrus non volat*. Si autem teneret explicatio ſupradictorum, iam iſta propoſitio: v. g. *homo eſt Angelus*; per ipſos ſequi poſſet ad iſtam; *homo eſt lapis*; quæ multo magis poſſet ſequi ad oppoſitam antecedentis, ſcilicet *homo non eſt lapis*: nam minorem repugnantiam habet cum Angelo id, quod non eſt lapis, quàm lapis, & ſic eadem propoſitio ſequeretur ad duas contradictorias. Regula ergo, quod ex impoſsibili ſequi poſsit quodlibet, vera eſt, modo conſequens habeat connexionem cum antecedenti in aliquo genere ratione medij, modo ſupra explicato: v. g. *homo eſt Deus: ergo eſt trinus, & vnus; ergo eſt intelligens; ergo mouet aliquid.* Vbi vides ex antecedenti impoſſibili, ſupponendo, quod homo ſit identificatus cum natura Diuina, ita vt ex duabus naturis ſit facta vna, ſequi primum conſequens impoſſibile ſecundum neceſſarium, tertium contigens. Quæ benè tenenda ſunt, ne cogamur concedere quodlibet ex antecedenti impoſsibili in ſenſu impugnato.

Tertia Regula *Quicquid ſtat cum antecedenti, ſtat cum conſequenti, non è contra, quicquid ſtat cum conſequenti; ſtat cum antecedenti*. Et ſenſus eſt, quod, quicquid poteſt eſſe verum cum antecedenti, poteſt eſſe cum conſequenti: v. g. *aliquod ens eſt homo*; ergo *eſt animal*. Cum antecedenti ſtat benè hæc alia propoſitio; *aliquod ens eſt riſibile*, & ſic ſtat etiam cum conſequenti, non è contra; quicquid ſtat in verita-

te cum

te cum conſequenti, debet ſtare cũ antecedentis nam hæc propoſitio, *aliquod ens eſt hinnibile*, ſtat benè cum conſequenti, non cum antecedenti. Ratio prioris partis eſt, quia alioquin eſſet verum antecedens, & conſequens falſum. Nam illa propoſitio, quæ non ſtaret cum veritate conſequentis, euerteret illud è veritate, & conſequenter redderet falſum, manente antecedenti vero, quod repugnat ex ſupradictis. Ratio ſecundæ partis eſt, quia poteſt ſtare conſequens verum cum antecedenti falſo ex dictis, atque ita, id quod poteſt ſtare cum veritate conſequentis non requirit antecedens verum, ſed poteſt ſtare cum falſitate illius; quare bene diceretur; *Hic eſt homo, ergo eſt animal*; rurſus cum hoc conſequenti, bene ſtat, quod ſit quadrupes; quod non benè ſtat cum antecedenti; *Hic eſt homo*, ſed hoc non tollit bonitatem conſequentiæ, quæ non requirit veritatem antecedentis & ſic etiam ſi *eſſe quadrupes* deſtruat antecedens, adhuc poteſt eſſe bona conſequentia; v.g. ſi loco primi antecedentis *Hic eſt homo* deſtructi & ablati ponatur id, quod ſtat cum conſequenti; adhuc bene ex eo infertur idem conſequens v.g. *hic eſt quadrupes*, dicendo de homine, *ergo eſt animal*, & ſic patet regula.

13 Quarta Regula. *Quicquid repugnat conſequenti repugnat antecedenti; non è contra, quicquid repugnat antecedenti, repugnat conſequenti.* Regula ſecundum, primam partem eſt ſupra poſita; quia tamen habet aliqua vlterius explicanda, nunc iterum ponitur. Prima pars continet commune axioma Ariſtotelicum. *In bona conſequentia contradictorium conſequentis*

infert

infert contradictorium antecedentis: v.g. *homo currit, ergo homo mouetur:* contradictorium conſequentis eſt, *homo non mouetur,* quod infert contradictorium antecedentis, ſcilicet, *ergo homo non currit.* Ratio eſt, quia alioquin poſſent eſſe vera duo contradictoria, & primo quidem eſſet verum *homo mouetur;* quia hoc infertur ex antecedenti vero, *Homo currit,* deinde ly *Homo non mouetur*, ponitur non deſtruere veritatem huius antecedentis; *Homo currit*, ergo nec deſtruet veritatem conſequentis, ſcilicet, *ergo Homo mouetur*; nam ſi illud deſtrueret, ideſt, non ſtaret cum illius veritate, nec ſtaret cum veritate antecedentis; conſequens enim verum ex ſupra dictis non poteſt haberi, niſi à vero antecedenti: ergo eſſent ſimul vera duo contradictoria. *Homo mouetur, & homo non mouetur.*

14 Altera pars eſt quod non quicquid repugnat antecedenti, repugnat conſequenti: v.g. in hac conſequentia: *hoc eſt homo, ergo eſt animal;* antecedenti repugnat *hoc eſt quadrupes,* quod non repugnat conſequenti: imò ex tali propoſitione quæ repugnat antecedenti, bene poteſt inferri idem conſequens ſcilicet. *Hoc eſt quadrupes* (loquendo de homine) *ergo eſt animal.*

15 Adde vlterius regulam extendi ad prædicata, quæ ſint cõtradictoria antecedẽti, & tamen eadem non repugnent conſequenti; Quare hæc propoſitio; *hoc non eſt homo*, contradictoriè opponitur, & repugnat antecedenti *Hoc eſt homo,* non tamen repugnat conſequenti *ergo eſt animal:* nam de *equo* v.g. poteſt dici: *non eſt homo, & eſt animal.* Ratio regulæ eſt, quam ſupra innuimus; quia veritas conſequentis non requirit verita-

tem

tem antecedentis: ergo poteſt ſtare cum propoſitione euertente veritatem antecedentis, & conſequenter faciente illud falſum: hæc enim propoſitio; *hoc non eſt homo*, poteſt ſtare cum hac, *hoc eſt animal*; cum qua etiam poteſt ſtare hæc alia; *hoc eſt homo*, deſignando nunc Petrum, antea equum. Neque hæc regula deſtruit principium Ariſtotelicum, quod impoſsibile ſit eandem propoſitionem ſequi ad duas contradictorias: illud enim tantum ait, non poſſe vnam propoſitionem inferri ex duabus contradictorijs; non autem, quod non poſsit ſtare cum illis, quod ſolum hic dicimus.

16 Quinta Regula. *Ex quocunque infertur antecedens, infertur conſequens*. v. g. in hac conſequentia; *homo eſt animal; ergo homo eſt viuens*: antecedens inferri poteſt ex hoc alio: *homo eſt rationalis*, ex quo etiam inferri poteſt conſequens ſcilicet. *Homo eſt viuens*. Item *quicquid ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti*: v. g. in hac conſequentia; *homo eſt animal; ergo eſt viuens*; iam ex hoc conſequenti, ſi fiat antecedens ſequitur hoc conſequens; *ergo eſt corpus*; hoc vltimum conſequens inferri poteſt ex illo antecedenti, *homo eſt animal*, & ex alio anteriori; *homo eſt rationalis*. Et ſimilem argumentandi formam Græci vocant *σωρείτης*, ideſt *acerualem*; vt interpretatur Tullius: fit autem *ſorites* hac ratione, vt vides in hac figura.

Homo eſt rationalis; ergo eſt animal.
Homo eſt animal; ergo eſt viuens.
Homo eſt viuens; ergo eſt corpus.
Homo eſt corpus. ergo eſt ſubſtantia.
Homo eſt rationalis; ergo eſt ſubſtantia.

Hæc verò argumétatio Stoicorũ nõ eſt bona.

Quicquid eſt bonum eſt optabile.
Quicquid eſt optabile eſt expetendum,
Quicquid eſt expetendum dignitatem habet.
Quicquid dignitatem habet eſt laudabile.
Quicquid eſt laudabile eſt honeſtum.
Ergo quicquid eſt bonum eſt honeſtum.

Non eſt, inquam, bona, quia tertia propoſitio eſt falſa; nam, eſſe expetendum, non habet neceſſariam connexionem cum habere dignitatem: multa enim vtilia, & iucunda expetuntur, quæ non habent dignitatem: & propterea Tullius li. 2. Accad. quæſt. ait, hoc argumentandi genus eſſe captioſum: propter celeritatem enim coaceruandi iſtas propoſitiones, non bene aduerti poteſt ad valorem illarum. Bonitas autem huius argumentationis inde probatur, quia talis modus concludendi (vt benè notat Fonſeca lib. 6. c. 5.) continet tres conditionales illatiuas: nam ſit v. g. hic *ſorites*.

Homo eſt animal; ergo eſt viuens.
Homo eſt viuens; ergo eſt corpus. Ergo homo eſt corpus.

Siue dicas.

1. Omnis homo eſt animal. 2. Omne animal eſt viuens:
3. Omne viuens eſt corpus 4 Ergo omnis homo eſt corpus.

Conditionales, quas continet hic *ſorites* ſunt huiuſmodi.

Si homo eſt animal, eſt viuens:
Sed ſi eſt viuens, eſt corpus:
Ergo ſi eſt homo, eſt corpus.

17 Poſitis autem primis duabus conditiona-
libus

libus veris, nunquam poteſt ſequi tertia propoſitio falſa in quacunque materia; diſponendo tamen terminos eodem modo; eò quod ſemper conſequens conditionale habeat connexionem cum ſuo antecedenti;& ita procedendo,ſi ſecunda propoſitio inferatur ex prima: aliæ omnes, quæ per ordinem inferuntur ex ſecunda, poterunt inferri ex prima. Ratio autem regulæ eſt; quia alioquin daretur antecedens verum, & conſequens falſum; vt benè notat Sotus citat. lect. 1. notab. 4. quod ita probatur, v. g. in hac conſequentia, *homo eſt animal: ergo eſt viuens;* conſequens erit verum, quia ſequitur ex antecedenti vero. Rurſus in hac alia: *homo eſt viuens; ergo eſt corpus:* antecedens ſupponitur verum, quia eſt idem, ac conſequens prioris conſequentiæ, quod erat verum; ſi autem conſequens huius ſecundæ conſequentiæ, ſcilicet *homo eſt animal*, vt deducitur ex antecedenti primæ, eſſet falſum, cum inuariatum ſit in ſecunda conſequentia, iam in eadem ſecunda conſequentia daretur antecedens verum, & conſequens falſum.

18 Probatur prima pars regulæ, in qua dicebatur, quod ex quocunque infertur antecedens, inferatur conſequens, & ponatur non inferri? v. g. in hac conſequentia; *homo eſt animal, ergo eſt viuens*, quod antecedens infertur ex hoc, *homo eſt rationalis, ergo eſt animal:* iam ſi ex hoc antecedenti, ex quo infertur, *homo eſt animal*, quod eſt antecedens alterius conſequentiæ, non inferretur, *homo eſt viuens*, quod eſt illius conſequens: daretur in hac conſequentia, *homo eſt animal, ergo eſt corpus*, ante-

cedens verum, conſequens falſum. Verum enim eſt, *homo eſt animal*, quia infertur ex antecedenti vero, *ſcilicet homo eſt rationalis*. Rurſus, cum ex hoc, *homo eſt animal*, inferatur, *ergo eſt viuens*, verum quoque erit antecedens, cum ſit idem, quod in prima erat conſequens. item ſi hæc propoſitio, *homo eſt viuens*, quod eſt conſequens huius ſecundæ conſequentiæ non inferretur ex antecedenti primæ, eſſet falſa: ergo iam in eadem conſequentia daretur antecedens verum, & conſequens falſum.

19 Præter has regulas placet aliquas minus vniuerſales ex multis à Iauello citato allatis à cap 4. & deinceps vtiliores afferre.

20 Prima eſt *ab inferiori per ſe ad ſuum ſuperius per ſe affirmatiue, & ſine ſigno diſtributionis, terminis ſupponentibus perſonaliter. eſt bona & formalis conſequentia*. Superius, & inferius, per ſe conſtituuntur in recta linea prædicamentali, in qua vnum alteri eſſentialiter ſubordinatur, vt ſunt

1 Ens 2 Subſtantia 3 Corpus 4 Viuens 5 Animal 6 Homo 7 Socrates.

Et hæc eſt linea in prædicamento ſubſtantiæ: nam in alijs quoque ſunt ſuæ lineæ; v. g. in qualitate:

1 Ens 2 Accidens 3 Qualitas, 4 Qualitas corporea 5 Color 6 Albedo 7 Hæc albedo.

Et ſic de ſingulis prædicamentis. In qualibet autẽ linea sẽper ſuperius magis latè patet, quã inferius: quare, hæc eſt bona conſequentia; *Socrates dormit: ergo homo dormit*; & ſic de alijs prædicatis ſupra hominem. Dicitur in regula; *quod ſit*

ſit per ſe ſuperius; nam, quæ ſunt ſuperius, & inferius per accidens, non cadunt ſub hanc regulam. Quare non valet, *Socrates dormit, ergo album dormit?* nam poteſt Socrates non eſſe albus, cùm album non ſit ſuperius per ſe ad Socratem. Dicitur rurſus *affirmatiuè*, quia non valet negatiue: v. g. *nullus homo eſt quadrupes; ergo nullum animal eſt quadrupes*. Dicitur, *ſine diſtributione*; nã cum tali ſigno nec etiam affirmatiuè valet: v. g. *omnis homo eſt riſibilis; ergo omne animal eſt riſibile; nullus homo eſt aſinus; ergo nullum animal eſt aſinus*. Demum additur, quod *termini debeant ſupponere perſonaliter*: nã ſi ſupponant *ſimpliciter*, non valet v. g. *homo eſt ſpecies; ergo animal eſt ſpecies*.

21 Secunda, à ſufficienti ſingulorum enumeratione cum medio termino, qui ſit *conſtantia ſubiecti*, eſt bona conſequentia: v. g. *Hic homo currit, & hic, &c. & iſti ſunt omnes; ergo omnis homo currit*. Sed de hac multa ſupra diximus, & dicemus infra, cum examinabimus ſpecies conſequentiæ; Ex qua colligitur primo, *ab vniuerſali affirmatiuo, & negatiuo valere conſequentiam ad ſingula ſub illis contenta; modò termini ſupponant diſtributiuè*: v. g. *omnis homo currit; ergo hic, & hic, &c.* Item *nullus homo currit; ergo neque hic, neque ille*, &c. ſecundo *à particulari indefinita valet ad ſingulas propoſitiones diſiunctiuè, vel diſiunctim, vt ſupponit terminus particularis ex regulis ſupra traditis*: v. g. *aliquis homo currit; ergo vel hic, vel ille*, &c.

22 Tertia regula. *A propoſitione affirmatiua vnius contrarij ad negatiuam alterius, vel etiam diſparati, eſt bona conſequentia: non autem valet*

à negatiua vnius contrarij, vel diſparati ad affirmatiuam alterius, niſi in contrarijs, ſeu oppoſitis immediatis. Prima pars oſtenditur hoc exemplo v. g. in terminis diſparatis; *Petrus eſt homo; ergo non eſt Aſinus*: item in contrarijs; *Petrus eſt albus*; ergo *non eſt niger*. Et ratio eſt; quia affirmatio vnius importat conſequenter negationem alterius, quod non eſt ipſum, vel non includitur in ipſo. Addidi hoc vltimum, quia non valet: *Petrus eſt homo; ergo non eſt animal*; ex eo quod *animal* reperiatur in aſino v. g. nam animal includitur etiam in homine. Item nec valet; *Petrus eſt homo*, ergo *non eſt albus*; quia *homo* nec includit, nec poſitiuè excludit albedinem.

23 Secunda pars probatur. Non valet in negatiuis. v. g. *aliquod animal non eſt aſinus; ergo eſt homo*, nam poteſt eſſe equus, vel leo. Item nec valet: *Petrus non eſt albus; ergo eſt niger*; nam poteſt eſſe flauus: & ratio eſt, quia cum ſint plures termini intermedij; non benè ex negatione vnius affirmatur determinatè vnus ex multis. Si autem eſſent tantum duo termini, qui dicuntur immediati, bona eſſet conſequentia à negatione vnius ad affirmationem alterius: v.g. *Petrus non eſt ſanus; ergo eſt æger*.

24 Quarta Regula. *A propoſitione affirmatiua de tertio adiacente in materia contingenti valet conſequentia ad propoſitionem de ſecundo adiacente*: v. g. *homo eſt albus; ergo homo eſt*. *A negatiua verò de eodem in eadem materia valet ad disiunctiuam de partibus negatiuis, quarum prima ſit de ſecundo adiacente, altera de tertio*: v.g. *Antichriſtus non eſt crudelis: ergo vel Antichriſtus non eſt, vel non eſt crudelis*. In materia verò neceſſa-

ceſſaria non valet ; quia copula non importat exiſtentiam ex dictis , ſed eſſentialem ſolum connexionem prędicati cum ſubiecto;& ſic non valet; *homo eſt animal:ergo homo eſt*,ſumendo ly, *Eſt*,pro *exiſtit*,vt accipitur in propoſitione de ſecundo adiacente.

25 Quinta Regula habet multas partes. Prima eſt . *Ab vna parte diſiunctiua ad totam diſiunctiuam eſt bona conſquentia :* v. g. *Petrus eſt homo,ergo vel eſt homo,vel eſt aſinus*, & ratio eſt, quia ad veritatem diſiunctiuæ ſufficit veritas vnius partis. ſecunda *à tota diſiunctiuá ad partem non valet* , ſumendo diſiunctiuam rigoroſè in ſenſu Antiquorum : v. g. *Petrus eſt vel homo , vel aſinus ; ergo eſt aſinus* . Non, inquam,valet ; quia poſſet eſſe antecedens verum , & conſequens falſum,vt patet in exemplo allato. tertia *à tota diſiunctiua cum deſtructione vnius partis ad affirmationem alterius valet conſequentia* v. g. *Petrus vel eſt homo,vel eſt Aſinus , ſed non eſt homo,ergo eſt Aſinus;* non autem eſt bona hæc conſequentia;*vel Petrus eſt Aſinus , vel non eſt Aſinus;ſed non eſt aſinus ; ergo eſt aſinus* . Non , inquam,eſt bona ; quia nulla pars deſtruitur : minor enim eſt eadem , ac ſecunda pars diſiunctiuæ;& ſic non deſtruitur. Si autem dicatur quod deſtruatur prima pars,eò quod negatio appoſita primæ parti affirmatiuæ deſtruat illã,iam debet remanere integra ſecunda,pro concluſione, ſcilicet *Petrus non eſt Aſinus* ; & tunc erit bona conſequentia,ſed inutilis, cum ſit eadem ac minor, vt vides.

26 Sexta Regula. A *copulatiua negatiua cum*

negatione poſita ante totam propoſitionem ad diſiunctiuam de partibus contradicentibus copulatiua, tenet conſequentia: v. gr. *non Petrus currit, & Paulus ambulabat; ergo vel Petrus non currit, vel Paulus non ambulat* ; & valet etiam è conuerſo. Item *à diſiunctiua negatiua de partibus affirmatis, valet conſequentia ad copulatiuā affirmatiuam de partibus negatis; & è conuerſo.* v. g. *non tu es aſinus, vel es capra; ergo tu non es aſinus, & non es capra.* Item, *tu non es aſinus, & non es capra; ergo non tu vel es aſinus, vel es capra.* Et ratio eſt, quam ſupra tradidimus de oppoſitione diſiunctiuarum, quod copulatiua, & diſiunctiua de partibus contradicentibus ſint contradictoriæ, & quod contradictoria fiat æquipollens alteri per negationem præpoſitam toti propoſitioni. Ex vna autem æquipollente ad aliam eſt bona conſequentia: & ſic ex vna contradictoria facta alteri æquipollente erit ad illam bona conſequentia. Alia plura vide apud Auctores citatos, præſertim Iauellum, & Sotum.

CAPVT III.

De Speciebus Conſequentiæ.

1 DE his ſupra in proluſione ruditer egimus, & infra agemus cum omnes argumentationis ſpecies ſupra numeratas ad ſyllogiſmum reduci oſtendemus; nunc ſolum agemus de ſpeciebus conſequentiæ, exami-

minando quomodo in ſingulis reperiatur vis conſequentiæ, vt diſcernatur ab ijs, quæ ſpecies conſequentiæ non ſunt.

Appendix 1. Gen.

2 *Cenſent aliqui primo omnes propoſitiones hypotheticas eſſe conſequentias: ſed immeritò; nam conſequentia non eſt vnica propoſitio; ſed multiplex; & aſſenſus concluſionis pendet ab aſſenſu antecedentis: hypothetica vero propoſitio vna eſt, & aſſenſus non reperitur niſi in vtraque parte: v. gr.* ſi Sol eſt, dies eſt: *ſeu*, quia Sol eſt, dies eſt; *huic propoſitioni integræ, immediatè aſſentior; ita vt aſſenſus indiuiſibiliter in vtraque parte fundetur: at vero* Conſequentia *eſt quidam diſcurſus, quod ſonat ipſum nomen ex ſupradictis, cum ſit vis connectendi vnam propoſitionem cum alia, qui eſt formaliſſimus diſcurſus. Porrò diſcurſus non eſt vnicus; ſed multiplex aſſenſus, cum ſit aſſenſus mediatus, ideſt aſſenſus vnius propoſitionis propter aſſenſum alterius cum illa connexa. Diſcurſus autem mediatus requirit medium terminum; nam aſſentiri vni propoſitioni propter connexionem, quam habet cum alia, eſt aſſentiri connexioni duorum terminorum, quæ habetur in concluſione propter alium terminum, qui in antecedenti ſit connexus cum vtroque extremo. Dicitur autem aſſenſus concluſionis, qui eſt proprius conſequentiæ, mediatus, quia aſſenſus connexionis duorum terminorum, qui eſt in concluſione, habetur mediante aſſenſu connexionis medij termini cum extremis in antecedenti, vt expreſſe patet in ſyllogiſmo.*

3 Colligo rurſus in omni conſequentia includi Syllogiſmum mentalem ſaltem. Nam Syllogiſmus ex dictis loco citato, tribus conſtat terminis conficientibus tres propoſitiones, ita vt in primis duabus medius terminus, modo cum vno, modo cum altero extremo connectatur; ex vi cuius connexionis connectantur duo extrema in vltima propoſitione: ſed omnis conſequentia requirit tres terminos, & eſt forma liſſima connexio conſequentis cum antecedenti: ergo omnis conſequentia includit ſyllogiſmum. Dixi mentalem ſaltem, quia non ſemper voce exprimitur, vt patet in enthymemate, & aliis argumentationibus. Quod rurſus ſic oſtendo enumerando conſequentias, de quibus poſſet eſſe difficultas, an ſint argumentationes, & ſyllogiſmi continentes in ſe medium terminum; v. gr. iſta eſt conſequentia (ait Fonſeca) Omnis homo eſt animal; ergo aliquod animal eſt homo, & tamen in ea non eſt medium; ergo non eſt argumentatio. Sed contra eſt; quia etiam in ea eſt medium; ſcilicet quod aliquid, quod reperitur in tota collectione animalium ſit homo: licet breuitatis cauſa, & propter peculiares modos loquendi, voce non exprimatur, in mente tamen ſemper eſt. His poſitis remanet probatum; quod omnis conſequentia ſit argumentatio, & conſequenter quod totidem ſint ſpecies conſequentiæ, quot argumentationis; Atque ita non eſſe verum, quod habet Fonſeca ſupra citatus; Conſequentiam eſſe quid ſuperius ad argumentationem ab eaque diſtingui, eo quod conſequentia non dicat medium terminum, vt dicit argumentatio.

5 Cenſent ſecundo Conimbr. 1. prior. cap. 1. quæſt.

quæſt. 2. artic, 3. omnem & ſolum ſyllogiſmum in figura, & modo eſſe argumentationem formalem. Quare Enthymema, Inductionem, & Exemplum non eſſe formales argumentationes, & conſequenter nec formales conſequentias: quanquam ipſi quoque exiſtiment non omnem conſequentiam eſſe argumentationem.

6. Probant hoc; *quia ad formalem argumentationem requiritur, quod nullus terminus ſit in conſequenti, qui non ſit in antecedenti, & in antecedenti ſit aliquis, qui non ſit in conſequenti: ſed hoc reperitur ſolum in ſyllogiſmo, in figura, & modo: ergo ſolus hic eſt formalis argumentatio. Probatur maior quoad primam partem, quia alioquin, ſi in conſequenti poſſet eſſe aliquis terminus, qui non eſſet in antecedenti, quodlibet conſequens poſſet inferri ex quolibet antecedenti: verbi gratia* homo eſt animal; ergo eſt irrationalis. *Patet quo ad ſecundam partem, quia alioquin eſſet conſequentia, non argumentatio.* Probant *minorem enumeratione aliarum argumentationum & primo in Enthymemate, aliquis terminus ponitur in conſequenti, qui non erat in antecedenti: v. gr.* omnis homo eſt animal; ergo eſt ſenſitiuus; *ly*, ſenſitiuus, *quod eſt in conſequenti, non eſt in antecedenti. Item in exemplo: v. gr.* Salomon inuenire non potuit felicitatem in omni gloria ſua; ergo neque Alexander inueniet. *Demum in Inductione nihil concluditur vi formæ, quia non habet certum numerum præmiſſarum; eò quod modò pauciores, modò plures habeat: v. gr. ad probandum omnes cœlos moueri, requiruntur tot præmiſſæ, quot cœli: nec eſt etiam argumentatio formalis; quia ſi* nu-

numerentur omnes (quod requiritur ad bonitatem inductionis) nihil diuerſum eſt in concluſione ab eo, quod eſt in præmiſſis. Hæc Conimbricenſes.

7 Sed contra. Et ad argumentum tranſeat maior; diſtinguo minorem. Reperitur ſolum in Syllogiſmo diſtinctè, & explicitè, concedo; reperitur ſolum in illo, ita vt non reperiatur ſaltem implicitè in alijs argumentationibus, nego. Nam omnis argumentatio, ſi eſt bona, eſt ſyllogiſmus mentalis. Ad probationem, & ad illud de Enthymemate: euidens eſt reperiri in eo medium terminum, qui eſt, animal. Deeſt enim vna propoſitio verbaliter, quæ in mente includitur, ſcilicet, omne animal eſt ſenſitiuum. Item in Exemplo medius terminus ſubintelligitur, ſcilicet, Salomon eſt eiuſdem rationis, ac alius Rex. Item in inductione eſt medium, quod ſit conſtantia, vt ſupra diximus, & in concluſione ſciri quidem idem, ac in præmiſſis, ſed diuerſo modo, vt fusè ſupra probauimus.

8 Ex his colligitur Syllogiſmum tenere principem locum inter cæteras argumentationes, alias verò eſſe quidem formales argumentationes, ſed non ita perfectas, vt eſt Syllogiſmus. Ad hoc, vt conſequentia formalis ſit ſyllogiſmus, Sotus lib. 5. cap. 1. lect. 2. aliquas requirit conditiones; quarum tamen illa eſt propria ſyllogiſmi, ſcilicet, vt conſtet tribus propoſitionibus diſpoſitis in figura, & modo. Nam, quod extrema ſint connexa ratione medij termini, & alia huiuſmodi requiruntur ad bonitatem cuiuſcunque conſequentiæ, vt fusè ſupra diximus.

CA-

CAPVT IV.

De Syllogiſmo in genere.

1 HIc agemus de Syllogiſmo categorico; nam de alijs Syllogiſmi ſpeciebus agemus infra.

2 Sotus lib. 5. c. 1. lect. 2. ait *Syllogiſmum* verbum eſſe græcum, quod latinè vertitur *ratiocinatio*, ſeu *collectio* plurium ad ratiocinandum.

3 Ariſtot. 1. prior. cap. 1. prope finem, & 1. topic. cap. 1. & alibi definit Syllogiſmum. *Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis alterum, quid à poſitis neceſſe eſt contingere, eo quod hæc ſint.*

4 Explicatur. Dicitur primo: *eſt Oratio* in numero ſingulari, non quia ſit vnica propoſitio hypothetica, vt communiter videntur velle Summuliſtæ, præſertim Verſorius in tractatu 5. Petri Hyſpani: & Ianellus tract. 6. c. 2. ſed dicitur vna oratio, primo, ratione vnius medij, quo vniuntur extrema in præmiſſis; quod habet rationem cauſæ efficientis reſpectu concluſionis; ſecundo ratione vnitatis formæ, ſcilicet diſpoſitionis terminorum: tertio ratione vnius finis; quia ambæ præmiſſæ ordinantur ad vnicam concluſionem.

5 Dicitur ſecundo, *Quibuſdam poſitis*, ideſt, quod præmiſſæ ſint benè diſpoſitæ in figura, & modo, quod eſt eſſe diſpoſitas in bona forma, ita omnes communiter. Pet. Hyſp. tract.

4. cap. *Quid ſyllogiſmus*; addit hanc particulam, *& conceſſis*, & ſumit ex Boetio, quam non poſuiſſe Ariſtotelem, ait Iauellus citatus; quia Ariſtoteles definiuit ſyllogiſmum ſimpliciter. Addit Sot. lib 5. cap. 1. lect. 2. non eſſe poſitam talem particulam: quia non eſt de eſſentia boni ſyllogiſmi, vt eſt conſequentia formalis, quod præmiſſæ ſint veræ, & conceſſæ: additam tamen eſſe propter Iuuenes, vt doceantur poſt conceſſum antecedens, & conſequentiam. ideſt quod argumentum ſit in forma, quod teneantur concedere conſequens. Addi poteſt ly *poſitis*, valere idem, ac *admiſſis*. Demum ſi ſermo eſſet de ſyllogiſmo demonſtratiuo; non requireretur talis particula; quia in eo, cum præmiſſæ ſint veræ, & neceſſariæ, non eſt petendum ab Aduerſario, vt concedat illas, cum cogatur eas concedere. Abſolutè autem, cum ſyllogiſmus, vt eſt formalis conſequentia, poſſit eſſe in materia probabili, immò etiam falſa, vt teneat conſequens, debent præmiſſæ ſupponi, vt conceſſæ.

6 Dicitur, *aliud quid à poſitis*, ideſt, concluſio, quæ eſt eadem quidem cum præmiſſis, vt benè notat Iauellus citatus, ſi ſpectetur materia, ideſt ſi ſpectentur termini illius propoſitionis; ſi verò ſpectetur forma, eſt aliud diuerſum à præmiſſis: nam termini, ex quibus conſtat concluſio, in præmiſſis iunguntur cum medio termino, in concluſione vero ſe ipſis; in qua coniunctione, & diſpoſitione conſiſtit eſſentia ſyllogiſmi. Vbi nota concluſionem contineri in præmiſſis implicitè, & confusè, non diſtinctè.

4 Demum dicitur, *neceſſe eſt contingere, eo quod hæc ſint*, vltimæ particulæ adduntur ad oſtendendam neceſſitatem inferendi concluſionem oriri totam à præmiſſis, *eo quod hæc ſint*; ſcilicet ex ſuppoſitione quod præmiſſæ ſint veræ. Dicitur autem *neceſſe eſt*. Pro quo aduerte duplicem eſſe neceſſitatem; alteram conſequentiæ, alteram conſequentis, quam benè explicat Verſorius loco citato in Petr. Hyſpan. Et quia nihil occurrit addendum, vtar verbis ipſius. Sic enim habet. *Secundò ſciendum, quod in argumentatione duplex reperitur neceſſitas; conſequentiæ, & conſequentis. Prima eſt neceſſitas illationis, quæ prouenit neceſſario ex neceſſaria habitudine antecedentis ad conſequens, per hoc quod conſequens in antecedenti includatur: & ideo poſito antecedente, neceſſe eſt ponere conſequens, ſiue antecedens ſit vnum, ſiue non*, ideſt ſiue ſit vna, ſiue duplex propoſitio, *ſed neceſſitas conſequentis eſt neceſſitas propoſitionis proueniens ex neceſſaria habitudine ſuorum extremorum; vt homo eſt riſibilis, vel homo eſt animal*. Et ſenſus eſt, quod neceſſitas conſequentis eſt neceſſaria connexio illorum terminorum, quibus conſtat propoſitio, quæ eſt conſequens. Subdit verò idem. *Et in iſta*, inquit, *definitione* (ideſt ſyllogiſmi) *non intelligitur de neceſſitate conſequentis ſic, quod concluſio ſit neceſſaria; ſed ſolum de neceſſitate conſequentiæ, ſic quod concluſio ſequatur neceſſariò*. hæc ille.

Appendix 1. Gen.

6 Ob: Sub hac definitione non comprehenditur ſyllogiſmus hypotheticus, & expoſitorius: ergo non eſt bona.

7 Reſpondetur concedi communiter hos ſyllogiſmos non comprehendi in prædicta definitione: reduci tamen ad illam ſyllogiſmos hypotheticos, quatenus ex dicendis, hi quoque regulantur per principia ſyllogiſmi categorici. & infra oſtendam poſſe omnes hypotheticos reſolui in categoricos; ſyllogiſmos vero expoſitorios non includi in prædicta definitione, quia cum conſtent medio ſingulari, patent ad ſenſum. Vnde Ariſtoteles vtitur ſyllogiſmo expoſitorio ad probandam vim aliorum ſyllogiſmorum. Dici tamen poteſt prædictam definitionem applicari poſſe omnibus ſyllogiſmis; eo quod omnes, vt ſint bona, & formalis conſequentia, requirant talem diſpoſitionem terminorum, & propoſitionum, ſiue complexa illa ſint, ſiue ſimplices, ſiue vniuerſales, ſiue particulares; ſiue etiam ſingulares, ex quibus poſtremis conſiciuntur ſyllogiſmi expoſitorij; qui, vt ſint formalis conſequentia, regulandi ſunt per principia communia omnibus Syllogiſmis. Ex his

8 Collige breuiter principia Syllogiſmi, alia eſſe materialia, alia formalia. Materialia, alia remota, alia proxima. Remota ſunt termini propoſitionum. Proxima ſunt ipſa propoſitiones. Scotus verò citatus cap. 2. lect. vnica quinque numerat principia proxima materialia. Maiorem, & Minorem propoſitionem. Maius extremum, Minus extremum, & medium terminum. Pro

quo.

quorum intelligentia ſciendum ex ſupra dictis in proluſione cap. de Argumentatione ad Syllogiſmum requiri tres terminos, quorum vnus ſit medius terminus, duo alij ſint extrema, de quibus eſt quæſtio, an ſint connexi: quorum terminorum vnus dicitur maius, alter minus extremum, ſeu maior, & minor extremitas; quæ omnia fusè ſunt ibi explicata. Solum hic ſupereſt inquirendum; vnde deſumatur appellatio maioris, vel minoris extremitatis; Exiſtimo igitur, cum ſimpliciter extrema ſint per comparationem ad medium terminum, ab eo deriuandam eſſe acceptionem maioris, vel minoris extremitatis. Generatim autem, cum denominatio maioris ſit quædam dignitas: illa erit maior extremitas, quæ digniorem continet locum in Syllogiſmo: atque ita maior extremitas erit prædicatum maioris propoſitionis: minor verò ſubiectum minoris in prima figura. In alijs vero ille terminus erit maior extremitas, qui ponitur in maiore, ille minor qui in minore, legat hac de re, qui velit Conimbr. *primo priorum, cap. 7. quæſt. 1. artic. 1. Aliter ſumit Hurtadus diſp. 10. Logicæ, Sect. 11. §. 70: Vt maior extremitas ſit, quæ continet ſub ſe plura, minor, quæ pauciora. Quare* animal *in comparatione hominis erit maior extremitas.* Homo *verò minor: Item illam propoſitionem eſſe maiorem; quæ eſt vniuerſalis, minorem vero eſſe particularem; Et ſic propriè in* Darij. *&* Ferio, *reperiri maiorem, & minorem extremitatem: in alijs vero Syllogiſmis, in quibus non ſunt huiuſmodi propoſitiones reperiri impropriè. Quæſtio eſt de nomine: & ſi ſermo ſit de prima figura, recidit in idem, quod*

di-

dicunt Conimb. citati: nam, cum recta prædicatio poſtulet, vt prædicatum ſit aptum magis latè patere, quàm ſubiectum, & in prima figura in maiori ſit prædicatum concluſionis, in minori ſubiectum eiuſdem: bene primum poterit dici maior extremitas, ſecundum minor; quia tamen regula non eſt vniuerſalis pro ſecunda, & tertia figura, & etiam in prima aliquando prædicatum æquè latè patet, ac ſubiectum: ideo ſtandum priori vſurpationi.

10 Formalia principia ſunt duplicis generis; alia extrinſeca, alia intrinſeca. Extrinſeca etiam ſunt duplicis generis, prout duplicis generis ſunt ſyllogiſmi perfecti, & imperfecti: & pro perfectis quidem ſunt duo principia; alterum pro affirmatiuis, & appellatur Dici, ſeu Dictum de omni; alterum pro negatiuis, ſcilicet, Dici, ſeu Dictum de nullo: pro imperfectis verò eſt vnum, ſcilicet, reductio eorum ad perfectos, vel ad impoſſibile, facta debita conuerſione, & permutatione propoſitionum, modo infra explicando: Dicuntur hæc principia extrinſeca, quia ſunt regulatiua ſyllogiſmorum: regula enim eſt extrinſeca rei, quæ regulatur, & dirigitur. Principia formalia intrinſeca ſunt, alterum remotum, alterum proximum; primum eſt Figura; ſecundum eſt Modus: & quando Syllogiſmus eſt in figura, & modo, dicitur eſſe in forma, nec poteſt negari conſequentia. De his ergo ſingillatim differendum.

CA-

CAPVT V.

De duobus Principijs, Dici de omni, & Dici de nullo.

1 PRo expliatione. Notandum ex Soto citato lib. 5. cap. 1. lect. 1. vt Syllogiſmus ſit probatiuus, duo requiri; primum, vt ſit bona conſequentia; ſecundum, vt procedat ex veris, & neceſſarijs, &c. Quare examinatio bonitatis conſequentiæ dicitur prior reſolutio, & ita libros continentes tale examen, & principia, quibus forma Syllogiſmi innititur, vocauit Ariſt. *libros priorum Analyticorum:* Examinatio verò propoſitionum, an ſint veræ præmiſſæ, neceſſariæ, &c. dicitur poſterior reſolutio: & libros, in quibus talia principia continentur cum præmiſſarum examine vocauit *poſteriorum Analyticorum*, id eſt reſolutoriorum; *analyſis* enim ſonat *reſolutio;* Syllogiſmus, ergo, vt eſt ſpecies conſequentiæ habet ſua principia, à quibus reguletur, & dirigatur, & dicuntur prioriſtica. Rurſus, quia perfectiſſima ſyllogiſmi ſpecies eſt Demonſtratio, quæ requirit veritatem præmiſſarum: hæc quoque habet ſua principia, quæ dicuntur poſterioriſtica.

2 Porrò tam prioriſticum, quam poſterioriſticum principium duplex eſt; alterum *Dici*, ſeu *Dictum de Omni:* alterum *Dici* ſeu *Dictum de nullo*. Quæ principia, eorumque diſcrimen inter prioriſtica, & poſterioriſtica egregiè expli-

explicant Verſorius tract.4. in Petrum Hyſpanum, cap.de dici de omni §.2.ſciendum,Sotus lib.5.cap.1.lect.1. Et primo quidem,*Dici de omni poſterioriſticum eſt*; verè ac neceſſario prædicatum affirmari de ſubiecto, & ſingulis ſuppoſitis ſub illo contentis: ſiue ſeruentur, ſiue non ſeruentur leges conſequentiæ formalis. *Dici de Nullo poſterioriſticum* eſt; cum prædicatum negatur de omni ſubiecto, & conſequẽter de ſingulis ſub illo contentis, etiam ſi non ſeruentur leges conſequentiæ formalis. Exemplum primi eſt, *Homo eſt animal, ergo Petrus eſt animal*. Exemplum ſecundi eſt, *Homo non eſt lapis, ergo Petrus non eſt lapis*: vbi vides ſine vllo ſigno diſtributionis conſequentias tenere, vt regulatas à prædictis principijs importantibus neceſſariam connexionem, vel disiunctionem prædicati cum ſubiecto:

3 *Dici de omni prioriſticum* eſt; prædicatum, quod ſecundum modum, & leges conſequentiæ formalis vniuerſaliter dicitur de ſubiecto; dici etiam de omni contento ſub illo ſubiecto, non attendendo ad veritatem propoſitionum. *Dici* verò *de nullo* eſt prædicatum, quod negatur de ſubiecto ſupponente diſtributiuè iuxta regulas formalis conſequentiæ;negari etiam de omnibus ſub illo ſubiecto contentis, ſeu de quibus tale ſubiectum prædicatur: v.g. *omnis homo eſt lapis, ergo Petrus eſt lapis*. Item *nullus homo eſt animal,ergo Petrus non eſt animal*. Aliter etiam deſcribi ſolent huiuſmodi principia prioriſtica: vt *Dici de omni* ſit: quicquid vniuerſaliter prædicatur de aliquo, prædicari de ijs, de quibus illud affirmatur *Dici* vero *de*

nullo

nullo ſit: id quod vniuerſaliter negatur de aliquos negari de omni eo, de quo illud affirmatur, vt patet in his Syllogiſmis:

Dici de omni. Omnis Equus eſt lapis.
Omnis Homo eſt Equus, Ergo omnis homo eſt lapis.

Dici de nullo. Nullum animal eſt ſubſtantia, Omnis homo eſt animal, Ergo nullus homo eſt ſubſtantia.

Appendix 2. Gen.

4 His principijs innititur omnis vis perfecti ſyllogiſmi, quales dicimus eſſe ſolos primos quatuor modos primæ figuræ: nam ferè omnes alios Syllogiſmos ad hos reduci oſtendemus. Et cum prima figura habeat pro ſubiecto medium terminum in maiore, & in minore eundem pro prædicato, explicatur in ea vis horum principiorum, hac ratione. Dici de omni *eſt, cum totum ſubiectum eſt in prædicato: in eodem eſſe ſingula contenta ſub tali ſubiecto: v. gr. Si in animali continetur totum, quod dicit homo, atque ita de homine poteſt prædicari animal, & in homine continetur* Petrus, Paulus *&c. ijdem quoque continebuntur in animali, & de ijſdem poterit prædicari animal.* Dici *verò* de nullo eſt, *cum ſubiectum non eſt in prædicato, nec aliquid ſubiecti eſſe ſub tali prædicato: v. gr. Si nullus homo continetur in lapide, &* Petrus *ſit aliquid ſub homine contentum, nec* Petrus *in lapide continebitur: atque ita, ſi lapis de homine negatur, negabitur quoque de* Petro, *qui eſt contentus in homine: vbi obiter habes ſemper vnam propoſitionem in Syllogiſmo negatiuo debe-*

debere eſſe affirmatiuam; vt vides in exemplo allato.

5 *Aduertit Sotus pro principijs prioriſticis; ſi negetur conſequentia, illam eſſe probandam per huiuſmodi principia: v. gr. ſi negetur ſyllogiſmus in* Darij, *probandum per principium* Dici de omni, *ſumendo definitionem propoſitionis vniuerſalis affirmatiuæ, in qua Ariſtoteles ait, ſitam eſſe vim illationis ſyllogiſmi perfecti; & idem dicendum* de dicto de nullo, *quod explicatur per propoſitionem vniuerſalem negatiuam; quæ bene tenenda ſunt pro omnibus ſyllogiſmis.*

6 *Ex his colligitur non eſſe bonum hunc Syllogiſmum; verbi gratia.*

Hæc eſſentia Diuina eſt Pater,
Filius eſt hæc eſſentia Diuina, Ergo Filius eſt Pater.

Et ratio eſt, quia ſubiectum, eſſentia Diuina, *in maiori non eſt diſtributum, vt diſtribueretur, ſi diceretur,* Quicquid eſt eſſentia Diuina eſt Pater, *Sed tunc maior eſſet falſa, Item neque hic Syllogiſmus concludit.*

Pater non eſt filius. Eſſentia Diuina eſt Pater
Ergo eſſentia Diuina non eſt filius.

*quia;*Pater,*qui eſt medius terminus,nunquã diſtribuitur,vt diſtribueretur, ſi diceretur,* Quicquid eſt Pater non eſt Filius,*ſed tunc maior eſſet falſa.*

7 *Ex his rurſus inferimus etiam Syllogiſmum expoſitorium habentem medium terminum ſingularem, vt concludat, regulandum eſſe per huiuſmodi principia; & conſequenter requiri,vt medius terminus ſupponat diſtributiuè: v. gr. hic Syllogiſmus:*

Petrus ſtudet: Hic homo eſt Petrus; Ergo hic homo ſtudet.

Subie-

Subiectum maioris, Petrus, *debet accipi diſtributiuè, ideſt*, quicquid eſt Petrus, *vt poſſit inſeruire ad concludendum ſuum prædicatum conuenire ſubiecto, de quo ipſe dicitur. Quod clariſſimè patet in Syllogiſmo ſupradicto in terminis Diuinis, in quibus medius terminus eſt ſingularis; & tamen, niſi diſtribuatur; ex antecedenti vero ſequetur conſequens falſum.*

8 *Aliud principium communiter ponitur regulatiuum aliorum Syllogiſmorum, ſcilicet*, Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe, & quæ diſtinguuntur in uno tertio, diſtinguuntur inter ſe. *Hoc principium tanquam infirmum, & non vniuerſaliter verum; reſpuit Vaſquez* 1.*par. diſput.* 123 *niſi reducatur* ad Dictum de omni, & de nullo; *quod egregie ipſe præſtat. Illud tamen impugnat Hurtadus diſp.* 10. *Logicæ, Sect.* 55, *vbi ait omnem Syllogiſmum inniti huic principio*; quæ ſunt eadem uni tertio, &c. *imò ab eo ſumere vim illud aliud*, Dici de omni, *vt propterea appellet illud*, Quæ ſunt eadem uni tertio, *&c.* principium metaphyſicum. *Quoniam verò tale principium claudicare videtur in Diuinis propter argumentum factum. addit Hurtadus aliquas limitationes, ſcilicet, illa eſſe eadem inter ſe, quæ ſunt eadem eidem tertio* realiter, formaliter, *&* virtualiter; *& ſic in Diuinis non valere, propter diſtinctionem virtualem, quæ reperitur inter eſſentiam, & perſonalitatem, ratione cuius diſtinctionis verificantur in Deo prædicata quaſi contradictoria intrinſeca entitati Diuinæ. v.g. illam eſſe communem ſecundum conceptum naturæ, & non eſſe communem ſecundum conceptum relationis, quæ tamen non eſt contradictio abſolute prop-*

ter

ter dictam diſtinctionem virtualem.

9 Verum melius dicendum cum Vaſquez, vnicum principium regulatiuum omnium ſyllogiſmorum eſſe Dici de omni pro affirmatiuis, & Dici de nullo pro negatiuis, quod ipſe fusè probat loco citato, & vlterius probatur; tum primo, quia per hoc principium regulantur modi perfecti primæ figuræ, ad quos reducuntur cæteri; tum ſecundo, quia principium Dici de omni eſt abſolutè, & vniuerſaliſsimè verum; principium verò illud, Quæ ſunt eadem vni tertio, indiget multis limitationibus quibus poſitis recidit in illud, Dici de omni, vt benè probat Vaſquez; tum tertio, quia principium Dici de omni eſt verè metaphyſicum, cum reſolui poſsit in illud vniuerſaliſsimum ſine controuerſia metaphyſicum, quod non poſsit idem ſimul eſſe, & non eſſe. Quod ſic declaratur; v. g. in hac propoſitione, Omnis homo eſt animal, ſinguli homines denotantur contineri in animali, quod ſignificat ly, Omnis, & conſequenter quod Petrus etiam contineatur in animali. Ponatur nunc tale principium, hoc eſt talis propoſitio vniuerſalis eſſe falſa: ſanè eſſet talis, ſi vnus homo non eſſet animal; iam ex vna parte illud ſingulare contineretur in animali ratione propoſitionis vniuerſalis affirmatiua, & non contineretur, quia ſupponitur dictum principium falſum, cuius falſitas conſiſtit in hoc, quod etiam ſi prædicatum dicatur de ſubiecto ſupponente vniuerſaliter, non dicatur de ſingulis contentis ſub illo; & ſic idem numero homo eſſet, & non eſſet animal; tum quarto, quia eſt regulatiuum ſyllogiſmi expoſitorij, vt patet in exemplo allato in Diuinis. Quamquam Arubal prima parte, diſp 102. cap. 2. exiſtimet illum ſyllogiſmum

non

non eſſe expoſitorium, quia terminus, Hæc eſſentia Diuina, *eſt terminus communis, non ſingularis. Quod non caret difficultate, cum verè eſſentia Diuina ſit terminus ſingularis, ſicut* Petrus, *licet imitetur rationem termini communis propter virtualem diſtinctionem, vt communiter notant Theologi: Quod ſi Arubal neget prædictum Syllogiſmum eſſe expoſitorium, quia videt male concludere; dici poteſt id accidere, quia cum etiam in Syllogiſmo expoſitorio medius terminus ſingularis debeat ſupponere diſtributiuè, & regulari* per Dici de omni, *vt non regulatur prædictus ſyllogiſmus; ideo illum non concludere.*

10 *Demum contra Hurtadum eſt, quia principium illud,* Quæ ſunt eadem, *&c. Ab Ariſtotele ponitur ſeptimo Topicorum cap.* 1. *vbi ſit mentio locorum & ſedium argumentandi ex probabilibus. Imò benè notat Arubal cit. Ariſt.* 1. *priorum, vbi erat locus agendi de principijs regulatiuis ſyllogiſmi, nullam feciſſe mentionem illius,* Quæ ſunt eadem vni tertio. *&c. & ſic abſolutè aſſerit principium regulatiuum ſyllogiſmorum eſſe* Dici de omni, *&c. pro quo etiam citat Molin* 1. *parte, quæſt 28 ar.* 3. *diſp* 3. *Atque hæc de principijs regulatiuis ſyllogiſmi.*

CAPVT VI.

Quid, & quotuplex ſit figura, & modus ſyllogiſmorum.

1 PRo primo quæſito, ſciendum formam ſyllogiſticam conſtare figura, & modo,

de qua re egregiè differũt Petrus Hyſpanus tractat.4. capite de modo,& figura,vbi Verſorius: Sotus lib.5.c.2.Conimbr.1. priorum, c. 4. in prænotatione ad caput. Iauellus tract. 6. de ſyllogiſmo,c 1.& alij communiter.

2 Notandum primo pro figura, quam eſſe partem formæ ſupra innuimus,ita illam deſcribi à Petro Hyſpano; *eſt ordinatio trium terminorum ſecundum ſubiectionem, & prædicationem.* Ita etiam à Soto,paulo aliter à Iauello, *Figura eſt debita ordinatio trium terminorum.ſcilicet maioris extremitatis, minoris & medij ſecundũ ſubiectionem & prædicationem.* Explicat autem ipſe hanc ordinationem conſiſtere in hoc,quod medium ſumatur cum maiore extremitate in maiore propoſitione,& cum minori in propoſitione minore & excludatur à concluſione. Breuius Conimbr. *Figura eſt apta terminorum compoſitio ad concluſionem inferendam.* Atque hæc de Figura in genere.

3 Notandum ſecundo pro *Modo*,qui eſt altera pars formæ, ita à Petro Hyſpano illum definiri: *eſt debita ordinatio propoſitionum in debita qualitate,& quantitate,* fere in idem recidit definitio Conimb. Soti, & Iauelli. Adnotant Sotus & Conimbr. quoniam duplex eſt materia in ſyllogiſmo,remota,& proxima: & prima ſunt termini,ſecunda propoſitiones; ita dari duplicem formam pro illis, & Figuram quidem eſſe formam terminorum, in quorum debita diſpoſitione conſiſtit: Modum verò eſſe formam propoſitionum,in quarum diſpoſitione conſiſtit modus. Ad modum pertinet directè,vel indirectè concludere,perfectè,vel imperfectè: & perfe-

ſectè quidem concludit ille Syllogiſmus, cuius conſequentia eſt adeo euidens, vt nulla probatione indigeat, imperfectè verò, cum ad hoc, vt manifeſtetur neceſsitas conſequentiæ, reducendus eſt ad vnum ex modis perfectis. Directè item concludit Syllogiſmus, cum maior extremitas prædicatur de minori in concluſione; Indirectè verò cum in eadem minor extremitas prædicatur de maiori. Omnia mox conſtabunt exemplis.

4 Pro ſecundo quæſito communis Peripateticorum ſententia eſt, & ſumitur ex Ariſt. 1. Priorum cap. 5. tres tantum eſſe figuras pro triplici diſpoſitione medij cum extremis. Vel enim primo *medius terminus* in maiore propoſitione ſubijcitur, & in minori prædicatur, & ſic habetur prima figura. vel ſecundo in vtraque propoſitione prædicatur, & ſic habetur ſecunda figura; vel demum tertio in vtraque ſubijcitur, & ſic habetur tertia figura; quod diſcrimen figurarum, vt memorię conſulatur, hoc verſu explicatur.

Sub præ prima, bis præ ſecunda, tertia bis ſub.

5 Pro intelligentia, aduerte per ly, *Sub*, intelligi *Subiectum*, per ly, *præ*, *prædicatum*; & ſenſus eſt, quod *medius terminus* ſit modò ſubiectum modo prędicatum, vt diximus.

6 Prędictus autem numerus figurarũ ſic vlterius explicatur. Nam vel primo medius terminus eſt magis vniuerſalis minori extremitate, ideſt termino, qui eſt in minori propoſitione, & conſequenter eſt continens illam; & minus vniuerſalis maiori extremitate, ideſt

termino qui eſt in maiori propoſitione, & conſequenter in illa contentus, & ſic habetur prima figura, in qua prędicatum maioris propoſitionis, vel debet eſſe magis, vel ſaltem æquè latè patens, quam ſubiectum eiuſdem, quod eſt medius terminus, exemplum vide in cap. ſequenti. vel ſecundo medius terminus eſt vniuerſalior vtroque extremo, & tunc neceſſariò de vtroque prædicabitur, & ſic habetur ſecunda figura, in qua ſemper concluſio eſt negatiua, eo quod non neceſſario duo, quæ ſunt ſub vniuerſali prædicato, ſint connexa, inter ſe; vel demum tertio ita connectuntur duo extrema per aliquod medium, vt illud ſit minus vniuerſale vtroque extremo, & ſic debet bis ſubijci; cum ſemper, vt prędicatio ſit naturalis, magis vniuerſale dici debeat de minus vniuerſali. Atque ita in tertia figura concluſiones ſunt particulares, quia nunquam extrema inſunt vniuerſali medio, ideſt nunquam medium prędicatur, vt ſuperius reſpectu extremorum.

Eſſet hic agendum, an pręter prędictas figuras admittenda ſit quarta, quam appellant Galeni; ſed de hac agemus enumeratis modis ſingularum figurarum.

Porrò modi vtiles omnium figurarum memorię conſulendi gratia, his verſibus comprehenduntur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſcmorum.
Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Darapti,
Felapton, Diſamis, Datiſi, Brecardo, Feriſon.

Pro

Pro intelligentia. Notandum ſingulis dictionibus, ſingulos ſyllogiſmorum modos denotari, ſumendo tres primas vocales cuiuſque dictionis, per quas denotantur tres propoſitiones Syllogiſmi: Si quæ vero vocales ſuperſint nihil ſignificant; ſed ponuntur metri gratia. Prima ergo vocalis cuiuſque dictionis ſignificat, qualis debeat eſſe prima propoſitio; ſecunda qualis debeat eſſe ſecunda: tertia demum, qualis debeat eſſe cõcluſio; valor autem ſingularum vocalium eſt idem, ac ille, quem diximus in conuerſione propoſitionum, id eſt vt A. ſit vniuerſalis affirmatiua I. particularis affirmatiua, E. vniuerſalis negatiua, O. particularis negatiua.

CAPVT VII.

De modis ſingularum figurarum.

1 PRima figura habet quatuor modos *directè* concludentes, contentos primis quatuor dictionibus, & quinque modos *indirectè* concludentes, contentos quinque ſequentibus. Ille autem modus dicitur *directè* concludere, in cuius concluſione maior extremitas de minori prędicatur, maior autem extremitas eſt ille terminus, qui ponitur in maiori, & in prima figura eſt prędicatum; minor vero, qui in minori propoſitione, & eſt ſubiectum eiuſdem, ex quibus duobus terminis conſtat deinde concluſio; ille autem modus indirectè dicitur concludere, in cuius concluſione mi-

nor extremitas de maiori prædicatur. Atque, vt hi modi clarius cognoſcantur, exemplis ſunt illuſtrandi.

2 Primus modus eſt *Barbara* continens tres propoſitiones vniuerſales affirmatiuas expreſſas per vocalem, A. verbi gratia

Bar *Omnis homo eſt animal,*
Ba *Omne rationale eſt homo,*
Ra *Ergo omne rationale eſt animal.*

3 Secundus modus eſt, *Celarent*, conſtans maiori vniuerſali negatiua, minori vniuerſali affirmatiua; concluſione vero, quę ſit maiori ſimilis. verbi gratia

Ce- *Nullus homo eſt lapis.*
la- *Omne riſibile eſt homo,*
rent *Ergo nullum riſibile eſt lapis.*

4 Tertius modus eſt, *Darij*, qui ſignificat maiorem debere eſſe vniuerſalem affirmatiuam, minorem, & concluſionem particulares affirmatiuas, verbi gr t a

Da- *Omnis Leo eſt animal,*
ri- *Aliquod rugibile eſt Leo,*
j *Ergo aliquod rugibile eſt animal.*

5 Quartus modus eſt, *Ferio*, continens maiorem vniuerſalem negatiuam, minorem particularem affirmatiuam, concluſionem verò particularem negatiuam, v. gr.

Fe- *Nullus equus eſt admiratiuus,*
ri- *Aliquod animal eſt equus,*
o *Ergo aliquod animal non eſt admiratiuum.*

Atque hi quidem ſunt modi directi primæ figuræ; cęteri, qui ſequuntur, ſunt indirecti.

6 Primus modus indirectus.

Ba-

Ba- *Omnis Spiritus eſt ſubſtantia,*
ra- *Omnis Angelus eſt Spiritus,*
lip. *Ergo aliqua ſubſtantia eſt Angelus;*

7 Secundus Modus.

Ce- *Nullus homo eſt lapis,*
lan- *Omne riſibile eſt homo,*
tes. *Ergo nullus lapis eſt riſibilis.*

8 Tertius modus.

Da- *Omnis Leo eſt animal,*
bi- *Aliquod rugibile eſt leo.*
tis. *Ergo aliquod animal eſt rugibile.*

9 Quartus modus.

Fa- *Omne honeſtum eſt bonum,*
peſ- *Nullum vitium eſt honeſtum,*
mo. *Ergo aliquod bonum non eſt vitium.*

10 Quintus modus.

Fri- *Aliquis homo eſt muſicus,*
ſe- *Nullus lapis eſt homo,*
ſo. *Ergo aliquis muſicus non eſt lapis.*

11 Obijcies primo. Aliquis Syllogiſmus directè concludit, & tamen non comprehenditur in aliquo ex quatuor modis directis, ergo, &c. probatur antecedens in hoc ſyllogiſmo. verbi gratia

Omne vitium eſt fugiendum,
Omne mendacium eſt vitium,
Ergo aliquid mendacium eſt fugiendum.

12 Reſpondetur hunc Syllogiſmum cōtineri implicitè in *Barbara*, nam eodem modo poteſt inferri concluſio vniuerſalis, *Ergo omne mendacium eſt fugiendum*. Sub qua vniuerſali continetur particularis. Sotus lib. 5. cap. 4. lect. vnica, notabili tertio. ait nec Ariſtotelem, nec Petrum Hyſpanum meminiſſe huius

modi tanquam diſtincti à cæteris, quia Ariſtoteles ait, quod omnis Syllogiſmus, qui poteſt inferre concluſionem vniuerſalem, poteſt etiam inferre particularem ſubalternando particularem vniuerſali, iuxta regulas ſupra poſitas.

13 Ob. ſecundo Ariſtoteles primo Priorum ait concluſionem debere eſſe ſimilem præmiſſis, ſed in *Baralipton* concluſio eſt particularis, & præmiſſę vniuerſales; ergo &c.

14 Reſpondetur. Concluſionē in *Baralipton* eſſe ſimilem præmiſſis, ideſt affirmatiuam, ſicut premiſſę, licet non ſit ęqualis illis; ſimilitudo enim in qualitate eſt; æqualitas verò in quantitate; cum ergo prędictus Syllogiſmus in *Baralipton* habeat concluſionem eiuſdem qualitatis cum pręmiſſis, bene dici poterit habere concluſionem ſimilem pręmiſſis.

15 Ob. tertio. Ariſtoteles ibidem, cap. 5. ſolum duos modos indirectos enumerat; ſcilicet, *Fapeſmo*, & *Friſeſo*; ergo malè aſſignantur alij tres.

16 Reſpondetur. Tres alios modos uon enumerari, quia non multū differunt à modis perfectis, quibus ſunt ſimiles in præmiſſis, vt benè notant Conimb. 1. priorum, cap. 7. quæſt. 2. artic. 1. Et concluſionem, ſi conuertatur per regulas conuerſionis non differre à concluſione modorum directorum. Enumerauit autem Ariſtoteles tantum duos modos indirectos; quia illi differunt etiam in præmiſſis. Nam ex iiſdem Conimb. Ariſtoteles loco ſupra citato ſumpſit Syllogiſmum pro præmiſſis, ſecundum quas non differunt *Baralipton* à *Barbara*; nec *Celantes* à *Celarent*: nec

de-

demum *Dabitis* à *Darij*, vt differunt alij duo modi.

17 Secunda figura habet quatuor modos, *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.*

18 Tertia figura habet ſex modos, *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Brocardo, Feriſon.*

19 Exiſtimant aliqui modos ſecundæ figuræ, & tertiæ indirectè concludere, alij vero directè. vide Conimb. citatos, qui vtramq; opinionē probabilē cenſent. Dici autē poſſet omnes directè concludere, quatenus in cōcluſione habent pro ſubiecto terminū, qui eſt in minori: cæterum, cum pleriq. modi harum figurarum reducantur ad quatuor directos primæ figuræ per quos probātur, quatenus ſuboblcuram inferunt cōcluſionem, nec adeo clarè regulentur per principia ſupradicta, abſolutè loquendo eſſe imperfectos: per hoc tamen non tollitur, quod aliquis modus non poſſit habere concluſionem adeò euidentem, vt non indigeat alia probatione, vt eſt hic Syllogiſmus in ſecunda figura, quo vtuntur etiam paruuli. Si enim alicui puero obiiciamus, quod ſit Aethyops niger. Reſpondebit negando, hac ratione *Aethyops habet manus nigras, ego non habeo manus nigras, igitur ego non ſum Aethyops*, qui Syllogiſmus non videtur egere alia probatione, cur autem ſecunda, & tertia figura non habeat modos indirectos; ratio eſt, quia cum indirectio conſiſtat in hoc, quod ſubiectum concluſionis prædicetur in præmiſſis, & prædicatum eiuſdem in præmiſſis ſubijciatur; non poteſt hoc inueniri in ſecunda, & tertia figura; nam cum in ſecunda medius terminus ſē-

per prædicetur in præmiſſis; non poterit ſubiectum concluſionis eſſe prędicatum iu ijſdem prẹmiſſis; in tertia vero cum medius terminus ſemper ſubijciatur in prẹmiſſis, non poterit in ijs ſubijci prẹdicatum concluſionis.

MODI SECVNDÆ FIGVRÆ.

20 Primus modus.

Ce- *Nulla intemperantia eſt bona,*
ſa- *Omnis virtus eſt bona,*
re. *Ergo nulla virtus eſt intemperantia.*

21 Secundus modus.

Ca- *Omne honeſtum eſt expetibile,*
me- *Nullum vitium eſt expetibile,*
ſtres. *Ergo nullum vitium eſt honeſtum.*

22 Tertius modus.

Fe- *Nullus iniuſtus eſt bonus.*
ſti- *Aliquis homo eſt bonus,*
no. *Ergo aliquis homo non eſt iniuſtus.*

23 Quintus modus.

Ba- *Omnis Virtus eſt honeſta,*
ro- *Aliquod vitium non eſt honeſtum;*
co. *Ergo aliquod vitium non eſt virtus.*

MODI TERTIÆ FIGVRÆ.

24 Primus modus.

Da- *Omnis Elephas eſt viuens,*
rap- *Omnis Elephas eſt animal.*
ti. *Ergo aliquod animal eſt viuens.*

25 Secundus modus.

Fe- *Nulla arbor eſt ſenſitiua,*
lap- *Omnis arbor eſt corpus,*
ton. *Ergo aliquod corpus non eſt ſenſitiuum.*

26 Tertius modus.

Di- *Aliqua virtus eſt humilitas,*

ſa- *Omnis virtus eſt expetenda:*

mis. *Ergo aliquod expetẽdum eſt humilitas.*

27 Quartus modus.

Da- *Omne fugiendum eſt malum,*

ti- *Aliquod fugiendum eſt ſuperbia,*

ſi. *Ergo aliqua ſuperbia eſt mala.*

28 Quintus modus.

Bro- *Aliqua arbor non eſt lapis.*

car- *Omnis arbor eſt viuens,*

do. *Ergo aliquod viuens non eſt lapis.*

29 Sextus modus.

Fe- *Nulla vlmus eſt rationalis,*

ri- *Aliqua vlmus eſt arbor,*

ſon. *Ergo aliqua arbor non eſt rationalis.*

CAPVT VIII.

Coniugatio omnium modorum ſingularum ſigurarum.

HVcuſque enumerauimus modos vtiles ſingularum figurarum, nunc plenioris doctrinę gratia enumerabimus omnes coniugationes modorum, ſiue vtilium, ſiue inutilium ſingularum figurarum, afferendo illorum exempla, vt aſſueſcant Tyrones vtiles ab inutilibus diſcernere ſyllogiſmos. Vtilis autem ſyllogiſmus eſt, qui non poteſt habere pręmiſſas veras, & concluſionem falſam; inutilis verò contra, qui poteſt habere pręmiſſas veras, & conſequens falſum: ratione cuius

defectus ſyllogiſmus dicitur vitioſus, & conſequenter inutilis. Coniugationes autem omnes ſunt quatuor ſupra ſexaginta, quas ſequens tabula indicabit.

2 Tabula clara eſt, nec vlteriore indiget explicatione, per vocales intelliguntur propoſitiones ſignificatę per illas; atque idem eſt dicere ex A, & E. v. gr. ſequitur E, ac ex propoſitione maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua. Rurſus in modis directis primæ figuræ multos eſſe modos inutiles: quare non eſt idem eſſe modum directum, & vtilem, vt nec eſt idem eſſe indirectum, & inutilem. Generatim autem omnes modi, qui habent in ſuis ſedibus aliquam dictionem, ex ſupradictis carminibus, vtiles ſunt; cæteri verò omnes inutiles, vt vides in hac Tabula.

CAPVT IX.

Traduntur regulæ communes omnibus tribus figuris.

1 PRima regula eſt. *Ex duabus præmiſſis ſingularibus*; modo medius terminus non ſit ſingularis; quomodo eſſet ſyllogiſmus expoſitorius, de quo infra: item *ex præmiſſis particularibus, vel indefinitis in materia contingenti,* nihil ſequitur: dico in materia contingenti, quia propoſitio indefinita in materia neceſſaria æquiualet vniuerſali, ex dictis v. g.

Aliqua ſubſtantia eſt Angelus,
quod animal eſt ſubſtantia,

Er-

Ergo aliquod animal eſt Angelus.

Item ſi dicas

Subſtantia eſt Angelus,
Homo eſt ſubſtantia,
Ergo homo eſt Angelus.

2 Vterque Syllogiſmus vitioſus eſt, & malè concludit, cum alter ex particularibus, alter ex indefinitis præmiſſis conſtet.

3 Ratio huius regulæ eſt, & valdè notanda: quia in caſu de argumentis modo factis, medius terminus eſt, *Subſtantia*, quæ ad hoc, vt poſſit inſeruire ad concludendum, deberet eadem participari ab extremis, vt deinde inſerri poſſit in concluſione connexio inter ipſa extrema ex principio ſatis noto, *Dicto de omni*. At quando propoſitiones ſunt particulares, ſeu indefinitæ, medius terminus, v. g. *Subſtantia* ſupponit particulariter: & cum ſubſtantia habeat plures partes ſub ſe, ſcilicet, eſſe corporeum, & incorporeum; cum iungitur cum Angelo ſupponit pro incorporeo, cum verò cum animali, ſupponit pro corporeo, & ſic non eſſet eadem ratio ſubſtantiæ communis vtrique extremo; ac propterea nec vlla coniunctio argueretur inter extrema concluſionis; atque hoc eſt vitium, quod communiter dicitur Syllogiſmus cõſtans ex quatuor terminis. Et breuiter daretur antecedens verum, & conſequens falſum contra leges bonæ conſequentiæ ſupra numeratas, vt vides in exemplis poſitis.

4 Obijcies primo. Hic ſyllogiſmus conſtat ex propoſitionibus ſingularibus.

Hic homo eſt animal,
Petrus eſt animal,

Ergo *Petrus eſt hic homo.*

& tamen talis Syllogiſmus concludit:ergo malè dicitur ex præmiſsis ſingularibus nihil deduci.

5 Reſpondetur Syllogiſmum conſtare medio termino particulari, qualis eſt ly *animal*, non ſingulari, ac proinde nihil concludere ratione formæ, vt patet in hoc alio eiuſdem formæ.

Hic Leo eſt animal,
Paulus *eſt animal,*
Ergo Paulus *eſt hic Leo.*

in quo ſyllogiſmo antecedens eſt verum, & conſequens falſum; ac proinde primus concludebat ſolum ratione materiæ.

6 Obijcies ſecundo. Hic Syllogiſmus

Omne animal eſt ſenſitiuum,
Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

benè concludit, & tamen medius terminus in minori acccipitur particulariter.

7 Reſpondetur medium terminum accipi in maiore ſaltem vniuerſaliter,vt vides,& ſic in prima figura benè concludit:in ſecunda verò figura, cum medius terminus ſemper prædicetur; etiam ſi vtraque propoſitio eſſet vniuerſalis affirmatiua,nihil concluderet,quia nunquam diſtribueretur ex regula tradita de vniuerſali affirmatiua, in qua prædicatum non diſtribuitur.

8 Secunda Regula. *Ex vtraque præmiſſa negatiua nihil ſequitur;* debet autem alterutra ſaltem eſſe affirmatiua. Quare hic Syllogiſmus non concludit.

Om-

Omnis lapis non eſt animal;
Omnis homo non eſt lapis:
Ergo omnis homo non eſt animal.

9 Et ratio eſt, quia non poteſt concludere affirmatiuè, eò quod medius terminus, qui eſt tota ratio coniungendi, cum neutro extremo eſt coniunctus: nec etiam negatiuè, quia, ad hoc, vt vnum extremum non iungatur cum alio per medium, debet idem medium cum alterutro extremo eſſe coniunctum: nam ſi vnum extremum ab altero diſiungitur propter medium; debet hoc oriri ex eo, quod diſiungatur à medio, in quo continetur aliud extremum; & ita ipſa extrema erunt inuicem diſiuncta: Si autem medius terminus cum nullo extremo iungatur non erit ratio neque coniungendi, neque diſiungendi ipſa extrema.

10 Obijcies primo. Hic Syllogiſmus eſt negatiuus, & tamen benè concludit

Si hæc ſubſtantia non eſt ſpiritualis non eſt Angelus,
Sed hæc ſubſtantia non eſt ſpiritualis,
Ergo hæc ſubſtantia non eſt Angelus.

11 Reſpondetur nos loqui de Syllogiſmo categorico, non hypothetico; nam in hypothetico ſubintelligitur vna præmiſſa vniuerſalis affirmatiua, ex qua inferatur prædicta concluſio in hunc modum.

Omnis Angelus eſt ſpiritualis,
Hæc ſubſtantia non eſt ſpiritualis.
Ergo hæc ſubſtantia non eſt Angelus.

optimè concludit in *Baroco* ſecundæ figuræ. Rurſus aduerte aliquando præmiſſas videri affirmatiuas, cum tamen ſint negatiuæ propter occul-

tam negationem, quam habent, vt in hoc Syllogiſmo.

Omnis homo differt ab Angelo,

Omnis ſubſtãtia ſpiritualis differt ab homine,

Ergo omnis ſubſtantia ſpiritualis differt ab Angelo.

Syllogiſmus non concludit: nam conſtat ex præmiſſis negatiuis; eo, quod, differre, ſit idem, ac vnum non eſſe aliud.

12 Obijcies ſecundo. Hic ſyllogiſmus habet vtramque præmiſſam negatiuam, & tamen benè concludit ergo &c.

Omne quod non eſt animal non eſt homo,

Lapis non eſt animal, Ergo lapis nõ eſt homo; quod autem talis Syllogiſmus ſit bonus patet, quia in quacumque materia concludit, nec vnquam ex vero deducetur falſum: imo, qui admitteret antecedẽs, & negaret conſequens, concederet duo contradictoria. Et ſupponatur, quod conſequens ſit falſum, ſcilicet *lapis non eſt homo*; nam hoc eſt, illud negare; erit verum eius contradictorium, ſcilicet *lapis eſt homo*. Hæc propoſitio iuxta regulas infra tradendas de reductione ad impoſſibile iuncta minori illius Syllogiſmi infert contradictorium maioris conceſſæ, hac ratione.

Lapis eſt homo, Lapis non eſt animal,

Ergo aliquod, quod non eſt animal eſt homo.

Quæ vltima propoſitio eſt contradictoria maiori alterius Syllogiſmi conceſſæ.

13 Reſpõdetur à quodam recẽtiore primo, maiorem primi Syllogiſmi non eſſe negatiuam, cum non remoueatur prædicatum à ſubiecto, ſed potius prædicatum *animal* iungatur homi-

ni: nam ex regulis conuerſionis, vniuerſalis affirmatiua cõuertitur per contrapoſitionem, vel terminis infinitatis de affirmata copula, vel infinitato ſubiecto, & negata copula: v. g. in exemplo allato: *omnis homo eſt animal*, ita conuertetur, *omne non animal eſt non homo*, vel *omne non animal non eſt homo*; quæ vltima propoſitio eſt illa, quæ eſt poſita loco ſuæ conuerſæ in prædicto Syllogiſmo. Quare, ſi ipſa conuerſa ponatur pro maiore fiet ſequens Syllogiſmus in *Baroco*.

Omnis homo eſt animal, Lapis nõ eſt animal, Ergo lapis non eſt homo:

14 Reſponderi poſſet, ſecũdo minorem illius Syllogiſmi eſſe affirmatiuam: nam prædicatum debet eſſe totum illud, *Non animal*, eo quod ſenſus ſubiecti illius maioris ſit, *omne quod eſt non animal*, & conſequenter, cum prædicatum minoris debeat eſſe totum ſubiectum maioris, excepto ſigno diſtributionis; minor erit affirmatiua de prædicato infinito, ſcilicet, *lapis eſt non animal*; Quod ita oſtendo paulatim. Primo, quia Syllogiſmus negatiuus debet regulari per dictum, *De Nullo*, cuius vis conſiſtit in hoc, vt prædicatum, quod vniuerſaliter negatur de ſubiecto in maiori, quod eſt medius terminus, negetur etiã de ſingulis contentis ſub tali medio, id eſt de ſingulis, de quibus tale medium affirmatur: v. g. in exemplo allato, Homo negatur de omni eo, quod non eſt animal; & lapis eſt vnum ex ijs, quæ non ſunt animal, ergo negatur etiam de lapide: vbi vides totum hoc, ſcilicet, *quod non eſt animal*, eſſe prædicatum, quod affirmatur de lapide: nam ſi hoc non af-

firmetur de illo; non erit ratio, cur homo negetur de lapide propter tale medium, ſcilicet, *Non animal*.

15 Secundo hoc clarè conſtat in Syllogiſmo Ariſt. de quo ſupra, ſcilicet.

Omnes ſtellæ quæ nō ſcintillāt ſunt propè nos,
Planetæ non ſcintillant,
Ergo planetæ ſunt propè nos.

Vides minorem videri negatiuam; cum concluſio ſit affirmatiua: re vera tamen minorē eſſe affirmatiuam, eo quod ſubintelligatur ſubiectum maioris, quod erat medius terminus, cum quo ſubiectum minoris habeat identitatem; & conſequenter de quo illud affirmetur; vt ſenſus ſit, *Planetæ ſunt ſtellæ non ſcintillantes*; ex qua infertur concluſio ſupra poſita: nam, niſi intelligatur in minori pro prędicato ly, *Stellæ*, æquè poſſem dicere *Angeli nō ſcintillant*, ex qua malè inferretur concluſio poſita.

16 Tertio, & vtor Syllogiſmo, qui in ſecunda obiectione ponitur ad probandum ex pręmiſſis negatiuis confici poſſe bonam conſequētiam, ſcilicet.

Lapis eſt homo; Lapis non eſt animal,
Ergo aliquod non animal eſt homo.

Sanè cū concluſio ſit affirmatiua, minor quoque debet eſſe affirmatiua; alioquin non erit bona conſequentia; atque ita per hunc Syllogiſmum non fiet reductio ad impoſſibile, erit ergo implicitè affirmatiua de prędicato infinito, ſcilicet, *lapis eſt non animal*, ex qua bene infertur concluſio poſita. Quarè cum hæc ſit eadem minor, ac illa, quæ erat primi Syllogiſmi negatiui, & hîc debeat eſſe affirmatiua; ibi quoque

que erit affirmatiua: alioquin erunt quatuor termini: verbi gratia, in Syllogiſmo ſupra allato vnus terminus erit, *Non homo*, alter *lapis* tertius *non animal* quartus *animal*, & idem accideret in Syllogiſmo Ariſtotelis, niſi in minori ſubintelligeretur ly, *ſtella*.

16 Contra primam reſponſionem ad obiectionem ſupra allatam eſt primo, quia ex dictis minor illius Syllogiſmi eſt implicitè affirmatiua, ne dicamus eſſe quatuor terminos, & ipſemet facit talem in Syllogiſmo reducēte ad impoſſibile: æquiualet enim illa minor affirmatiuæ de prædicato infinito, vt teneat Syllogiſmus, & ſit bona conſequentia: cum concluſio illius ſit affirmatiua de prædicato infinito. Secundo, quia vniuerſalis affirmatiua per contrapoſitionem conuertitur non mutata qualitate, & quantitate; infinitatis tantum terminis cum conſtantia ipſorum terminorum infinitorum; quare non eſt idem ſenſus, *non animal eſt non homo*, & *non animal non eſt homo*: nam ſecunda non affirmat eſſe aliquid aliud, quod non eſt homo, vt affirmat prima propoſitio: Si autem ponatur conſtantia ipſius *non homo*, poſſet fieri propoſitio negatiua modo ſupra dicto, *omne nō animal non eſt homo*, & *non homo eſt*, &c. Sed adhuc hoc toto poſito; contra Tertio eſt; nam bene primo, loco vnius æquipollētis poteſt poni alia, & conſequens, quod ex vna infertur, ex alia inferri. Benè ſecundo ex quocumque antecedenti infertur propoſitio conuerſa; poteſt inferri illius conuertens, & è contra: nunquam tamen pro conuerſa, quæ ſit antecedens poteſt poni conuertens, & è contra. Nam inferuntur

lon-

longè diuerſæ concluſiones ex vtraque. Quare tranſeat, quod illa propoſitio, *Omnis homo eſt animal*, conuertatur quo modo ille auctor vult non tamen vna poteſt poni loco alterius: imò vt bene notat Sotus lib. 3. cap. 5 lect. 2. Conuerſio per contrapoſitionem non eſt in vniuerſum bona conſequentia; niſi ponatur conſtantia contradictorij prædicati vniuerſalis affirmatiuæ: verbi gratia (& ſumo exemplum in conuerſione per accidens) *omne album eſt corpus:* ex qua propoſitione talis conficietur. Syllogiſmus.

Omne album eſt corpus, Hic paries eſt albus,
Ergo hic paries eſt corpus.

Prima propoſitio conuertitur per accidens in hanc, *aliquod corpus eſt album*, ex qua non benè infertur eadem prædicta concluſio.

Aliquod corpus eſt album, Hic paries eſt albus.
Ergo hic paries eſt corpus.

vbi vides concluſionem eſſe veram ſolum materialiter: nam eadem forma applicata alteri materiæ non concludet. vt patet in hoc alio exemplo.

Aliquis Angelus eſt ſubſtantia.
Hic homo eſt ſubſtantia,
Ergo hic homo eſt Angelus.

Eodem modo ex hac propoſitione, *Omnis homo eſt animal*, benè infertur.

Omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo,
Ergo Petrus eſt animal.

quam concluſionem nemo dicet inferri ex conuertente illius maioris per contrapoſitionem.

Quibus poſitis teneri poteſt ſecunda reſponſio ad prædictam obiectionem.

17 Tertia regula, medium terminum ſemper à concluſione debere excludi; ratio eſt, quia ſi in exponeretur, non differt concluſio à præmiſſis contra finem Syllogiſmi, qui eſt, vt ex cōiunctione, quam habent duo extrema cum medio in pręmiſſis; inferatur connexio eorundem, excluſo medio.

18 Dices. Hic Syllogiſmus benè concludit, & tamen habet medium in concluſione, ergo, &c.

Omnis Angelus eſt Spiritus,
Gabriel eſt Angelus;
Ergo aliquis Spiritus eſt Angelus.

19 Reſpondetur concluſionem eſſe veram non ex vi formæ Syllogiſticæ, ſed ex regulis cōuerſionis. Eſt enim conuertens illius maioris, quæ cum ſit vniuerſalis affirmatiua, conuertitur per acccidens; vt vides hìc fieri.

20 Aduerte ex Soto lib 5. cap. 3. lectione vnica aliquando medium ingredi poſſe concluſionem ad ſeruandam proprietatem logicalem: vt nimirum determinetur prædicatum concluſionis, non tamen directè, vt proprium prædicatum. v. g.

Coruſcus eſt veniens, Video coruſcum,
Ergo video Coruſcum venientem.

Vbi vides *Coruſcum* poni ad ſeruandam conſtantiam appellationis prædicati.

18 Hæ regulæ memoriæ cauſa, his verſibus à Petro Hyſpano concluduntur.

Partibus ex puris ſequitur nil, ſiue negatis;
Si qua præit partis, ſequitur concluſio partis;
Si qua negata præit, concluſio ſitque negata.
Lex generalis erit medium concludere neſcit.

Ex

Ex his regulis colliguntur aliquæ minores, quæ ſunt explicationes ſupradictarum, licet pro dignoſcendis vitijs Syllogiſmi ſint vniuerſaliſsimæ,& ad captum Tyronum faciles.

22 Prima regula; *Quando vnum extremum non eſt diſtributum in præmiſsis,& diſtribuitur in concluſione nihil ſequitur*; diſtribui autem, ſeu accipi diſtributiuè eſt idem, ac ſupponere pro ſingulis ſuis inferioribus. Huc reuocanda, quæ ſupra diximus lib. 1. de vniuerſalibus indicijs ad dignoſcendum, quando terminus diſtribuitur in propoſitione. Quarè hic Syllogiſmus non eſt bonus,

Omnis homo eſt animal;
Nullus leo eſt homo.
Ergo nullus leo eſt animal.

23 Et ratio eſt, quia *animal* in maiori non erat diſtributum,& accipiebatur ſolum pro eo, quod eſt in homine: in concluſione verò diſtribuitur, & accipitur etiam pro eo, quod eſt in Leone,& ſic ſunt quatuor termini: Committeretur autem fallacia,quæ dicitur *à non diſtributo ad diſtributum*, ſeu *quatuor terminorum*; & dari poſſet antecedens verum, & conſequens falſum.

24 Secunda regula. *Medius terminus in altera ſaltem præmiſſa debet eſſe diſtributus*; propter cuius defectum hic Syllogiſmus non tenet:

Omne animal fuit in Arca Noè,
Meus Brunellus eſt animal
Ergo meus Brunellus fuit in Arca Noè.

Nam ly, *animal* in maiori ex alibi dictis de ſuppoſitione, ſupponit pro generibus ſingulorum,non pro ſingulis generum in minori verò ſup-

ſupponit pro ſolo animali Brunello, & ſic nihil concludit. Ratio autem, cur debeat diſtribui medius terminus,eſt,quia alioquin non participaretur idem medium ſecundum eandem rationem ab vtroque extremo,& ſic non eſſet ipſum ratio coniungendi talia extrema; propter ſimilem defectum non tenet hic Syllogiſmus.

Nulla formica eſt maior Teſtudine,
Omnis Elephas eſt maior formica,
Ergo nullus Elephas eſt maior Teſtudine.

25 Sunt enim quatuor termini:nam in maiori,ſubiectum eſt *formica* ſolum, in minori vero prædicatum eſt *maior formica*, & ſic non eſt idem medius terminus, qui in prima figura eſt ſubiectum maioris, & prædicatum minoris; & conſequenter ſunt quatuor termini. Atque hæc de regulis vniuerſalibus Syllogiſmorum.

26 Quarta Regula eſt in philoſophia, & Theologia communiſſima, præſertim in materia de fide; & prima parte de ſacra doctrina: *concluſionem ſequi debiliorem partem*. De hac regula fusè Theologi locis præſertim citatis, & Philoſophi in libris priorum, legat qui velit Albertinum tom. 1. corollariorum tertio principio philoſophico quæſt. 5. per totam, qui fusè hanc difficultatem, examinat. Nunc ſatis ſit ruditer illam explicare. pro qua

Appendix 2. Gen.

27 Notandum primo; hanc regulam videri ex vna parte eſſe deſtructiuam Superioris, qua diximus ex falſo ſequi verum, ex contingenti neceſſarium; ex impoſſibili contingens, & neceſ-

ceſſarium,&c. At quis non videt falſum, & contingens, eſſe quid debilius, quam verum, & neceſſarium? Quarè, vt ab hoc incipiamus. Sciendum, ſenſum illius regulæ ſuperioris eſſe, quod poſſit eſſe bona conſequentia, id eſt Syllogiſmus in figura, & modo, cum conſequenti vero, & antecedenti, ſeu præmiſſis falſis: eo quod bonitas illationis non pendeat à veritate propoſitionum. Veritas enim, neceſſitas, contingentia, &c. deſumuntur ab obiectis propoſitionis, hoc eſt à rebus ipſis; vnde ex Ariſtotele toties citato propoſitio eſt vera, vel falſa, ex eo quod res eſt, vel non eſt. *Bonitas autem, vel malitia conſequentiæ conſiſtit in diſpoſitione propoſitionū, & terminorum, qui debitè ſint diſtributi, & habeant reliquas proprietates logicales ſupra enumeratas, vel non habeant.*

28 Notandum ſecundo, ex his conſtare, cum Syllogiſmus ſit conſequentia formalis, & præterea conſtet ex propoſitionibus, quæ neceſſario ſunt vera, vel falſa, neceſſaria, vel contingentes, &c. prout ſunt obiecta, de quibus formantur: Syllogiſmo quædam primo competere ratione propoſitionum, & obiectorum, quibus conſtat, quædam ſecundo ratione formæ modo explicato; Quæ duo non pertinent, ad regulam, quam hic tradimus quamquam à ſummuliſtis communiter huic tribuantur, & de primo quidem iam diximus. Secundum autem duo complectitur; primum, quod, ſi vna ex præmiſſis ſit particularis concluſio quoque debeat eſſe particularis; quod ſic probo.*

29 Primo; ſi Syllogiſmus conſtet ex vna præmiſſa negatiua; vt ſit in bona forma, & conſequenter ſit conſequentia formalis: regulari debet

**ſi vna præmiſſa ſit negatiua, cõcluſio debeat eſſe negatiua. Secundum, quod*

bet per dictum, De nullo, *cuiuſuis conſiſtit in eo, vt prædicatum maioris non ſit connexum cum ſubiecto eiuſdem; in quo ſubiecto contineatur tãquam in medio ſubiectum minoris, & conſequtter cum eodem ſubiecto minoris non connectatur prædicatum maioris: vbi vides concluſionem, quæ conſtat ex prædicato maioris, & ſubiecto minoris, neceſſario debere eſſe negatiuam, vt fusè ſupra explicaui.*

30 *Secundo, ſi Syllogiſmus conſtet ex præmiſſa particulari, concluſio debet eſſe particularis, idque ratione formæ, ad quam pertinet quantitas, & qualitas propoſitionum, hoc eſt affirmatio vel negatio, vniuerſalitas, vel particularitas: Quod ſic oſtendo, & ſuppono medium terminum eſſe adæquatam rationem, vt prædicatum concluſionis ſubiecto conueniat, eo, quod medium ſit idem cum vtroque: ergo, ſi medium particulariter tãtum cum vno connectetur extremo; particulariter etiam tale extremum cum altero connectetur, quod habetur ex principio* Dici de omni, *cuius vim conſiſtere diximus in hoc, quod prædicatum continens in ſe ſubiectum maioris, de quo affirmatur; continet etiam omne id, quod in tali ſubiecto continetur. Vnde fit, quod ſi in ſubiecto continetur ſolum terminus aliquis particularis; prædicatum quoque ipſius ſubiecti continebit particulariter talem terminum in ſubiecto contentum, & de quo ipſum ſubiectum prædicatur. v. gr.*

Omne rationale eſt riſibile,
Aliquod animal eſt rationale.
Ergo aliquod animal eſt riſibile.

Rationale *dicitur de aliquo animali: ergo* ri-

ſibile, *quod continet* rationale *in eo ſenſu, in quo prædicatum dicitur continere ſubiectum, particulariter continebit ipſum* animal; *& conſequenter non poteſt dici in concluſione,* ergo omne animal eſt riſibile; *tum primo, quia non regularetur hic Syllogiſmus per*, Dici de omni, *eo quod prædicatum* riſibile *diceretur de aliquo, de quo non dicitur* rationale; *tum ſecundo, quia aliquis terminus eſſet diſtributus in concluſione, qui non eſſet diſtributus in præmiſſis; tum tertio quia eſſent quatuor termini: nam in minori ponitur* aliquod *tantum* animal, *quod ſufficienter verificatur de homine: in concluſione vero ponitur*, omne animal, *quod continet etiam Equum, quæ omnia recidunt in idem, vt vides. Demum daretur antecedens verum, & conſequens falſum, quod eſt formaliſſimum indicium malæ conſequentiæ; ergo quod concluſio debeat eſſe particularis, ſi vna præmiſſa ſit particularis; & negatiua, ſi vna præmiſſa ſit negatiua; manifeſtè colligitur pertinere ad formam Syllogiſmi: cum negatio, & affirmatio pertineant ad qualitatem; particularitas & vniuerſalitas ad quantitatem propoſitionum in ordine ad formam Syllogiſmi.*

31 *Notandum tertio. Excluſis ijs, quæ habentur ratione formæ, vt modo diximus: vt etiam ijs, quæ habet propoſitio ab obiecto; ſcilicet, quod propoſitio ſit vera, contingens, neceſſaria, &c. ſupereſſe explicandum; in quo ſenſu præſens regula vim habeat. Pro quo ſciendum, propoſitionem præter ea, quæ habet ab obiecto, ſcilicet, vt ſit vera, &c. habere ab intellectu aliqua, quæ pertinent ad modum operandi, & ſunt* claritas, obſcu-

ſcuritas, certitudo, incertitudo, &c. *& claritas quidem facit aſſenſum euidentem; euidentia autem eſt intima, & perſpicua penetratio terminorum, & eſt perfectio quadam certitudinis:* certitudo *verò duo dicit, connexionem ſcilicet neceſſariam cognitionis cum veritate, & firmam adhaſionem intellectus, cui opponitur aſſenſus infirmus, qui dicitur opinatiuus, & eſt cum formidine oppoſiti. Rurſus pramiſſa ſunt principia concluſionis, ſiue per modum cauſa efficientis; quatenus, vt docui in libris de Anima, funguntur munere ſpecierum impreſſarum ad eliciendum aſſenſum concluſionis, ſiue per modum cauſa formalis extrinſeca determinantis Intellectum ad eundem aſſenſum. Certè quomodocunque dicatur, pramiſſa illuminant intellectum, illique dant robur ad aſſentiendum alteri propoſitioni in ſe contenta; vnde inferimus, non poſſe clarius nos concluſionem intueri, nec firmius illi adharere, quam adharemus pramiſſis, illaſque intuemur. His poſitis.*

32 *Notandum quarto, vim huius regula ſcilicet* concluſio ſequitur debiliorem partem, *conſiſtere in hoc, quod concluſio, dum eſt in Syllogiſmo, non poſſit eſſe clarior, nec certior ſumendo certitudinem prout dicit firmitatem aſſenſus, quam ſint pramiſſa; cuius rationem non petimus ab vlla regula forma ſyllogiſtica, id eſt, neque à figura, neque à modo, neque à principijs regulatiuis bona conſequentia, ſed ex puro modo cognoſcendi: nimirum quod, cum idem intellectus ſit, qui debeat aſſentiri vltima propoſitioni ex vi talium pramiſſarum, non poſſit melius illi aſſentiri, quàm aſſentiatur pramiſſis; loquendo*

de aſſenſu concluſionis, quatenus eſt cognita ex vi talis medij, cum quo in præmiſſis ſunt connexa extrema eiuſdem; nam in tractatu de Scientia diximus non repugnare per diuerſa media, eundem actum eſſe ſimul ſcientificum, & probabilem. Quare id, quod dicit hæc regula eſt, quod cum intellectus connectere debeat extrema concluſionis, ex eo, quod coniunxerit eadem in præmiſſis cum medio, non poſſit melius, nec clarius nec imperturbabilius eadem extrema in concluſione connectere, quam in præmiſſis coniunxerit cum medio. Ex hac regula multa deducunt Philoſophi, & Theologi: ſcilicet, quod ſi ex duabus præmiſſis altera ſit probabilis altera euidens; concluſio ſit futura probabilis. Item ſi vna præmiſſa ſit naturalis, altera de fide; concluſio ſit naturalis. De quibus vide Theologos locis citatis. Atque hæc ſatis ſint Tyronibus.

33 *Ob. 1. in hoc Syllogiſmo.*

Omne currens eſt animal. Petrus currit,
Ergo Petrus eſt animal.

concluſio eſt neceſſaria, & vna præmiſſa eſt contingens, ergo non ſequitur debiliorem partem.

Reſpondetur primo hoc non eſſe contra regulã iam ſupra traditam, quia non ſolum ex contingenti, ſed etiam ex falſo ſequitur aliquando neceſſarium in bona forma, vt ſupra diximus. Secundo, hanc regulam diximus habere veritatem in hoc, quod concluſio dum eſt in Syllogiſmo non poſſit eſſe clarior, nec firmiorem parere aſſenſum quam præmiſſa; non autem in ijs, quæ pertinent ad veritatem, neceſſitatem, contingentiam, &c. Tertio, ſumendo contingentiam pro aſſenſu infirmo, dico quod etiam illi concluſio-

ni

ni Petrus eſt animal, *quamuis ſit materialiter neceſſaria, non aſſentiatur firmius intellectus, quam aſſentiatur præmiſſæ contingenti; & ita talis concluſio neceſſaria ſequitur ſolum materialiter, ideſt ratione materiæ, non formaliter, quia in eadem forma, & ex ijſdem terminis ſequi poteſt concluſio contingens. v. gr.*

Omne currens mouetur,
Petrus eſt currens,
Ergo Petrus mouetur:

vbi concluſio eſt contingens; & tam figura & modus, quam medius terminus ſunt ijdem.

Firma ergo eſt regula tradita, ſi intelligatur in ſenſu explicato. Saluo ſemper meliori iudicio: aliorum vero modum explicandi hic, nec impugno, nec ſequor. Sufficit enim pro nunc talis via explicandi regulam.

34 *Obijcies ſecundo. Quotieſcunque ſunt duæ cauſæ concurrentes ad aliquem effectum, & vna ex illis ſit perfectior altera, effectus aſſimilatur perfectiori; ergo concluſio non ſequitur debiliorem, ſed fortiorem partem. Antecedens patet inductione, verbi gratia ſint duo trahentes pondus, vnus altero potentior; tractio ponderis ſequitur virtutem potentioris: item ad videndum Deum requiritur intellectus naturalis, & lumen gloriæ ſupernaturale. ſequitur autem effectus ſupernaturalis; ſcilicet viſio beata. Demum actus vitalis, ad quem concurrit habitus; v. gr. qui non eſt vitalis, quia tamen eſt potentia vitalis cum illo habitu concurrens, ſequitur effectus vitalis, & ſic de cæteris, &c.*

35 *Reſpondeo, & pro reſponſione ſupponendum, vnam præmiſſam ex ſe nihil poſſe in ordine ad*

eliciendam concluſionem, ſed vtramque indiuiſibiliter ſe habere; idque ratione vnius medij, ſeu connexionis eiuſdem cum extremis. medium ergo, niſi cum vtroque extremo cognoſcatur certò; & euidenter connexum, non poterit eſſe ratio, vt intellectus certò & euidenter connectat extrema: aſſenſus enim concluſionis ab vtraque præmiſſa indiuiſibiliter ratione indiuiſibilis medij veluti fluit; atque vt tubus, etiamſi ex vna parte amplum, ſi tamen ex altera perangustum habeat foramen; aqua per illum tranſiens, foraminis accommodatur anguſtijs; ita concluſio à præmiſſis deriuatur. Item magnum luminoſum tranſiens per medium ſubopacum, producit lumen tenebricoſum, & generatim quotieſcunque duæ cauſæ requiruntur indiuiſibiliter ad aliquem effectum ratione vnius virtutis indiuiſibilis requiſitæ ad illum, ita ſe mutuò habent, vt ad alterutrius limitationem limitatus producatur effectus, verbi gratia potentia motiua, & tibia requiruntur ad motum; etiamſi prima ſit robuſta, modò tibia ſit clauda, motus producetur claudicationis. His poſitis paritas duorum trahentium pondus non facit ad rem: nam quilibet illorum poteſt aliquid illius ponderis trahere, vt non poteſt vna præmiſſa elicere quamcunque particulam concluſionis. Nec vrget paritas effectus ſupernaturalis, & vitalis: nam principia requiſita ad illos non ſe mutuo impediunt, nec vnum tranſit per aliud, ſed cauſant in diuerſo genere effectum; at vero præmiſſæ indiuiſibiliter concurrunt ad aſſenſum concluſionis, ratione indiuiſibilis medij, ex dictis, cuius aſſenſus cum altero extremo, ſi ſit claudus, etiam ſi cum altero ſit

ro-

robuſtus, & firmus; non poterit eſſe ratio firmiter connectendi illa duo inter ſe. Si autem hîc obiter quæras, cur effectus ſit ſupernaturalis, quãdo eſt ab vna cauſa naturali, altera ſupernaturali. Ratio eſt, quam tradidimus in Phyſicis de vnione; quia ſcilicet; quotieſcunque aliquod prædicatum eſt negatiuum, ad hoc vt verificetur, requiritur, vt ex nullo capite habeat oppoſitum, verbi gratia, ad hoc, vt verificetur, ego non ſum in ſchola, requiritur, vt in nulla parte ſcholæ ſim. Quando verò prædicatum eſt affirmatiuum, ſatis eſt, ſi ex vno capite illi non conueniat eius oppoſitum. verbi gratia; ad hoc, vt ſit verum dicere, ego ſum in ſchola, ſatis eſt, ſi in vna parte ſcholæ ſim. Ad rem noſtram; eſſe Supernaturale, eſt prædicatum poſitiuum; id eſt, quod excedit vires naturæ, ac proinde, vt aliquid poſſit dici ſupernaturale, ſatis eſt; ſi pendeat ex vno principio ſupernaturali; vt è contra, eſſe Naturale, eſt non excedere vires naturæ, atque ita, vt aliquid ſit naturale, requiritur, vt ex nullo capite, ſeu quod nullum principium excedat vires naturæ. Item eſſe vitale, eſt prædicatum affirmatiuum, ſonat enim idem, ac eſſe à principio intrinſeco, ac proinde ſatis eſt, vt aliquid ſit vitale, ſi ſit ab vno principio intrinſeco: è contra verò eſſe non vitale, eſt prædicatum negatiuum: nam ſonat, non eſſe à principio intrinſeco; quare ad hoc, vt aliquid ſit non vitale, debet à nullo principio intrinſeco eſſe. Ex hac doctrina collegi in Phyſicis, Vnionem, quæ eſt inter animam rationalem, & corpus, etiam ſi recipiatur. & pendeat ab vtraque parte, quarum vna eſt ſpiritualis: tamen eſſe materialem:

Ex his regulis colliguntur aliquæ minores, quæ ſunt explicationes ſupradictarum, licet pro dignoſcendis vitijs Syllogiſmi ſint vniuerſaliſsimæ,& ad captum Tyronum faciles.

22 Prima regula; *Quando vnum extremum non eſt diſtributum in præmiſsis,& diſtribuitur in concluſione nihil ſequitur*; diſtribui autem, ſeu accipi diſtributiuè eſt idem, ac ſupponere pro ſingulis ſuis inferioribus. Huc reuocanda, quæ ſupra diximus lib. 1. de vniuerſalibus indicijs ad dignoſcendum, quando terminus diſtribuitur in propoſitione. Quarè hic Syllogiſmus non eſt bonus,

Omnis homo eſt animal;
Nullus leo eſt homo.
Ergo nullus leo eſt animal.

23 Et ratio eſt, quia *animal* in maiori non erat diſtributum,& accipiebatur ſolum pro eo, quod eſt in homine: in concluſione verò diſtribuitur, & accipitur etiam pro eo, quod eſt in Leone,& ſic ſunt quatuor termini. Committeretur autem fallacia,quæ dicitur *à non diſtributo ad diſtributum*, ſeu *quatuor terminorum*; & dari poſſet antecedens verum, & conſequens falſum.

24 Secunda regula. *Medius terminus in altera ſaltem præmiſſa debet eſſe diſtributus*; propter cuius defectum hic Syllogiſmus non tenet:

Omne animal fuit in Arca Noè,
Meus Brunellus eſt animal
Ergo meus Brunellus fuit in Arca Noè.

Nam ly,*animal* in maiori ex alibi dictis de ſuppoſitione, ſupponit pro generibus ſingulorum,non pro ſingulis generum in minori verò ſup-

ſupponit pro ſolo animali Brunello, & ſic nihil concludit. Ratio autem, cur debeat diſtribui medius terminus, eſt, quia alioquin non participaretur idem medium ſecundum eandem rationem ab vtroque extremo, & ſic non eſſet ipſum ratio coniungendi talia extrema; propter ſimilem defectum non tenet hic Syllogiſmus.

Nulla formica eſt maior Teſtudine,
Omnis Elephas eſt maior formica,
Ergo nullus Elephas eſt maior Teſtudine.

25 Sunt enim quatuor termini: nam in maiori, ſubiectum eſt *formica* ſolum, in minori vero prædicatum eſt *maior formica*, & ſic non eſt idem medius terminus, qui in prima figura eſt ſubiectum maioris, & prædicatum minoris; & conſequenter ſunt quatuor termini. Atque hæc de regulis vniuerſalibus Syllogiſmorum.

26 Quarta Regula eſt in philoſophia, & Theologia communiſſima, præſertim in materia de fide, & prima parte de ſacra doctrina: *concluſionem ſequi debiliorem partem*. De hac regula fusè Theologi locis præſertim citatis, & Philoſophi in libris priorum, legat qui velit Albertinum tom. 1. corollariorum tertio principio philoſophico quæſt. 5. per totam, qui fusè hanc difficultatem, examinat. Nunc ſatis ſit ruditer illam explicare. pro qua

Appendix 2. Gen.

27 Notandum primo; hanc regulam videri ex vna parte eſſe deſtructiuam Superioris, qua diximus ex falſo ſequi verum, ex contingenti neceſſarium; ex impoſſibili contingens, & ne-

ceſ-

ceſſarium, &c. At quis non videt falſum, & contingens, eſſe quid debilius, quam verum, & neceſſarium? Quarè, vt ab hoc incipiamus. Sciendum, ſenſum illius regulæ ſuperioris eſſe, quod poſſit eſſe bona conſequentia, ideſt Syllogiſmus in figura, & modo, cum conſequenti vero, & antecedenti, ſeu præmiſſis falſis: eo quod bonitas illationis non pendeat à veritate propoſitionum. Veritas enim, neceſſitas, contingentia, &c. deſumuntur ab obiectis propoſitionis, hoc eſt à rebus ipſis; vnde ex Ariſtotele toties citato propoſitio eſt vera, vel falſa, ex eo quod res eſt, vel non eſt. *Bonitas autem, vel malitia conſequentiæ conſiſtit in diſpoſitione propoſitionũ, & terminorum, qui debitè ſint diſtributi, & habeant reliquas proprietates logicales ſupra enumeratas, vel non habeant.*

28 Notandum ſecundo, ex his conſtare, cum Syllogiſmus ſit conſequentia formalis, & præterea conſtet ex propoſitionibus, quæ neceſſario ſunt veræ, vel falſæ, neceſſariæ, vel contingentes, &c. prout ſunt obiecta, de quibus formantur: Syllogiſmo quædam primo competere ratione propoſitionum, & obiectorum, quibus conſtat, quædam ſecundo ratione formæ modo explicato. Quæ duo non pertinent, ad regulam, quam hic tradimus quamquam à ſummuliſtis communiter huic tribuantur, & de primo quidem iam diximus. Secundum autem duo complectitur; primum, quod, ſi vna ex præmiſſis ſit particularis concluſio quoque debeat eſſe particularis; quod ſic probo.*

29 Primo; *ſi Syllogiſmus conſtet ex vna præmiſſa negatiua; vt ſit in bona forma, & conſequenter ſit conſequentia formalis: regulari debet*

**ſi vna præmiſſa ſit negatiua, cõcluſio debeat eſſe negatiua, Secundum, quod*

bet per dictum, De nullo, *cuiuſuis conſiſtit in eo, vt prædicatum maioris non ſit connexum cum ſubiecto eiuſdem; in quo ſubiecto contineatur tãquam in medio ſubiectum minoris, & conſequenter cum eodem ſubiecto minoris non connectatur prædicatum maioris: vbi vides concluſionem,quæ conſtat ex prædicato maioris, & ſubiecto minoris, neceſſario debere eſſe negatiuam, vt fusè ſupra explicaui.*

30 *Secundo, ſi Syllogiſmus conſtet ex præmiſſa particulari, concluſio debet eſſe particularis, idque ratione formæ, ad quam pertinet quantitas, & qualitas propoſitionum, hoc eſt affirmatio vel negatio, vniuerſalitas, vel particularitas: Quod ſic oſtendo, & ſuppono medium terminum eſſe adæquatam rationem, vt prædicatum concluſionis ſubiecto conueniat, eo, quod medium ſit idem cum vtroque: ergo, ſi medium particulariter tãtum cum vno connectetur extremo; particulariter etiam tale extremum cum altero connectetur, quod habetur ex principio* Dici de omni, *cuius vim conſiſtere diximus in hoc, quod prædicatum continens in ſe ſubiectum maioris, de quo affirmatur; continet etiam omne id, quod in tali ſubiecto continetur. Vnde fit, quod ſi in ſubiecto continetur ſolum terminus aliquis particularis; prædicatum quoque ipſius ſubiecti continebit particulariter talem terminum in ſubiecto contentum, & de quo ipſum ſubiectum prædicatur. v. gr.*

Omne rationale eſt riſibile,
Aliquod animal eſt rationale,
Ergo aliquod animal eſt riſibile.

Rationale *dicitur de aliquo animali: ergo* riſibi-

ſibile, *quod continet* rationale *in eo ſenſu, in quo prædicatum dicitur continere ſubiectum, particulariter continebit ipſum* animal; *& conſequenter non poteſt dici in concluſione,* ergo omne animal eſt riſibile; *tum primo, quia non regularetur hic Syllogiſmus per,* Dici de omni, *eo quod prædicatum* riſibile *diceretur de aliquo, de quo non dicitur* rationale; *tum ſecundo, quia aliquis terminus eſſet diſtributus in concluſione, qui non eſſet diſtributus in præmiſſis; tum tertio quia eſſent quatuor termini: nam in minori ponitur* aliquod *tantum* animal, *quod ſufficienter verificatur de homine: in concluſione vero ponitur,* omne animal, *quod continet etiam Equum, quæ omnia recidunt in idem, vt vides. Demum daretur antecedens verum, & conſequens falſum, quod eſt formaliſſimum indicium malæ conſequentiæ; ergo quod concluſio debeat eſſe particularis, ſi vna præmiſſa ſit particularis; & negatiua, ſi vna præmiſſa ſit negatiua; maniſeſtè colligitur pertinere ad formam Syllogiſmi: cum negatio, & affirmatio pertineant ad qualitatem; particularitas & vniuerſalitas ad quantitatem propoſitionum in ordine ad formam Syllogiſmi.*

31 N*otandum tertio. Excluſis iis, quæ habentur ratione formæ, vt modo diximus: vt etiam iis, quæ habet propoſitio ab obiecto; ſcilicet, quod propoſitio ſit vera, contingens, neceſſaria, &c. ſupereſſe explicandum; in quo ſenſu præſens regula vim habeat. Pro quo ſciendum, propoſitionem præter ea, quæ habet ab obiecto, ſcilicet, vt ſit vera, &c. habere ab intellectu aliqua, quæ pertinent ad modum operandi; &* ſunt claritas, obſcu-

ſcuritas, certitudo, incertitudo, &c. *& claritas quidem facit aſſenſum euidentem; euidentia autem eſt intima, & perſpicua penetratio terminorum, & eſt perfectio quadam certitudinis:* certitudo *verò duo dicit, connexionem ſcilicet neceſſariam cognitionis cum veritate, & firmam adhaſionem intellectus, cui opponitur aſſenſus infirmus, qui dicitur opinatiuus, & eſt cum formidine oppoſiti. Rurſus pramiſſa ſunt principia concluſionis, ſiue per modum cauſa efficientis; quatenus, vt docui in libris de Anima, funguntur munere ſpecierum impreſſarum ad eliciendum aſſenſum concluſionis, ſiue per modum cauſa formalis extrinſeca determinantis Intellectum ad eundem aſſenſum. Certè quomodocunque dicatur, pramiſſa illuminant intellectum, illique dant robur ad aſſentiendum alteri propoſitioni in ſe contenta; vnde inferimus, non poſſe clarius nos concluſionem intueri, nec firmius illi adharere, quam adharemus pramiſſis, illaſque intuemur. His poſitis.*

32 *Notandum quarto, vim huius regula ſcilicet* concluſio ſequitur debiliorem partem, *conſiſtere in hoc, quod concluſio, dum eſt in Syllogiſmo, non poſſit eſſe clarior, nec certior ſumendo certitudinem prout dicit firmitatem aſſenſus, quam ſint pramiſſa; cuius rationem non petimus ab vlla regula forma ſyllogiſtica, id eſt, neque à figura, neque à modo, neque à principijs regulatiuis bona conſequentia, ſed ex puro modo cognoſcendi: nimirum quod, cum idem intellectus ſit, qui debeat aſſentiri vltima propoſitioni ex vi talium pramiſſarum, non poſſit melius illi aſſentiri, quàm aſſentiatur pramiſſis; loquendo*

de aſſenſu concluſionis, quatenus eſt cognita ex vi talis medij, cum quo in præmiſſis ſunt connexa extrema eiuſdem; nam in tractatu de Scientia diximus non repugnare per diuerſa media, eundem actum eſſe ſimul ſcientificum, & probabilem. Quare id, quod dicit hæc regula eſt, quod cum intellectus connectere debeat extrema concluſionis, ex eo, quod coniunxerit eadem in præmiſſis cum medio, non poſſit melius, nec clarius nec imperturbabilius eadem extrema in concluſione connectere, quam in præmiſſis coniunxerit cum medio. Ex hac regula multa deducunt Philoſophi, & Theologi: ſcilicet, quod ſi ex duabus præmiſſis altera ſit probabilis altera euidens; concluſio ſit futura probabilis. Item ſi vna præmiſſa ſit naturalis, altera de fide; concluſio ſit naturalis. De quibus vide Theologos locis citatis. Atque hæc ſatis ſint Tyronibus.

33 *Ob. 1. in hoc Syllogiſmo.*

Omne currens eſt animal. Petrus currit;
Ergo Petrus eſt animal.

concluſio eſt neceſſaria, & vna præmiſſa eſt contingens, ergo non ſequitur debiliorem partem.

Reſpondetur primo hoc non eſſe contra regulã iam ſupra traditam, quia non ſolum ex contingenti, ſed etiam ex falſo ſequitur aliquando neceſſarium in bona forma, vt ſupra diximus. Secundo, hanc regulam diximus habere veritatem in hoc, quod concluſio dum eſt in Syllogiſmo non poſſit eſſe clarior, nec firmiorem parere aſſenſum quam præmiſſa; non autem in ijs, quæ pertinent ad veritatem, neceſſitatem, contingentiam, &c. Tertio, ſumendo contingentiam pro aſſenſu infirmo, dico quod etiam illi concluſio-

ni

ni Petrus eſt animal, *quamuis ſit materialiter neceſſaria, non aſſentiatur firmius intellectus, quam aſſentiatur præmiſſæ contingenti; & ita talis concluſio neceſſaria ſequitur ſolum materialiter, ideſt ratione materiæ, non formaliter, quia in eadem forma, & ex ijſdem terminis ſequi poteſt concluſio contingens. v. gr.*

Omne currens mouetur,
Petrus eſt currens,
Ergo Petrus mouetur:

vbi concluſio eſt contingens; & tam figura & modus, quam medius terminus ſunt ijdem.

Firma ergo eſt regula tradita, ſi intelligatur in ſenſu explicato. Saluo ſemper meliori iudicio: aliorum vero modum explicandi hic, nec impugno, nec ſequor. Sufficit enim pro nunc talis via explicandi regulam.

34 *Obijcies ſecundo. Quotieſcunque ſunt duæ cauſæ concurrentes ad aliquem effectum, & vna ex illis ſit perfectior altera, effectus aſſimilatur perfectiori; ergo concluſio non ſequitur debiliorem, ſed fortiorem partem. Antecedens patet inductione, verbi gratia ſint duo trahentes pondus, vnus altero potentior; tractio ponderis ſequitur virtutem potentioris: item ad videndum Deum requiritur intellectus naturalis, & lumen gloriæ ſupernaturale. ſequitur autem effectus ſupernaturalis; ſcilicet viſio beata Demum actus vitalis, ad quem concurrit habitus; v. gr. qui non eſt vitalis, quia tamen eſt potentia vitalis cum illo habitu concurrens, ſequitur effectus vitalis, & ſic de cæteris, &c.*

35 *Reſpondeo, & pro reſponſione ſupponendum, vnam præmiſſam ex ſe nihil poſſe in ordine ad ali-*

robuſtus, & firmus; non poterit eſſe ratio firmiter connectendi illa duo inter ſe. Si autem hic obiter quæras, cur effectus ſit ſupernaturalis, quãdo eſt ab vna cauſa naturali, altera ſupernaturali. Ratio eſt, quam tradidimus in Phyſicis de vnione; quia ſcilicet; quotieſcunque aliquod prædicatum eſt negatiuum, ad hoc vt verificetur, requiritur, vt ex nullo capite habeat oppoſitum, verbi gratia, ad hoc, vt verificetur, ego non ſum in ſchola, *requiritur, vt in nulla parte ſcholæ ſim. Quando verò prædicatum eſt affirmatiuum, ſatis eſt, ſi ex vno capite illi non conueniat eius oppoſitum. verbi gratia; ad hoc, vt ſit verum dicere*, ego ſum in ſchola, *ſatis eſt, ſi in vna parte ſcholæ ſim. Ad rem noſtram; eſſe Supernaturale, eſt prædicatum poſitiuum; id eſt, quod excedit vires naturæ, ac proinde, vt aliquid poſſit dici ſupernaturale, ſatis eſt, ſi pendeat ex vno principio ſupernaturali; vt è contra, eſſe Naturale, eſt non excedere vires naturæ, atque ita, vt aliquid ſit naturale, requiritur, vt ex nullo capite, ſeu quod nullum principium excedat vires naturæ. Item eſſe vitale, eſt prædicatum affirmatiuum, ſonat enim idem, ac eſſe à principio intrinſeco, ac proinde ſatis eſt, vt aliquid ſit vitale, ſi ſit ab vno principio intrinſeco: è contra verò eſſe non vitale, eſt prædicatum negatiuum: nam ſonat, non eſſe à principio intrinſeco; quare ad hoc, vt aliquid ſit non vitale, debet à nullo principio intrinſeco eſſe. Ex hac doctrina collegi in Phyſicis, Vnionem, quæ eſt inter animam rationalem, & corpus, etiam ſi recipiatur. & pendeat ab vtraque parte, quarum vna eſt ſpiritualis: tamen eſſe materialem;*

quia eſſe materiale, eſt prædicatum poſitiuum: ſonat enim idem, ac pendere à materia; è contra verò eſſe ſpirituale, eſt non pendere à materia; atque ideo, etiam ſi Vnio pendeat ab anima ſpirituali; quia tamen pendet à materia ſaltem inadæquatè; abſolute erit materialis, Atque hæc obiter adnotaſſe ſi ſatis.

36 Obijcies tertiò, hic Syllogiſmus eſt Ariſtotelis ſecundo Cæli, cap. 4.

Omnes Stellæ, quæ non ſcintillant, ſunt prope nos.

Planetæ non ſcintillant,

Ergo Planetæ ſunt prope nos.

Benè concludit affirmatiuè, & tamen habet minorem negatiuam, ergo, &c.

37 Reſpondetur ex paulo ante dictis, minorem eſſe affirmatiuam de prædicato infinito, alioquin nihil concluderet.

38 Obijcies quarto hic Syllogiſmus bene concludit affirmatiuè, & tamen habet maiorem negatiuam, ſcilicet

Si nullus homo eſſet ſenſitiuus, nullus homo eſſet animal,

Sed omnis homo eſt animal.

Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

39 Reſpondetur Syllogiſmū eſſe hypotheticū, de quo infra: in eo autem concluſionem ſequi immediatè ex minori: ex maiori verò mediatè; quatenus continet in ſe hanc categoricam affirmatiuam, ſcilicet, Omne animal eſt ſenſitiuum.

CA-

CAPVT X.

De Regulis Singularum. Figurarum.

PRIMAE FIGVRAE.

1 PRima regula eſt; *ex maiore particulari in modis directis primæ figuræ nihil ſequitur*. v. g.

Aliqua ſubſtantia eſt Angelus,
Omnis homo eſt ſubſtantia,
Ergo aliquis homo eſt Angelus.

2 Ratio regulæ eſt, quia medius terminus debet in aliqua præmiſſa eſſe diſtributus. Sed maiori exiſtente particulari, nunquam medius terminus eſt diſtributus, ergo in tali caſu nunquam benè concluditur. Maior patet ex regula ſupra tradita. probatur minor, & primo medius terminus non eſt diſtributus in maiori, vt patet, cum ſit particularis, neque in minori; nam, cum in ea propoſitione medium prædicetur; conſequenter neque diſtribuitur ex regula etiam ſupra tradita, quod propoſitio vniuerſalis affirmatiua non diſtribuit niſi ſubiectum; ergo neque in maiori, neque in minori diſtribuitur medius terminus, quo poſito daretur antecedens verum, & conſequens falſum, vt patet in exemplo allato.

3 In modis autem indirectis primæ figuræ benè infertur concluſio, maiori exiſtente particulari, v. g. in *Friſeſomorum*.

Aliquod animal eſt equus,

Nulla arbor eſt animal,
Ergo aliquis equus non eſt arbor.
& ratio eſt, quia in Syllogiſmo indirecto minor poteſt eſſe negatiua, atque ita medius terminus diſtributiuè accipitur in ea.

4 Obijcies. Hic Syllogiſmus eſt bonus, & directè concludit in prima figura, licet maior ſit particulari; v. g.

Aliquod riſibile cantat;
Omnis homo eſt riſibilis;
Ergo aliquis homo cantat.

5 Reſpondetur argumentum concludere ratione materiæ: nam, ſi ratione formæ concluderet, etiam hic alius concluderet in eadem forma, cum tamen non concludat, v. g.

Aliquod animal eſt quadrupes.
Omnis homo eſt animal,
Ergo aliquis homo eſt quadrupes.

6 Secunda regula eſt. *Ex minori negatiua in modis directis primæ figuræ nihil ſequitur.* v. g.

Omnis Angelus eſt ſubſtantia,
Nullus Leo eſt Angelus,
Ergo nullus Leo eſt ſubſtantia.

7 Ratio eſt, quia maius extremum non eſſet diſtributum in maiori, vt eſſet in concluſione, eo quod in concluſione ſit propoſitio negatiua, & ſic eſſet fallacia à non diſtributo ad diſtributum, & conſequenter antecedens eſſet verum, & conſequens falſum. Si tamen inferatur concluſio indirecta, benè ſequitur minore exiſtente negatiua, vt patet in duobus modis indirectis, *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*, vt videre eſt in exemplis ſupra allatis in prima figura, eo, quod concluſio ſit particularis, & ſic non ſequeretur

vt

vitium ſupra dictum in ſuperiori Syllogiſmo.

SECVNDAE FIGVRAE.

8 Prima Regula eſt. *Ex maiori particulari nihil ſequitur*; v. g.

Aliqua ſubſtantia eſt corporea;
Nullus Angelus eſt corporeus;
Ergo aliquis Angelus *non eſt ſubſtantia.*

9 Hic syllogiſmus non concludit, quia committitur fallacia à non diſtributo ad diſtributũ, eo quod maius extremum non diſtribuitur in maiori, & diſtribuitur in concluſione, & ſic daretur antecedens verum, & conſequens falſum.

10 Secunda regula. *Ex duabus præmiſſis affirmatiuis nihil ſequitur.* v. g.

Omnis arbor eſt viuens;
Omnis homo eſt viuens;
Ergo omnis homo eſt arbor.

11 Ratio regulæ eſt, quia medius terminus nunquam eſſet diſtributus, eo quod ſemper eſſet prædicatum in propoſitione vniuerſali affirmatiua; in qua, ex regula ſupra tradita, diſtribuitur ſolum ſubiectum. Vnde fit celebre axioma. *Ex puris affirmatiuis in ſecunda figura nihil ſequitur:* eſſet enim antecedens verum, & conſequens falſum.

TERTIAE FIGVRAE.

12 Prima regula eſt. *Ex minori negatiua directè nihil ſequitur.* v. g.

Omnis Angelus eſt ſubſtantia,
Nullus Angelus eſt lapis.
Ergo aliquis lapis non eſt ſubſtantia.

13 Ratio eſt, quia maius extremum non eſſet diſtributum in maiori, & eſſet in conclu-

ſione, vt patet ex regula diſtributionis toties citata, & ſic daretur antecedens verum, & conſequens falſum.

14 Aduerte autem non ſequi hoc inconueniens, ſi maior ſit negatiua; nam in ea diſtribuitur maius extremum, & cum minor ſit vniuerſalis; minus extremum, quod eſt prædicatum minoris, non erit quidem diſtributum; ſed propterea infertur concluſio particularis, vbi neque tale ſubiectum diſtribuitur; v.g.

Nullus Angelus eſt corporeus,
Omnis Angelus eſt ſubſtantia;
Ergo aliqua ſubſtantia non eſt corporea;

15 Obijcies. Quando in bono ſyllogiſmo præmiſſæ inferunt bonam concluſionem, ſi eædem tranſponantur, ita vt maior fiat minor, & ex minori maior: eadem concluſio inferri poteſt; ſed in exemplo allato infertur bona concluſio in *Felapton*; ergo, ſi tranſponantur, præmiſſæ, adhuc bona infertur concluſio.

16 Reſpōdetur Præmiſſas ſi tranſponātur inferre eandem concluſionem indirectè, non directè. v. g. in exemplo allato; ſi Præmiſſæ tranſponantur hoc pacto.

Omnis Angelus eſt ſubſtantia,
Nullus Angelus eſt corporeus;

non poteſt inferri directa concluſio, ſcilicet,

Ergo aliquod corporeum non eſt ſubſtantia,

quia eſſet falſa; ſed indirecta, hoc modo.

Ergo aliqua ſubſtantia non eſt corporea.

17 Secunda Regula *Concluſio ſemper eſt particularis, licet præmiſſa ſint vniuerſales.* v. g. *in Darapti.*

Omne Sidus eſt incorruptibile,

Om-

Omne Sidus eſt lucidum,
Ergo aliquod lucidum eſt incorruptibile.
non enim valeret
Ergo omne lucidum eſt incorruptibile.

18 Ratio Regulæ eſt, quia aliquod extremũ, quod non eſſet diſtributum in præmiſsis, eſſet in concluſione: nam, cum præmiſſæ ſint vniuerſales affirmatiuæ, nunquam diſtribuitur prædicatum, & ſic terminus, *Lucidum*, non poteſt accipi vniuerſaliter in concluſione, cum non ſit acceptũ in præmiſsis. idem accidit in *Felapton*, in quo modo, cum minor ſit vniuerſalis affirmatiua, prædicatum illius non diſtribuitur, & cum in cõcluſione, prædicatum minoris ponatur pro ſubiecto, non poterit ſupponere vniuerſaliter, nec facere propoſitionem vniuerſalem, quia talis terminus eſſet diſtributus in concluſione, & non in præmiſsis; & ſic antecedens eſſet verũ, & conſequens falſum. Ex his

19 Colligitur primo ex prædictis regulis facilè dignoſci vitia ſingulorum Syllogiſmorum inutilium tabulæ ſupra poſitæ. Semper enim inuenietur aliquis defectus diſtributionis.

20 Colligitur ſecundo, poſſe quidem dari aliquos alios Syllogiſmos in ſecunda, & tertia figura benè quidem, ſed indirectè concludentes poſita tranſpoſitione præmiſſarum: non tamen hìc enumerari, quia, cum hæ figuræ ſint natura ſua imperfectæ, addere modos indirectos in illis, eſſet res inutilis, & quæ longa indigeret probatione, vt reducerentur tales ſyllogiſmi ad modos directos primæ figuræ, quod requiritur ad probandam bonitatem illationis aliorum Syllogiſmorum, exceptis illis quatuor

pri-

primæ Figuræ.

21 Colligitur tertio, particulam excluſiuam habere vim diſtribuendi, & adæquandi prędicatum cum ſubiecto: non quidem terminum, ſupra quem cadit particula excluſiua, ſed alium, quem excludit ex ſupradictis de propoſitione excluſiua, vt vides in hoc Syllogiſmo in tertia Figura.

Solum corpus animatum eſt homo,
Sed nullum corpus animatum eſt lapis,
Ergo nullus lapis eſt homo,

Senſus maioris eſt, *Corpus animatum eſt homo, & nullum, quod non eſt corpus animatum eſt homo.*

Item in ſecunda Figura.

Tantum ens ſubſtantiale eſt homo,
Sed omne rationale eſt homo,
Ergo omne rationale eſt ens ſubſtantiale,

Vbi vides Concluſionem eſſe affirmatiuam: poni tamen loco ſuæ æquipollentis negatiuæ de prædicato infinito, ſcilicet

Omne rationale non eſt non ſubſtantiale.

nam illa maior æquiualet huic: *Ens ſubſtantiale eſt homo, & nullum non ſubſtantiale eſt homo*: vbi propoſitio eſt negatiua de ſubiecto infinito.

22 Aduerte abſolutè loquendo in Syllogiſmo non admitti propoſitiones excluſiuas: tum quia habent vim duarum propoſitionum, ex dictis: tum ſecundo, quia ſæpe ratione huius particulæ fit variatio terminorum; vt in hoc Syllogiſmo,

Omnes animal eſt ſenſitiuum,
Omnis, ac ſolus homo eſt animal; ergo &c.

Mi-

Minor eſt falſa; nam ſenſus eſt, quod ita homo ſit animal, vt alia, quæ non ſunt homo non ſint animalia: & ſic eſt duplex propoſitio.

23 Aduerte demum, aliud eſſe propoſitionem eſſe indirectam, aliud concluſionem eſſe indirectam, ſeu Syllogiſmum indirectè concludere. Propoſitio indirecta eſt, cum aliquid minus latè patens prædicatur de aliquo magis latè patente: v. g. *animal eſt homo*, quæ dicitur etiam prædicatio innaturalis. Concluſio verò indirecta, ſeu Syllogiſmus indirectè concludens, eſt, cum minor extremitas prædicatur de maiori: quarè poteſt eſſe concluſio directa, etiam ſi eadem ſit propoſitio indirecta: verbi gratia in *Darij*.

Omne animal eſt corpus,
Aliqua Subſtantia eſt animal,
Ergo aliqua Subſtantia eſt corpus.

Vbi vides concluſionem eſſe directam, cum prædicatum ipſius ſit idem, ac prædicatum maioris: eſt tamen indirecta propoſitio, quia corpus minus latè patet, quam ſubſtantia, de qua prædicatur.

Alia plura vide apud ſummuliſtas.

CAPVT XI.

An præter tres figuras aſſignanda ſit quarta, quæ dicitur Galeni.

Appendix 1. Gen.

C*onimb. primo priorum, c. 7. q. 1. ar. 1. initio aiunt Auerroem in Comment.* [illegible]

pitis tribuere inuentionem huius figura Galeno: qua in re credendum Auerroi, cum in operibus Galeni, qua extant, non reperiatur. Tenent multi, praſertim medici. In hac figura medius terminus pradicatur in maiori, & ſubijcitur in minori; vnde fiunt nouem modi ſignificati his verbis.

Barbara, Calerent, Dirai, Fireo, Baralipton, Calentes, Dibatis, Fepaſmo, Freſiſomorum.

v.g. Bar- *Omnis homo eſt animal,*
ba- *Omne animal eſt Subſtantia.*
ra. *Ergo omnis homo eſt ſubſtantia.*

Secundus Modus.

Ca- *Omnis auaritia eſt vitium.*
le- *Nullum vitium eſt bonum.*
rent. *Ergo nulla auaritia eſt bona.*

Tertius Modus.

Di- *Aliqua Scientia eſt iucunda.*
ra- *Omne iucundum eſt amabile.*
i. *Ergo aliqua ſcientia eſt amabilis.*

Quartus Modus.

Fi- *Quoddam corpus eſt viuens.*
re- *Nullum viuens eſt lapis.*
o. *Ergo quoddam corpus non eſt lapis.*

Baralipton *eſt idem modus, ac* Barbara, *niſi facta conuerſione Concluſionis, qua conuerti debet per accidens, id eſt in argumento ſuprafacto.* Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo. *Idem dicendum de* Calentes, *&* Dibatis, *quod ſint ijdem modi ac* Calerent, *&* Dirai, *facta conuerſione conſequentis iuxta regulas conuerſionis ſupra traditas.* Octauus Modus.

Fe- *Nullus Angelus eſt corpus,*
paſ- *Omne corpus eſt ſubſtantia.*
mo. *Ergo aliqua ſubſtantia non eſt Angelus*

No-

Nonus Modus.

Fre- *Nullum viuens eſt Elementum,*
ſi- *Aliquod Elementum eſt corpus,*
ſo. *Ergo aliquod corpus non eſt viuens.*

Atque hi ſunt modi huius figuræ:

2 *Probatur primo difficili argumento, & ſatis claro: Tot ſunt figuræ, quot ſunt diſpoſitiones medij termini cum extremis; ſed datur quarta diſpoſitio medij termini cum extremis; ergo datur quarta figura. Maior patet ex dictis ſupra de figuris; probatur minor. Poteſt dari hæc diſpoſitio medij termini, vt ſcilicet, prædicetur in maiore, & ſubijciatur in minore.*

3 *Probatur ſecundo ſola tranſpoſitio præmiſſarum retinentium eandem terminorum diſpoſitionem facit diuerſos modos in aliqua figura; v g. in* Cæſare, *&* Cameſtres; *vel in* Dabitis, *&* Diſamis; *ſed in Syllogiſmo Galeni non ſolum eſt tranſpoſitio præmiſſarum, ſed etiam medij termini, ergo talis Syllogiſmus conſtituet figuram diuerſam.*

4 *Probatur tertio. Hæc figura benè concludit; & neceſſario ex vi formæ, ergo eſt bona.*

5 *Secunda ſententia, & communis eſt reijcientium hanc quartam figuram. Eſt in primis Ariſt. qui primo Prior. cap. 2 concludit,* Neceſſe, *inquit,* fieri omnem Syllogiſmum per tres prædictas figuras. *Eſt Auerrois, cuius rationes vide apud Zabb lib. de quarta figura Galeni.*

6 *Tertia ſententia eſt Zabarellæ citati, qui in fine libri concludit hanc quartam figuram reduci ſecundario ad primam, eo quod obliquè, & indirectè concludat.*

7 *Pro ſolutione. Notandum* 1. *diuerſitatem eſſentialem figurarum ſumi à diuerſa diſpoſitione*

medij termini cum extremis, vt ſupra vidimus, ideſt 1. vt ſemel ſubijciatur, ſemel prædicetur 2. vt bis prædicetur 3 vt bis ſubijciatur iuxta hanc enumerationem, certum eſt figuram Galeni non eſſe diuerſam à prima.

8 *Not. 2, non futuram diuerſam primam figuram eſſentialiter ab ea quæ nunc eſt, ſi tranſponantur ſolum præmiſſæ ideſt maior ponatur ſecundo loco, & primo ponatur minor, ſiue quod ex maiore fiat minor, & ex minore maior, modo propoſitiones remaneant inuariatæ, & ad ſummum eſt quædam innaturalitas, & imperfectio, quæ non variat eſſentiam; cum remaneat eadem diſpoſitio medij termini, & habeatur eadem concluſio.*

9 *Not. 3 rationem* maioris, & minoris extremi *diximus deſumi in ordine ad concluſionem; vt ille terminus ſit* maior extremitas, *qui eſt prædicatum concluſionis, ille ſit* minor, *qui eſt ſubiectum eiuſdem. idque pro omnibus figuris, & modis earum; exceptis indirectis primæ figuræ, qui propter hoc ipſum indirectè concludunt, & ſunt innaturales, quia ex ſubiecto modi naturalis faciunt prædicatum, & ex prædicato ſubiectum. Hoc diximus in genere, quia in ſecunda, & tertia figura, cum non ſint perfectæ, vt prima, & medius terminus, vel bis ſubijciatur, vel bis prædicetur: non poteſt deſumi ratio maioris, vel minoris extremitatis aliunde quam in ordine ad concluſionem modo dicto: In prima vero figura, in qua medius terminus ſemel ſubijcitur & ſemel prædicatur, vt fiat prædicatio maxime naturalis quam exigit prima figura: debet ſemper prædicari terminus magis latè patens de minus latè patenti, vel ſaltem, vt ſint termini æque latè patentes. quo poſito cum eo modo*

con-

connectantur termini in concluſione, quomodo connectuntur cum medio termino in præmiſsis: ratio maioris, vel minoris extremitatis ex tali connexione deſumenda eſt, quando medius terminus ſemel ſubijcitur, ſemel prædicatur; & ita maior extremitas erit prædicatum medij termini, minor vero extremitas erit ſubiectum eiuſdem. Prædicatum *enim medij, cum poſsit magis latè patere, quam ipſe medius terminus, & prædicetur vt continens illum ex dictis; dicetur maior extremitas, ſubiectum vero eiuſdem medij termini, cum non poſſit magis latè patere, quam medius terminus, & ſit contentum ſub medio, ideo erit minor extremitas v. g.*

Omne animal eſt viuens
Omnis homo eſt animal
Ergo omnis homo eſt viuens.

vides, viuens *prædicatum medij termini magis latè patere, quam* animal, *quod in ſe continet, & ly* homo *minus latè patere quam* animal, *et ab eo cōtineri; nō nego tamen poſſe ſumi etiā terminos æque latè patentes imo etiam minus, ſaltem in alijs modis, præter* Barbara, *ſed hoc non tollit quominus talis diſpoſitio terminorum ſit perfectiſsima & in ea præcipuè niti primam figuram iuxta principia illa* Dici de omni & Dici de nullo.

10 *Dicendum primo, quartam figuram* Galeni *eſſe eandem cum prima Ariſtotelis* Et *modos illius cum modis eiuſdem primæ figuræ Ariſtotelis.*

11 Probatur *prima pars, eſt eadem diſpoſitio medij cum extremis, ergo eſt eadem figura; patet antecedens, quia in prima figura ſemel ſubijcitur medius terminus, & ſemel prædicatur. probatur conſequentia quia ex tali diſpoſitione ſumitur diuerſitas eſſentialis figurarum; cum figura non ſit aliud,*

quam

quam diſpoſitio medij cum extremis.

12 *Probatur ſecunda pars; omnes modi Galeni, per ſolam mutationem præmiſſarum ſunt modi primæ figuræ Ariſtotelis ergo ſunt ijdem modi, patet antecedens, ex enumeratione, & conſideratione ſingulorum, vt videre eſt in modis figuræ Galeni enumeratis. probatur conſequentia, quia tranſpoſitio præmiſſarum, vt non variat diſpoſitionem medij cum extremis, ita nec variat figuram; & multo minus modos. vt optime probat quidam ingenioſus recentior.*

13 *Dices primo; in prima figura Ariſtotelis medius terminus ſubijcitur in maiori, & prædicatur in minori; in figura autem Galeni prædicatur in maiori, & ſubijcitur in minori, ergo ſunt diuerſæ figuræ.*

14 *Reſpõdetur, trãſeat antecedens, negatur conſequentia; tum quia talis tranſpoſitio non eſt eſſentialis, & ſemper illa erit maior propoſitio, in qua erit maior extremitas, ſeu prædicatum quæſiti, ac medij, illa minor, in qua erit ſubiectum eiuſdem quæſiti, & medij; quæſitum autem intelligo propoſitionem probandam, ad quam aſſumitur medius terminus, quare modi Galeni erunt innaturales accidentaliter non eſſentialiter; tum etiam quia, ſi ſolum ex trãſpoſitione præmiſſarum multiplicarentur figuræ, vel modi; plures aſsignarentur figuræ, & modi illis, qui iam ſunt in ſecunda, & tertia figura; & in ſecunda figura poſſet dari* feſtino *&* fiſteno *ex tranſmutatione præmiſſarum, & ſic de cæteris, vt patet conſideranti tabulam.*

15 *Dices ſecundo, ex ſola trãſpoſitione præmiſſarum variantur modi, vt in* Ceſare, *&* Cameſtres, *item in* Datiſi, *&* Diſamis, *ergo, &c.*

Re-

Reſpondetur nego antecedens, nã eſt variatio in eo etiam quod in Ceſare *medium coniungitur cũ maiori extremo vniuerſaliter negatiue cum minori extremo vniuerſaliter affirmatiue: in* Cameſtres *vero oppoſito modo ſe habet. Diuerſa autem coniunctio extremorum cum medio ſecundum qualitatem, vel quantitatem variat modos.*

16 Collige *demum: licet figura Galeni habeat aliquam innaturalitatem accidentalem in illa tranſpoſitione premiſſarum, propter hanc non eſſe reijciẽdam; nam multo magis reijciendi eſſent modi indirecti primæ figuræ; habent enim modi Galeni maiorem forte claritatem, & facilitatem inferendi, quam modi indirecti primæ figuræ vt patet conſiderãti & in quotidianis diſputationibus ſapè docti viri vtuntur illis. An autem Galenus inuenerit modos indirectos primæ figuræ, quæſtio leuis eſt: ſanè* Ariſtoteles *primo prior. c. 7. aſsignat duos illos modos indirectos* Fapeſmo, & Friſeſomorum; *quicquid ſit quod Galenus ita ordinauerit tales modos de quo non diſputo.*

CAPVT XII.

De Reductione Syllogiſmorum imperfectorum ad perfectos, & indirectorum ad directos.

Appendix 1. Gen.

1 QVatuor *tantum eſſe diximus Syllogiſmos perfectos in prima Figura,* Barbara, Celarẽt, Darij, Ferio; *alios verò eſſe indirectos in eadem fi-*

figura, & imperfectos in ceteris figuris, qui debent poſſe reduci ad perfectos. Dupliciter autem reduci poſſunt; primo oſtenſiuè. ſecundo ad impoſsibile. Reductio oſtenſiua eſt, in qua præmiſſas vel tranſponendo, vel conuertendo, reducuntur Syllogiſmi imperfecti, & fiunt perfecti: *pro qua reductione ſit.*

2 *Prima regula. Omnes illi modi, qui incipiunt ab eadem conſonante, à qua incipiunt perfecti, reducuntur ad modos illos perfectos; v. g.* Celantes *ad* Celarent; Baralipton *ad* Barbara. *Ab hac regula excipiendi ſunt* Brocardo, *&* Baroco, *qui reduci tantum poſſunt ad impoſsibile: quia vterque habet alteram præmiſſam particularem negatiuam, quam nullus modus perfectus habet,*

3 *Secunda regula eſt. In illis modis imperfectis, in quibus reperitur littera,* P, *denotatur propoſitionem expreſſam per vocalem præcedentem conuertendam eſſe per accidens: in illis vero modis, in quibus reperitur littera,* S. *denotatur propoſitionem ſignificatam per vocalem præcedentem conuertendam eſſe ſimpliciter: in quibus verò reperitur littera,* M, *ſignificatur mutandum eſſe ordinem præmiſſarum, ita vt minor fiat maior, & maior fiat minor: Demum littera,* C, *in medio dictionis denotat modum illum, in quo reperitur, non poſſe reduci oſtenſiuè, ſed ad impoſsibile, quales eſſe diximus* Brocardo, *&* Baroco: *atque vt res illuſtretur exemplis, ſit hic Syllogiſmus in* Diſamis *tertia figura,*

Di Aliquis Angelus eſt Spiritus;
ſa Omnis Angelus eſt Subſtantia,
mis Ergo aliqua Subſtantia eſt Spiritus.

Re-

Reduci debet ad Darii, *hac ratione. In dictione* Diſamis *præter litteram,* D, *de qua non habetur ratio, reperiuntur tres conſonantes,* S, M, S, *& primo poſt,* I, *ponitur,* S, *& ſenſus, eſt, quod propoſitio particularis affirmatiua expreſſa per litteram,* I, *conuerti debeat ſimpliciter. Deinde littera,* M, *denotat mutandas eſſe præmiſſas, vt ex maiore conuerſa fiat minor. Rurſus littera,* S, *quæ ponitur poſt vltimum,* I, *denotat concluſionem conuertendam eſſe ſimpliciter. Quibus omnibus permutatis, & diſpoſitis,* Diſamis, *euadet* Darij, *hac ratione.*

Omnis Angelus eſt Subſtantia.
Aliquis Spiritus eſt Angelus.
Ergo aliquis Spiritus eſt Subſtantia.

4 *Item hic modus in* Ceſare *ſecunda figura.*

Nulla virtus eſt vitium, Omnis ſuperbia eſt vitium.
Ergo nulla ſuperbia eſt virtus.

Reduci debet ad Celarent: *nam in* Ceſare *reperitur ſolum littera,* S, *poſt,* E, *per quam denotatur primam propoſitionem conuertendam eſſe ſimpliciter, relinquendo alias, vt iacent; hac ratione:*

Nullum vitium eſt virtus, Omnis ſuperbia eſt vitium.
Ergo nulla ſuperbia eſt virtus.

5 *Obijcies. Concluſio particularis in* Baralipton *debet conuerti in vniuerſalem, vt reducatur ad* Barbara; *ſed hæc conuerſio ſæpè fit cum falſitate, ergo reductio illa non eſt bona; verbi gratia. Si concluſio ſit;* ergò aliquod Cœlum eſt ſubſtantia, *falsò conuertetur*, ergo omnis ſubſtantia eſt Cœlum.

Re-

6 Reſpondetur, dupliciter nos loqui poſſe de propoſitione particulari, vel ſimpliciter, & ſecundum ſe; & concedimus ſapè conuerti cum falſitate, vel de propoſitione vt pendet à talibus pramiſſis benè diſpoſitis, & veris; & nego conuerti cum falſitate: atque hoc accidit in Baralipton *cum reducitur ad* Barbara; *concluſio enim potius dicitur reduci ad ſuum ſtatum, quam conuerti ſimpliciter, vt patet in hoc Syllogiſmo in* Barbara.

Omne corpus eſt ſubſtantia,
Omne Cælum eſt corpus,
Ergo omne Cœlum eſt ſubſtantia:

Si concluſio conuertatur per accidens Ergo aliqua ſubſtantia eſt Cælum; *argumentum erit in* Baralipton. *Quare, ſi prima vice fiat in* Baralipton, *per ſolam conuerſionem concluſionis, erit* Barbara, *quam Conuerſionem vides eſſe reductionem propoſitionis ad ſuum ſtatum naturalem, quod accidit in omni materia: atque ita benè tenet iſta concluſio, datis pramiſſis eodem modo diſpoſitis.*

7 Alia breuior tradi poſſet regula ſine tot litteris, vt ſcilicet propoſito aliquo Syllogiſmo imperfecto, ſtatim videamus ad quem modum reduci debeat ratione prima conſonantis ſimilis prima conſonanti modi perfecti: Deinde attendatur qualitas, & quantitas pramiſſarum; qua immutentur, vt exigit talis modus perfectus, & ſtatim erit facta reductio. v. g. in Darapti *tertia figura,*

Omne rationale eſt riſibile,
Omne rationale eſt animal,
Ergo aliquod animal eſt riſibile.

Re-

Reducendus eſt ad Darii. *medius terminus eſt* rationale, *vt patet, quod, ſi diſponatur iuxta regulas primæ figuræ, ſtatim* Darapti *inuadet regnum* Darij, *hac ratione.*

Omne rationale eſt riſibile.
Aliquod animal eſt rationale,
Ergo aliquod animal eſt riſibile.

8 *Aduertendum autem ante reductionem in his modis,* Baralipton, Celantes, Dabitis, Cameſtres, Diſamis, *conuertendum eſſe conſequens, vt ex ſubiecto fiat prædicatum; v.g. in* Cameſtres *ſecunda figura.*

Omnis homo eſt riſibilis,
Nullus Equus eſt riſibilis,
Ergo nullus Equus eſt homo.

Conuertatur concluſio iuxta regulas conuerſionis, & cum hic ſit propoſitio negatiua conuertatur ſimpliciter: diſponatur rurſus medius terminus iuxta regulas primæ figuræ, & ſtatim Cameſtres *permutabitur in* Celarēt, *hac ratione.*

Nullum riſibile eſt Equus,
Omnis homo eſt riſibilis,
Ergo nullus homo eſt Equus.

Seruanda etiam hic eſt illa regula, quam ſupra tradidimus in Baralipton: *vt ſcilicet conſequens conuertatur per accidens, ideſt particularis affirmatiua in vniuerſalem item affirmatiuam; qua facta conuerſione reducetur ad* Barbara. *Excipiendi ſunt autem modi* Brocardo, *&* Barocc *propter rationem ſupra allatam.*

9 *Reductio ad impoſſibile eſt, cum negata conſequentia, ſeu concluſione Syllogiſmi ab Aduerſario (eo quod dicatur non eſſe in bona forma) fit propoſitio contradictoria concluſioni negata; ex*

quæ cum alia ex propoſitionibus conceſſis fiunt tales præmiſſæ, ex quibus inferatur concluſio contradictoria alicui ex præmiſſis, ex quo cogitur Aduerſarius, vel concedere duo contradictoria eſſe ſimul vera, vel negare quod iam conceſſerat.

10 *Pro modis indirectis primæ figuræ, ſi negetur concluſio, ſumenda erit contradictoria illius propoſitionis, ita vt fiat maior, & maior, quæ erat antea, fiat minor: deinde inferatur concluſio, quæ poteſt in tali figura, & modo, quæ regula memoriæ cauſa, hoc verſiculo comprehenditur.*

Maiorem oppoſitum pellit, maiorque minorem.

Et ſenſus eſt iam dictus; ſcilicet, quod contradictoria concluſionis fiat maior, & pellat maiorem de loco ſuo, illamque faciat minorem; minor verò, quæ antea erat, tollatur, & inferatur concluſio, modo dicto. v. gr. fiat hic Syllogiſmus in Baralipton.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omnis homo eſt animal,
Ergo aliqua ſubſtantia eſt homo.

Neget qui concluſionem, ſtatim ſumatur propoſitio illi contradictoria, quæ erit, Nulla ſubſtantia eſt homo, *tunc tollatur minor, & ſubrogetur pro minore maior, & inferatur concluſio, hac ratione.*

Nulla ſubſtantia eſt homo,
Omne animal eſt ſubſtantia,
Ergo nullum animal eſt homo.

Iam iſta propoſitio contradictoria eſt minori propoſitioni, quam conceſſit, non quidem immediatè, ſed mediatè, quatenus illa minor continet particularem, ſcilicet, Aliquis homo eſt ani-

nimal, & *iſta*, nullum animal eſt homo *per regulas conuerſionis poteſt fieri*, Nullus homo eſt animal, *quæ eſt immediatè contradictoria illi*, Aliquis homo eſt animal.

Excipitur ab hac regula Celantes; *qui Syllogiſmus, vt reducatur ad impoſſibile, debet contradictoria concluſionis negata fieri minor, & quæ erat minor, fieri maior, expulſa ea, quæ erat maior, ex quibus præmiſſis inferetur concluſio contradictoria maiori conceſſæ, vt patet applicando regulam in exemplo ſupra allato.*

12 *Pro ſecunda figura* ~~in modo Celantes~~, *ſi negetur concluſio, tunc aſſumatur maior conceſſa, & pro minore ponatur contradictoria concluſionis negatæ, & inferatur concluſio, quæ poteſt. Hæc regula hoc verſu continetur.*

Stat maior, trahit oppoſitum de ſede minorem.

V. gr. fiat hic Syllogiſmus in Ceſare,

Nullus homo eſt hinnibilis,
Omnis Equus eſt hinnibilis.
Ergo nullus Equus eſt homo.

Si negetur concluſio, aſſumatur eius contradictoria, quæ eſt, Aliquis Equus eſt homo *& retenta maiore, ponatur iſta propoſitio pro minore. Deinde inferatur concluſio, quæ ſequitur, hoc pacto.*

Nullus homo eſt hinnibilis.
Aliquis Equus eſt homo.
Ergo aliquis Equus non eſt hinnibilis.

Quæ concluſio eſt contradictoria minori ſupra conceſſæ, ſcilicet, omnis Equus eſt hinnibilis.

13 *Pro tertia figura. Si negetur concluſio, aſ-*

ſumatur contradictoria illius, & ponatur loco maioris, retenta eadem minore, inferatur concluſio, quæ poteſt. Continetur hæc regula hoc verſu.

Stat minor, oppoſitum ſcandit maioris ad ædem.

Si quis enim neget concluſionem in Darapti, *verbi gratia*

Omne rationale eſt riſibile,
Omne rationale eſt animal.
Ergo aliquod animal eſt riſibile.

Aſſumatur contradictoria concluſionis negatæ, quæ erit, nullum animal eſt riſibile. *& ponatur pro maiore cum minore, quæ erat antea; fiet talis Syllogiſmus.*

Nullum animal eſt riſibile,
Omne rationale eſt animal,
Ergo nullum rationale eſt riſibile.

Hæc concluſio virtute eſt contradictoria maiori conceſſæ, licet ſit tantum contraria, quia cum infertur propoſitio vniuerſalis, poteſt etiam inferri particularis, ideſt, aliquod rationale non eſt riſibile*: quæ propoſitio eſt contradictoria maiori conceſſæ, ex dictis: Alias regulas, ſeu eaſdem diuerſo modo traditas videat, qui velit apud Summuliſtas.*

CAPVT XIII.

De inuentione medij.

1 DEuenimus ad famoſum multorum Tyronum naufragio *Pontem*, qui ab antiquis di-

dicitur Ars *inueniendi medium*, à Sophiſtis *Pons Aſinorum*. Sumpſit autem appellationem à *ponte*, eo quod, ſicut pons eſt ratio faciens cõtinentem vtramque partem ripæ: ita medium eſt ratio connectens vtrumque extremum. Dicitur *Aſinorum*, quia in inuentione medij diſcernũtur ingenioſi à rudibus; eo quod ingenioſi, qualibet propoſitione poſita, & negata; per negationem quaſi interrupta extrema, ipſi ſtatim per mediũ, quaſi *pontem* connectunt; Rudes verò hærentes non progrediuntur vlterius. Deſcribi autem poſſet *hac Ars, eſſe facultas, per quam, poſita quacumque propoſitione, inueniatur vnus terminus, qui ſit medium ad concludendam illam in aliqua certa figura, & modo*. Nos è veteribus artem quidẽ extrema connectendi mutuabimur; *Pontem* vero, vt non admodum vtilem vitabimus; tenuem, ſed tutam cymbam prætereuntibus cõparantes, qua ſine naufragij, vel deturbationis metu fluuium poſſint traijcere Tyrones.

2 Ariſtoteles primo priorum, c. 29. poſt tradita principia, quæ ſunt quaſi à priori. *Dici* ſcilicet *de omni, & de nullo* regulatiua boni Syllogiſmi: ſubdit duo alia principia, quibus à poſteriori oſtendit inutilem combinationem præmiſſarum ad inferendam concluſionem, quæ appellat, *Dari terminos in quibus omni*, & *Dari terminos in quibus nulli*. Cum enim enumeraſſet aliquas combinationes Syllogiſmorum inutiles, voluit illas probare per prædicta principia. Quibus generalibus principijs poſitis, aſsignat ſex regulas inueniendi medium aptum pro ſingulis Syllogiſmis, quas nos ad quatuor tantum reducemus. Pro quibus intelligendis.

3 Notandum primo, Syllogiſmum includere primo *quæſtionem*, quæ eſt propoſitio probanda, & inferenda pro concluſione. *Quæſtio* autem quadruplex eſſe poteſt, prout quadruplex confici poteſt propoſitio probanda Prima eſt *vniuerſalis affirmatiua*; ſecunda *vniuerſalis negatiua*; tertia *particularis affirmatiua*; quarta *particularis negatiua*: ſecundo includere *medium terminum*, qui cum alijs duobus in propoſitione probanda contentis conſtituit ternarium terminorum, ita neceſſarium ad Syllogiſmum, vt nec pauciores eſſe poſsint, nec plures. Cum autem munus *medij termini* ſit iungere, vel diuidere extrema, ex eo, quod ſit cum illis coniunctus, vel diſiunctus: videndum quot modis poſſit cũ extremis comparari: quod generatim fieri debet faciendo illum, modo prædicatum, modo ſubiectum reſpectu extremorum propoſitionis probandæ. Pro qua re.

4 Notandum ſecundo; tenendam eſſe notionem harum vocum *Antecedens*, *Conſequens*, *Repugnans*, ſeu diſparatum, quatenus applicantur medio termino. Eſſe autem *antecedens*, eſt eſſe talem terminum, vt, ſi ex eo fiat propoſitio inferatur alius terminus, & hic, vel minus, vel æquè latè patere debet, ac terminus, qui infertur, non autem poteſt magis latè patere. v. g. *eſt homo, ergo eſt animal*, non è contra, & ſic in hac propoſitione; *homo eſt animal*, *ly homo* eſt antecedens reſpectu animalis. *Conſequens* eſt terminus, qui infertur ex alio, qui poteſt magis latè patere quam antecedens, non autem minus, vt eſt *animal* in exemplo allato. *Diſparatus*, ſeu repugnãs terminus eſt, qui neque infert alium, neque in-

fer-

ſertur ex alio, vt eſt *lapis* reſpectu hominis. Cōparando ergo medium terminum cum extremis: vno ex his modis ſe habebit reſpectu illorum. Nam, cum ex ſupradictis medius terminus reſpectu vnius extremi ſit prædicatum, reſpectu alterius ſubiectum, modò erit antecedens, modò conſequens, modò repugnans reſpectu illorum. Quare.

5 Notandum tertio, cum medius terminus magis latè patet alterutro, vel vtroque extremo, eſſe conſequens reſpectu illorum: cum autem minus latè patet, eſſe antecedens, cum æque latè patet, eſſe ſimul antecedens, & conſequens: cum demum nullam habet connexionem cum extremo, vel extremis, erit diſparatum, vel repugnans. Nouem autem modis comparari poteſt medius terminus cum extremis alicuius concluſionis, hoc eſt cum ſubiecto, & prædicato eiuſdem, vt benè notant Conimbr. 1. priorum, cap. 29. in explanatione eiuſdem capitis. Aut enim primo medius terminus eſt antecedens vtriuſque, vt eſt *homo* reſpectu animalis, & viuentis: aut ſecundo eſt conſequens reſpectu vtriuſque. vt eſt *corpus* reſpectu animalis, & hominis: aut tertiò repugnans vtrique, vt *lapis* reſpectu hominis, & animalis: aut quarto antecedens prædicati & conſequens ſubiecti: vt eſt hic terminus, *animal*, antecedens reſpectu corporis, & conſequens reſpectu hominis: aut quinto eſt conſequens prædicati, & antecedens ſubiecti: vt eſt *animal* reſpectu hominis, & corporis; nam infertur ab homine, & ſic eſt illius conſequens, & infert corpus, & ſic eſt illius antecedens: vel ſexto repugnans prædicati, & antecedēs ſubie-

3 Notandum primo, Syllogiſmum includere primo *quæſtionem*, quæ eſt propoſitio probanda, & inferenda pro concluſione. *Quæſtio* autem quadruplex eſſe poteſt, prout quadruplex confici poteſt propoſitio probanda Prima eſt *vniuerſalis affirmatiua*; ſecunda *vniuerſalis negatiua*; tertia *particularis affirmatiua*; quarta *particularis negatiua*: ſecundo includere *medium terminum*, qui cum alijs duobus in propoſitione probanda contentis conſtituit ternarium terminorum, ita neceſſarium ad Syllogiſmum, vt nec pauciores eſſe poſsint, nec plures. Cum autem munus *medij termini* ſit iungere, vel diuidere extrema, ex eo, quod ſit cum illis coniunctus, vel disiunctus: videndum quot modis poſſit cũ extremis comparari: quod generatim fieri debet faciendo illum, modo prædicatum, modo ſubiectum reſpectu extremorum propoſitionis probandæ. Pro qua re.

4 Notandum ſecundo; tenendam eſſe notionem harum vocum *Antecedens*, *Conſequens*, *Repugnans*, ſeu diſparatum, quatenus applicantur medio termino. Eſſe autem *antecedens*, eſt eſſe talem terminum, vt, ſi ex eo fiat propoſitio inferatur alius terminus, & hic, vel minus, vel æquè latè patere debet, ac terminus, qui infertur, non autem poteſt magis latè patere. v. g. *eſt homo, ergo eſt animal*, non è contra, & ſic in hac propoſitione; *homo eſt animal*, *ly homo* eſt antecedens reſpectu animalis. *Conſequens* eſt terminus, qui infertur ex alio, qui poteſt magis latè patere quam antecedens, non autem minus, vt eſt *animal* in exemplo allato. *Diſparatus*, ſeu repugnãs terminus eſt, qui neque infert alium, neque infer-

fertur ex alio, vt eſt *lapis* reſpectu hominis. Cõparando ergo medium terminum cum extremis: vno ex his modis ſe habebit reſpectu illorum. Nam, cum ex ſupradictis medius terminus reſpectu vnius extremi ſit prædicatum, reſpectu alterius ſubiectum, modò erit antecedens, modò conſequens, modò repugnans reſpectu illorum. Quare.

5 Notandum tertio, cum medius terminus magis latè patet alterutro, vel vtroque extremo, eſſe conſequens reſpectu illorum: cum autem minus latè patet, eſſe antecedens, cum æque latè patet, eſſe ſimul antecedens, & conſequens: cum demum nullam habet connexionem cum extremo, vel extremis, erit diſparatum, vel repugnans. Nouem autem modis comparari poteſt medius terminus cum extremis alicuius concluſionis, hoc eſt cum ſubiecto, & prædicato eiuſdem, vt benè notant Conimbr. 1. priorum, cap. 29. in explanatione eiuſdem capitis. Aut enim primo medius terminus eſt antecedens vtriuſque, vt eſt *homo* reſpectu animalis, & viuentis: aut ſecundo eſt conſequens reſpectu vtriuſque. vt eſt *corpus* reſpectu animalis, & hominis: aut tertiò repugnans vtrique, vt *lapis* reſpectu hominis, & animalis: aut quarto antecedens prædicati & conſequens ſubiecti: vt eſt hic terminus, *animal*, antecedens reſpectu corporis, & conſequens reſpectu hominis: aut quinto eſt conſequens prædicati, & antecedens ſubiecti: vt eſt *animal* reſpectu hominis, & corporis; nam infertur ab homine, & ſic eſt illius conſequens, & infert corpus, & ſic eſt illius antecedens: vel ſexto repugnans prædicati, & antecedẽs ſubie-

ĉti: vt eſt *homo* reſpectu lapidis, cui repugnat, & reſpectu animalis, quod infert homo, & ſic eſt antecedens animalis: vel ſeptimo repugnans ſubiecti, & antecedens prædicati: vel octauo repugnans ſubiecti, & conſequens prædicati; vel nono repugnans prædicati, & conſequens ſubiecti: ſex priores combinationes ſunt vtiles ad concludendum, & reſpondent ſex regulis ab Ariſtotele aſsignatis. Tres vltimæ ſunt inutiles, vt poſt traditas regulas facilè conſtabit. his poſitis.

6 Prima regula eſt, ad confirmãdam propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, id eſt ad illam inferendam in Syllogiſmo, adhibendus eſt pro medio, terminus, qui ſit conſequens ſubiecti, & antecedens prædicati v.g. pro hac propoſitione, *Omnis homo eſt corpus*, aſſumendum pro medio *animal*, quod, quia minus latè patet, quã corpus, erit illius antecedens et quia magis late patet, quam homo, erit illius conſequens: & ſic formatur ſyllogiſmus in *Barbara*.

Omne animal eſt corpus,
Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt corpus.

7 Aduerte autem, regulam valere etiam, cum medius terminus æque latè patet, & conuertibiliter dicitur cum extremis; poterit prætereà prædicta regula inſeruire ad concludendam propoſitionem particularem affirmatiuam; v.g. in *Darij*.

Omne animal eſt corpus,
Aliquis homo eſt animal,
Ergo *aliquis homo eſt corpus.*

8 Secunda regula eſt. Ad probandam propoſitionem particularẽ affirmatiuã, medius termi-

minus debet eſſe antecedens prædicati, & ſubiecti. hæc regula non habet locum in ſecunda Figura, vbi nunquam concluſio eſt affirmatiua, vt habet in tertia, in qua medius terminus ſemper eſt ſubiectum, vt in modo *Darapti*. in quo medius terminus non poteſt magis latè patere, quàm prædicatum, & ſic ſemper eſt antecedens; verbi gr.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Omne animal eſt viuens,
Ergo aliquod viuens eſt ſubſtantia,

9 Inſeruit etiam regula modis, *Diſamis*, & *Datiſi* eiuſdem Figuræ; v.gr. ad inferendam eandem conclusionem in *Diſamis*.

Aliquod animal eſt ſubſtantia,
Omne animal eſt viuens,
Ergo aliquod viuens eſt ſubſtantia.

in *Datiſi* verò immutata minore Syllogiſmi *Darapti* ex vniuerſali in particularem elicietur eadem concluſio; v. gr.

Omne animal eſt ſubſtantia,
Aliquod animal eſt viuens,
Ergo aliquod viuens eſt ſubſtantia;

10 Pro *Baralipton* modo indirecto primę Figuræ, aſſignant Conimb. ex Ariſt. aliam Regulā, ſcilicet, quod medius terminus ſit conſequens prædicati, & antecedens ſubiecti. Verum cum ex dictis, *Baralipton* ſit idem, ac *Barbara* per ſolam tranſmutationem prædicati in ſubiectum concluſionis iuxta regulam conuerſionis vniuerſalis affirmatiuæ per accidens; non eſt aſſignanda alia regula pro hoc modo, quam illa, quæ eſt pro *Barbara*, vt per ſe patet. Valet etiam regula pro *Darij*, primæ Figuræ, quan-

do minor propoſitio eſt innaturalis, hoc eſt quod ſubiectum ſit magis latè patens, quam prædicatum, verbi gr.

Omnis ſpiritus eſt incorruptibilis,
Aliqua ſubſtantia eſt ſpiritus,
Ergo aliqua ſubſtantia eſt incorruptibilis,

11 Tertia Regula ad probandã propoſitionẽ vniuerſalem negatiuam pro modis *Celarent* primæ Figuræ, & *Ceſare* ſecundæ: medius terminus debet eſſe conſequens ſubiecti, & repugnans prædicati, in *Celantes* verò modo indirecto primæ, & *Cameſtres* modo ſecundæ, medius terminus debet eſſe repugnans ſubiecti, & conſequens prædicati, v. gr. in *Celarent* ad concludendum *hominem non eſſe lapidem*, ſumatur *animal*, quod repugnat prædicato, & eſt conſequens ſubiecti, & erit talis Syllogiſmus.

Nullum animal eſt lapis,
Omnis homo eſt animal,
Ergo nullus homo eſt lapis.

Eadem concluſio infertur in *Ceſare* ſecundę figuræ conuerſa maiore ſimpliciter iuxta regulas Conuerſionis; hac ratione

Nullus lapis eſt animal,
Omnis homo eſt animal.
Ergo nullus homo eſt lapis.

Vbi vides medium eſſe idem. ſcilicet *animal* repugnans prædicati, & conſequens ſubiecti.

12 In *Cameſtres* ſecundæ Figuræ eadẽ inferetur concluſio, ſumendo pro medio termino, *Senſus expers*, quod eſt conſequens prædicati, & repugnans ſubiecti, v. g.

Om-

Omnis lapis eſt ſenſus expers,
Nullus homo eſt ſenſus expers,
Ergo nullus homo eſt lapis.

13 Item in *Celantes* modo indirecto primæ Figuræ ſumatur idem medium ad inferendam eandem concluſionem, hac ratione.

Nullum ſenſus expers eſt homo,
Omnis lapis eſt ſenſus expers,
Ergo nullus homo eſt lapis.

14 Eadē Regula inſeruit particulari negatiuæ in *Ferio*, & *Feſtino*, immutatis minoribus prædictorum ſyllogiſmorum ex vniuerſalibus in particulares.

15 Quarta Regula. Ad confirmandā concluſionem particularem negatiuam, debet aſſumi medium, quod ſit antecedens ſubiecti, & repugnans prædicati. Quomodo concludes in *Ferio* modo directo primæ Figuræ: item in *Fapeſmo*, & *Friſeſomorum*, modis indirectis eiuſdem: in *Feſtino*, & *Barocco*, ſecundæ: in *Felapton*, *Brocardo*, & *Feriſon* tertiæ; verbi gr. in *Ferio* ad concludendum *aliquam ſubſtantiam non eſſe lapidem*, ſumatur pro medio, *Leo*, qui repugnat prædicato, & eſt antecedens ſubiecti; & erit talis Syllogiſmus.

Nullus leo eſt lapis,
Aliqua ſubſtantia eſt Leo,
Ergo aliqua ſubſtantia non eſt lapis.

16 Exempla aliorum modorum habentur in ſuperiore tabula, & licet in aliquibus medius terminus non minus latè pateat, quàm ſubiectum: tamen, quia eſt terminus conuertibilis cum illo, benè poteſt eſſe illius antecedens.

17 Vt autem prædictæ regulæ memoria retineantur; aliquæ dictiones aſſignantur, quibus omnes nouem combinationes medij termini cum extremis, ſupradictæ comprehenduntur.

Fecana, Cageti, Dafenes, Ebare, Gedaco, Gebali ſtant: ſed non ſtant Febas, Hebas, & Hecas.

18 In his dictionibus, exceptis vltimis tribus, in quibus ſunt tantum duæ vocales, habenda eſt primo ratio tertiæ vocalis, quæ denotat concluſionem, & valor vocalium eſt idem, ac ſupra poſitus in conuerſione propoſitionum. Quare *A*, v.g. denotabit concluſionem vniuerſalem affirmatiuam, & ſic de alijs. Secundo, in qualibet dictione ſunt duæ aliæ vocales, *A*, & *E*: & prima denotat prædicatum, ſecunda ſubiectum. tertio ſex conſonantes reperiuntur in prædictis dictionibus, *B*, *C*, D, *F*, *G*, *H*; aliarum verò conſonantium in fine prædictarum dictionum poſitarum, non habenda eſt ratio. Per *B*, denotatur medium, quod ſit conſequens ad prædicatum. Per C, antecedens ad idem. Per *D*, extraneum ad idem. Reliquæ tres conſonantes ſunt pro ſubiecto concluſionis inferendæ. Per *F*, denotatur conſequens ad ſubiectum. Per *G*, antecedens ad idem. Per *H*, demum ad idem extraneum, ſeu repugnans. In quauis autem dictione ex prioribus ſex, reperiuntur tres vocales, denotantes tres propoſitiones, quibus oſtenditur bonam eſſe combinationem præmiſſarum ad inferendam concluſionem: in tribus verò vltimis dictionibus non reperitur tertia vocalis, quia inutilis eſt

com-

combinatio ad inferendam concluſionem.
Vſus autem harum dictionum eſt huiuſmodi. Sumatur, v. g. *Fecana*: vltimum *A*, ſignificat concluſionem vniuerſalem affirmatiuam: deſumendum ergo eſt medium aptum iuxta regulas poſitas ad hanc concluſionem inferendam, quod ex dictis debet eſſe conſequens ſubiecti, & antecedens prædicati. Iam pro hoc explicando, ſumenda eſt conſonans, F, ante, E, & C, ante, A, & ſenſus eſt, quod ſit medius terminus conſequens ſubiecti, & antecedens prædicati. Et idem artificium eſt in reliquis dictionibus, quæ correſpondent ſingulis regulis traditis: nam licet pauciores regulas poſuerimus ſpectando ad numerum propoſitionum, quæ probari debent; tamen in ijs continentur omnes hæ dictiones, vt patet conſideranti.

19 Tres vltimas dictiones denotare inutiles combinationes bene explicant Conimb. citati, eo quod habeant medium terminum, qui nullo modo vtiliter combinari poteſt cum extremis: v. g. *Febas* denotat comparationem, in qua medium ſit conſequens prædicati, & ſubiecti, & conſequenter, quod vtraque præmiſſa ſit affirmatiua; quod fieri non poteſt, niſi in ſecunda figura, in qua medius terminus ſemper ſubijcitur; at ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura nihil ſequitur, & ſic talis diſpoſitio eſt inutilis ad inferendum. Idem dicendum de alijs dictionibus.

20 Supra meminimus duorũ principiorum, quibus Ariſtoteles vtitur ad dignoſcendam inutilem combinationem præmiſſarum ad inferendam concluſionem. *Dari* ſcilicet *terminos,* in

in quibus omni, *& dari terminos*, *in quibus nulli*. Quorum principiorum Fonſeca lib.6. c. 37. vbi breuiter, & dilucidè tradit prædictas regulas inueniendi medij, nullo modo meminit; Conimb. verò citati ſaltem expreſsè de ijs non agunt. Petrus Hiſp. tract. 4. tit. *Nonnulla ad horum prædictorum modorum*, &c. breuiter, & ſubobſcurè illa explicat, cui explicationi non omnino adhæret Sotus lib.5.prima par. c.8. lect.2. & aliam affert; neſcio an prædicta clariorem. Tol lib.4 cap. 13. vt eſt accuratus, & perſpicuus in tradendis prædictis regulis: ita in explicandis his principijs eſt ſubobſcurus. Bagnes demum lib.5. c.7.vt prædictas regulas omittit, ita hæc principia omnium breuiſſimè, & clariſſimè explicat.

21 Ego verò hic nolui omnium prædictorum Auctorum explicationes referre; tum quia longum eſſet: tum quia, vt mei fatear tenuitatem ingenij, à nemine potui adæquatam, & plenam expoſitionem colligere. Cenſent enim aliqui primo, hæc duo principia correſpondere ſuperioribus. *Dici de omni*, & *Dici de nullo*, non quidem a priori, vt illa, ſed à poſteriori; id eſt, quod iſta, quæ hìc afferuntur ſint indicia inutilis combinationis ad inferendam concluſionem: & primum quidem, hoc eſt *Dari terminos*, *in quibus omni*, inſeruire ad dignoſcendam inutilem combinationem terminorũ ex præmiſſis affirmatiuis. Secundum ad dignoſcendam eandem ex præmiſſis negatiuis, id eſt; quod data aliqua diſpoſitione terminorum in præmiſſis affirmatiuis, vt oſtendatur ex ea non bene deduci concluſio-

nem;

nem, detur ſimilis diſpoſitio terminorum in præmiſſis item affirmatiuis, ex quibus non bene ſequatur concluſio, ideſt, quod ſtet antecedens verum cum conſequenti falſo: & idem proportionaliter dicendum de principio negatiuo ſcilicet: *Dari terminos, in quibus nulli*; quæ principia ita explicata clarum habent ſenſum; quatenus tradunt indicium infallibile conſequentiæ formalis ſupra traditum. & hęc explicatio affertur à *T*oleto citato, vt ſcilicet in ſimilibus propoſitionibus, & terminis eodem modo diſpoſitis ſemper ita ſe habeat conſequentia formalis, vt non poſſit eſſe antecedens verum, & conſequens falſum.

22 Aliter ſecundo alij explicant, ponentes dicta principia indiuiſibiliter inſeruire ad probandam aliquam combinationem eſſe inutilem, ſiue affirmatiuæ ſint præmiſſæ, ſiue negatiuæ: vt ſenſus ſit, quod datis tribus terminis taliter diſpoſitis in præmiſſis, cum ijs ſtet concluſio in veritate. Vt autem oſtendatur prædictam concluſionem non ſtare in veritate cum pręmiſſis ex vi bonæ diſpoſitionis terminorum, aſſumendi ſunt alij tres termini eodem modo diſpoſiti in præmiſſis, ex quibus præmiſſis veris deducatur falſa concluſio, & ita in prædicta forma, ſeu diſpoſitione pręmiſſarum *dari ſimul terminos, in quibus omni, & in quibus nulli*, ideſt in quibus concluſio ſtet in veritate cum præmiſſis, quòd eſt eſſe *terminos in quibus omni*, & in quibus concluſio non ſtet in veritate cum præmiſſis, quod eſt *eſſe terminos in quibus nulli*; & tales terminos Ariſtoteles appellat, *in quibus non ſequitur Concluſio*.

Ali-

23 Aliter alij tertio explicant iſta duo principia inſeruire ad oſtendendam inutilem combinationem, hac ratione. vt denotent tunc aliquam combinationem terminorum eſſe inutilem, cum ex ijs tales conficiuntur pręmiſſæ, cum quibus poſſint ſtare in veritate duæ concluſiones oppoſitæ, vel contrariæ, vel contradictoriæ, quod eſt dari *terminos, in quibus omni, & in quibus nulli*, ita vt ly; *omni* ſonet veritatem, ly, *nulli*, falſitatem, ſeu ly, *omni* affirmationem, ly, *nulli*, negationem, ideſt, quod ex ijſdem præmiſſis inferri poſſit duplex concluſio, vna vera, altera falſa: vna affirmatiua; altera negatiua, ſiue contrariæ, ſiue contradictoriæ. Vnde licet inferre, quod, ſi duę propoſitiones contrariæ, vel contradictoriæ ſtent in veritate cum aliquibus præmiſſis, talis diſpoſitio inuoluat in ſe contradictionem, & repugnantiam; nam ex ea parte, qua infert affirmatiuam, non eſt apta inferre negatiuam, & ex qua infert negatiuam non eſt apta inferre affirmatiuam, vt fusè ſupra probaui de regulis Syllogiſmorum. Quæ explicatio videtur ſatis apta, & ad mentem Ariſtotelis. Et quamuis iſta principia videantur ſonare propoſitiones vniuerſales alteram affirmatiuam, alteram negatiuam denotatas per ly *omni*, & per ly *nulli*, & propterea non includi in eis propoſitionem contradictoriam, quæ eſt particularis affirmatiua: tamen, quia ex dictis de oppoſitione; vna contraria infert contradictoriam alterius contrariæ; hoc ipſo, quod dicitur ex aliqua diſpoſitione terminorum poſſe inferre duas contrarias implicitè dicitur poſſe inferri

con-

contradictorias. Deinde expreſsè Ariſtoteles; vt benè notat Bagnes citatus, ait dari etiam *Terminos in quibus, alicui inſit prædicatum*, & *dari terminos, in quibus alicui non inſit*. Exemplum prędictæ explicationis in terminis vniuerſalibus; ſit hæc diſpoſitio.

Animal currit, Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo currit.

Cum talibus pręmiſſis poteſt ſtare in veritate hæc alia propoſitio, *Nullus homo currit*, ſeu *aliquis homo non currit*. Ex quibus patet prædictam diſpoſitionem terminorum non eſſe legitimam, cum duę propoſitiones oppoſitę ſtent in veritate cum illa.

24 Ex quibus omnibus, illud vnum certum; & indubitatum colligere licet; ad dignoſcendam conſequentiam formalem optimum eſſe indicium; ſi in alia materia, poſita eadem diſpoſitione terminorum, non poſſit ſtare antecedens verum, & conſequens falſum. Qui plura cupit, videat Auctores citatos.

CAPVT XIV.

De Syllogiſmorum poteſtatibus, & defectibus.

1 ARiſtoteles ſecundo Priorum à cap. 1. vſque ad 16. ſex enumerat *poteſtates Syllogiſmorum*. Prima eſt, *plura concludendi*; quod accidit; primo, quia Syllogiſmus, qui infert ſubalternantem, poteſt inferre ſubalternatam; id eſt, qui infert vniuerſalem, poteſt inferre particu-

cularem, ſecundo, quia, qui infert conuerſam ; poteſt inferre conuertentem:v.g.qui infert; *omne album eſt corpus*, poteſt inferre, *aliquod corpus eſt album*.

2 Secunda eſt ; *Syllogizzandi verum ex falſo*, vt ſupra fusè probauimus de conſequentia.

3 Tertia eſt ; *ratiocinandi in circulum*, ſeu circulariter Syllogizzandi, quod fit, cum ex cõcluſione alicuius Syllogiſmi, & conuertente vnius præmiſſæ infertur altera præmiſſa, quod non poteſt contingere, niſi in terminis conuertibilibus: v. g.

Omne viſibile eſt flebile,
Omnis homo eſt viſibilis,
Ergo omnis homo eſt flebilis,

infertur minor propoſitio, ſi maior conuertatur ſimpliciter, & pro minore ponatur concluſio. hac ratione.

Omne flebile eſt viſibile,
Omnis homo eſt flebilis.
Ergo omnis homo eſt viſibilis.

Item infertur maior propoſitio primi Syllogiſmi, ſi fiat Syllogiſmus, qui habeat pro maiore concluſionem primi Syllogiſmi, & pro minore eandem conuerſam ſimpliciter, hac ratione

Omnis homo eſt flebilis,
Omne viſibile eſt homo,
Ergo omne viſibile eſt flebile.

4 Vbi aduerte, vt benè notant Conimb. in demonſtratione non poſſe dari hunc circulum; quia, cum in ea præmiſſæ eſſe debeant notiores, & continere cauſam obiecti concluſionis ; procedendo circulariter ; eadem propoſitio eſſet ſimul notior, & ignotior. Rurſus aduerte circu-

lum

lum hunc tenere, ratione materiæ, non ratione formæ, quia nimirum propoſitiones conſtant terminis conuertibilibus.

5 Quarta eſt *concludendi per conuerſionem*, ſeu, vt loquitur Ariſt. *per tranſpoſitionem*; & fit cum ex contradictorio concluſionis cum altera propoſitione colligitur oppoſitū alicuius propoſitionis conceſſæ: ſed de hac re ſupra cum egimus de reductione ad impoſsibile.

6 Quinta *eſt ratiocinandi per impoſsibile*, quæ differt à Superiore per hoc (vt benè notat Fonſeca lib. 6. cap. 31. quod illa ſupponit factum iā Syllogiſmum: hæc verò ſupponit negatam ſolum aliquam propoſitionem, cuius oppoſitam ſumentes cum altera propoſitione apta ad concludendum, deducimus ſequi aliquod impoſsibile.

7 Sexta eſt *ratiocinandi ex oppoſitis*; cum ſcilicet ex duabus propoſitionibus contrarijs, vel contradictorijs infertur concluſio, in qua idem de ſe ipſo negetur; quo argumentandi genere vtimur ad conuincendum proteruos, qui ſimul concederent duas contrarias, ex quibus talis conficeretur Syllogiſmus.

Nullus homo eſt animal,
Omnis homo eſt animal,
Ergo animal non eſt animal.

8 Tria rurſus Syllogiſmorum vitia numerantur. Primum, & potiſſimum eſt, *petitio principij*, quod multis modis fieri oſtendit Ariſt. lib. Top. & Elenchorum. Generatim autem contingit, cum probatur idem per idem, vel per æquè, ſeu magis ignotum. Secundum dicitur *non propter hoc accidere falſum*; & ſenſus eſt, quod falſitas con-

concluſionis tribuatur alicui propoſitioni, cui non eſt tribuenda;quod accidere ait Tolet.lib.4. c.15. cum in præmiſsis ponitur aliqua propoſitio ſuperflua: v. g.

Omnis homo eſt animal,
Et omne corpus eſt viuens;
Sed omnis lapis eſt corpus,
Ergo omnis lapis eſt viuens.

Oſtenditur autem non debere tribui falſitatem huius concluſionis primæ propoſitioni, quia ea remota,adhuc ſequitur concluſio propter falſitatem maioris.

9 Tertium dicitur vitium *contrariæ opinionis*, quod tunc accidit,cum aſſentimur duobus contradictorijs,vel contrarijs ſaltem confusè:v.g. Si quis admitteret has propoſitiones,

Omne animal eſt corpus, & nullum nigrum eſt corpus;

Tunc ſic.

Omne animal eſt corpus,
Omnis coruus eſt animal,
Ergo omnis coruus eſt corpus.

Rurſus

Nullum nigrum eſt corpus;
Omnis coruus eſt niger,
Ergo nullus coruus eſt corpus.

Vbi vides debere admitti duas propoſitiones contrarias,quales ſunt duæ concluſiones poſitæ deductæ ex præmiſsis conceſsis. Aduertendum ergo maxime eſt ad ſenſum propoſitionum, quas concedimus;ne oppoſita implicitè concedamus. Ad habendam plenam notitiam ratiocinandi per impoſsibile: ſit

CA-

CAPVT XV.

Quid ſit, & quando liceat argumentari ex ſuppoſitione impoſsibili; vbi, quid ſit argumentari ex eadem ſuppoſitione per locum intrinſecum, quid per extrinſecum.

Appendix 3. Gen.

1 NIhil inter diſſerendum frequentius, quam vſurpatio horum terminorum. Si per impoſſibile. Ex ſuppoſitione impoſſibili. *Item* ſequitur per locum intrinſecum ſequitur per locum extrinſecum. *Statuendum ergo eſt, quid ſit argumentari ex tali ſuppoſitione. & quando vtiliter id liceat.*

2 *Vt rem radicitus examinemus, oportet prius ſtatuere quid ſit; aliquid ſequi* per locum intrinſecum, *quid* per locum extrinſecum, *facta aliqua ſuppoſitione impoſſibili.*

3 *Primus modus eſt Vaſq. 1. par. diſput.* 147: *cap. 1 & aliorum, qui videntur velle, tunc aliquid inferri* per locum intrinſecum *ex ſuppoſitione, ſeu hypotheſi impoſsibili:* quando circumſcripto. *vt ait Vaſquez*, quocunque alio, & aliquo ſolum remanente, ſequitur effectus, & eo ablato non ponitur: *v. gr.* ſi per impoſſibile homo non eſſet animal, & eſſet rationale, homo diſtingueretur ab equo. *Et hoc ſequi per* locum intrinſecum. *aliam autem partem contradictionis ſequi* per locum extrinſecum, *ſci-*

licet ſiquis ita argumentaretur. Non manente animali, non maneret rationale, ſed non manente rationali, non maneret per quod homo differret ab equo, ergo ſi homo non eſt animal, non differet ab equo. *Prima pars contradictionis ſequitur per* locum intrinſecum, *quia ſequitur permanente ſuppoſitione; ſecunda autem* per locum extrinſecum, *quia ſequitur ex deſtructione ſuppoſitionis illius ſcilicet partis, quæ erat ratio, vt homo diſtingueretur ab equo.*

4 *Hic modus dicendi benè quidem explicat, ad vtilitatem talis formæ argumentandi requiri* conſtantiam *ſuppoſitionis: ſed qualis debeat eſſe* conſtantia *requiſita ad inferendam vnam partem contradictionis, non omnino explicat. Nam aliquis dicere poſſet, non poni in eo caſu* conſtantiam, *quia deſtruitur* ſubiectum, *& implicitè etiã* prædicatum; *ſubiectum enim eſt,* homo non animal, *quod ſane eſt deſtructiuum, ſubiecti* hominis, *imò etiam prædicati* rationalis, *quia non eſt* rationale *niſi ſit* animal. *Nec omnino videtur ſatisfacere, ſi quis dicat, non deſtrui ſuppoſitionem explicite, nam paulo poſt impugnando alium modum dicendi, conſtabit hoc non ſufficere, vt dicatur non deſtrui ſubiectum talis propoſitionis.*

5 *Secundus modus eſt ferè communis in ſcholis; ſequi aliquid per* locum intrinſecum; *eſſe idem, ac ſequi* immediatè, *ſeu per immediatam ſequelam per* locum *verò* extrinſecum, *cum aliquid ſequitur* mediatè, *ſeu per mediatam ſequelam; qui modus eſt ferè idem, ac ſupradictus: v. gr. in exemplo allato:* Si homo non eſſet animal, & eſſet rationalis diſtingue-

re-

retur ab equo. *Hoc ſequi per* locum intrinſecum *; quia ſequitur immediatè, ex vi prædicati antecedentis ; alteram verò partem, ſcilicet*, non diſtingueretur, *ſequi per* locum extrinſecum, *quia ſequitur mediatè, ſcilicet ad ablationem animalis, ad quam ſequitur ablatio rationalis, quod eſt principium immediatum diſtinctionis ab equo.*

6 Ex quo vlterius colligi poteſt primus modus dicendi, quod tunc ſequatur vna tantum pars contradictionis, quando vna pars antecedentis non eſt immediatè deſtructiua alterius, vt in eodem exemplo allato, negatio animalis *non eſt immediatè deſtructiua* rationalis, *quod tollitur ſolum immediatè per negationem ſui, hac ratione : v. gr.* ſi homo rationalis non eſt rationalis, *vel per appoſitionem alterius differentiæ incompoſſibilis*, ſi homo hinnibilis eſſet rationalis, *&c.*

7 Hic etiam modus dicendi bene explicat diſcrimen ſequelæ mediatæ & immediatæ, quæ diſtinctione ſæpe, & vtiliter vtimur ad dignoſcenda prædicata immediata à mediatis ; ſic in Diuinis, dicimus, ſi non eſſet poſſibilis formica, neque eſſet poſſibilis hic Deus *; in ſententia eorum, qui dicunt Omnipotentiam* Dei *habere eſſentialem connexionem cum ſingulis creaturis ; ſequi hoc mediatè : quia ſi non eſſet poſſibilis talis habitudo Dei ad formicam, quæ cum ponatur eadem indiuiſibilis cum habitudine ad alias creaturas, neque eſſet poſſibilis tota hac Omnipotentia Dei, & conſequenter neque hic Deus. Item in creatis;* ſi homo nõ eſſet riſibilis, non eſſet homo *; ſequitur hoc mediatè ; quia ſi non eſſet* riſibilis, *neque eſſet* rationalis, *& conſequenter me-*

mediatè neque homo; *Vtrum autem ſequatur alia etiam pars, ſcilicet*, quod eſſet homo, *infra conſtabit, & vrgetur argumento ſupra facto, quod ſequatur altera pars contradictionis, quia deſtruitur ſuppoſitio, & ſubiectum.*

8 *Tertius modus dicendi eſt Hurtadi, & ferè etiam communis diſp.* 25. Met. *ſect.* 9. §. 114. *& primo benè ſupponit* locum, *idem eſſe, ac* principium, *vnde deſumitur vis argumentandi; Locos enim Rethores vocant ſedes argumentorum; deindè ait argumentari per* locum intrinſecum *eſſe, cum argumentamur per intrinſecos conceptus, & formales alicuius rei; cum ſcilicet, poſito aliquo caſu impoſſibili, eoque admiſſo, qui tamen non deſtruat formaliter ſuppoſitionem factam, nec cum illa inuoluat formaliter terminorum repugnantiam, & ex ea procedimus per intrinſecos conceptus rei, ac ſi ſubiectum verè careret illa perfectione, qua tamen eſt impoſſibile, vt actu careat; v. gr. ſupponatur* Petrus *carere* animalitate; *& non carere* rationalitate, *benè inferretur vna pars contradictionis*, quod diſcurreret *imò etiam per* locum intrinſecum *negantur omnia prædicata, quæ ſequuntur ad animalitatem, vt eſſe* ſenſitiuum *&c. Subdit deinde, quod in caſu impoſſibili, non debent componi duo conceptus contradictorij, vt ſi, inquit,* ſupponas hominem cœcum videre, ſupponas ineptè; & de hac ſuppoſitione rectè dicitur. ex impoſſibili ſequitur quodlibet. A retento autem caſu impoſſibili, ſine repugnantia terminorum non ſequitur quodlibet, ſed per bonas conſequentias ſequitur vna pars. *Addit vlterius in hac propoſitione;* ſi Deus non eſſet

poſ-

poſsibilis; *ſequi per locum intrinſecum, creaturam eſſe chimaram*: quia, *inquit*, à negatione cauſæ eſt formalis conſequentia ad negationem effectus eſſentialiter ab illa pendentis. *Demum ait non rectè inferri*, ſi Petrus non eſſet animal, eſſet homo, *quia*, homo *formaliter includit animal, & in ſuppoſitione retenta, inuoluerentur termini repugnantes, ſcilicet*, animal, *&* non animal. *Ex hoc facilè colligitur, modum argumentandi per locum extrinſecum eſſe oppoſitum ſupra dicto; cum ſcilicet arguimus, & non per intrinſecos conceptus rei.*

9 *Hic etiam modus multa explicat, quæ huic formæ argumentandi tribuuntur. Aliqua tamen, quæ occurrunt, breuiter proponam.*

10 *Primo non exiſtimo abſolutè verum, quod ex impoſſibili ſequatur quodlibet, vt fusè ſupra probaui ex Soto, ſed fortè intelligit, quod ſequatur quodlibet in ſenſu ſupra explicato, ideſt habens connexionem cum antecedenti: nam alioquin, ex hoc impoſſibili, ſcilicet;* ſi homo nõ eſſet animal, *non ſequitur, quod* Deus eſſet.

11 *Secundo. Difficile videtur poſſe aſſignari, quid ſit argumentari per* locum extrinſecum, *ſi hoc, ſcilicet;* ſi Deus non eſſet poſſibilis, homo eſſet chimæra; *eſſet* per locum intrinſecum; *nam omnis propoſitio hypothetica illatiua: eſt, vel continet virtualiter formalem conſequentiam; ſed omnis cõſequẽtia formalis eſt per locũ intrinſecũ, & quicquid ex ea ſequitur, ſequitur per locũ intrinſecũ per ipſam; ergo omnis propoſitio hypothetica eſt per locum intrinſecum, & quod ex ea ſequitur, ſequitur per locum intrinſecum.*

12 *Tertio. Ad hominem. Per ipſum non be-*

nè quis inferret; ſi Petrus non eſſet animal,eſſet homo;*quia nimirum deſtrueretur ſuppoſitio; ſed dicendo ſolum* , ſi homo non eſſet animal , diſcurreret; *deſtrueretur etiam ſuppoſitio,licet magis implicitè : ergo nec benè hoc infertur Maior eſt ipſius ; minor probatur . Suppoſitio , quæ debet retineri , eſt ;* homo non animal *; ſed hæc deſtruit id , ex quo inferri debet* . quod diſcurreret : *ergo &c. Patet maior , probatur minor . Talis ſuppoſitio deſtruit* , rationale , *non quidem verbaliter , & explicitè , ſed implicitè , & mentaliter : ſic enim ipſe expreſsè habet , tunc deſtrui ſuppoſitionem* , cum caſus impoſſibilis componitur ex conceptibus contradictorijs , *quales ſanè ſunt , licèt non ita explicitè* , hominem eſſe rationalem , & hominem non eſſe animal , *quia nec eſſet homo , & conſequenter nec rationalis .*

13 *Demum principium , quod ponit , ſcilicet admittendum eſſe caſum impoſſibilem , ſed qui non deſtruat ſuppoſitionem,eſt veriſſimum;quanquam in hoc explicando non leuis eſt difficultas , quia non videtur poſſe aſſignari caſus impoſſibilis , qui non inuoluat terminos repugnantes deſtruentes ſuppoſitionem .*

14 *Quartus modus eſſe poſſet ; argumentari* per locum intrinſecum, *eſſe argumentari ad inferendum aliquod , quod ſequitur ex principio explicitè poſito in antecedenti ;* per locum *verò* extrinſecum *ad inferendum aliquod , quod ſequitur ex principio implicitè poſito in antecedenti ; & huic regulæ poſſunt accommodari omnes alij modi dicendi ſupra poſiti : verbigratia* , ſi homo nō eſſet animal,& eſſet rationalis,diſtingueretur ab equo ; *ſequitur* per locum intrin-

ſe-

ſecum:*alia vero pars, ſcilicet* non diſtingueretur; *ſequitur* per locum extrinſecum, *quia principium illius non ponitur explicitè in antecedēti.*

15 *Quintus modus dicendi eſt cuiuſdam ingenioſi Recentioris, qui licèt non vtatur his terminis,* per locum intrinſecum & extrinſecum; *rem tamen profundè, & clarè explicat. Ait ergo, quando propoſitio hypothetica non continet ex parte conditionis, ſeu antecedentis implicantiam in adiecto, ſeu in terminis, ideſt vnam partem deſtruentem alteram (implicantia enim in adiecto, dicitur, cum propoſitio implicat in eo, quod ſubiecto adijcitur) tunc licere argumentari ex ſuppoſitione impoſſibili ad inferendam vnam partem contradictionis cū vero propoſitio cōtinet talē implicantiā, tunc nō licere, & ſequi vtramq; partem contradictionis; verbi gratia, ſi diceretur;* ſi homo haberet animam, & non haberet animam, *non benè inferretur ſolum, quod* diſcurreret, *ſed ſequi etiam quod* non diſcurreret, *ſi autem diceretur*, ſi homo non haberet animam, *benè inferretur ſolum*, non diſcurreret, *imò hoc idem inferretur, ſi diceretur*, ſi homo, qui nunc habet animam, non haberet animam; *nam habere animam, ponitur in antecedenti abſolutè, non ſub conditione, ſub qua conditione ſolùm, ſequitur conſequens.* Ex *hoc principio.*

16 *Colligit primo poſſe aliquem ſine peccato dicere:* ſi furtum eſſet licitum, vellem furari: *& idem ſequi, ſi quis diceret,* ſi furtum, quod nunc eſt illicitum, eſſet licitum, *propter rationem modo factam. Si autem petatur, quid concipitur, cum dicitur,* homo, *vel* furtum, *in caſibus ſupradictis; Reſpondet concipi primo, cum dicitur*

homo, *aliquid latens ſub, accidentibus hominis commune ad habere animam,& non habere animam. Secundo. cum dicitur,* furtum, *concipi rationem cõmunem acceptionis rei alienæ ad eſſe licitum, & illicitum. Addit præterea, idem furtum concipi, cum concipitur abſolutè eſſe licitum,& cũ concipitur ſub conditione. Et idem dicendum de homine, quod idem conciperetur, ſi conciperetur abſolutè, ac cum concipitur ſub conditione impoſſibili ſaltẽ in confuſo; nam diſtinctè, vult concipi aliquid latens ſub illis accidentib. modo dicto.*

17 Colligit *ſecundo benè ex tali ſuppoſitione inferri vnam partem cõtradictionis; ſcilicet;* ſi Spiritus ſanctus à ſolo Patre procederet, nõ diſtingueretur à Filio; *eo quod non ſit implicãtia in terminis in antecedenti, adeo vt Græci ſupponerẽt de facto, Spiritum ſanctum à Patre tantum procedere.*

18 *Sed contra etiam hunc modum explicandi, alioquin probaliſſimum, remanet ſcrupulus, qui vt explicetur. Supponendum tripliciter poſſe importari contradictoria, ſeu terminos repugnantes in antecedenti impoſſibili, vel explicitè verbaliter, vt in exemplo allato,* ſi homo haberet animam, & non haberet animam, *vel implicitè verbaliter, & explicitè mentaliter: v. g.* ſi homo viuus non haberet animam; *vel demum implicitè etiam mentaliter; vt in exemplo allato:* ſi homo non haberet animam, *&c. Hoc poſito.*

19 *Sic argumentor ad hominem. Si quis diceret,* ſi homo haberet animam, & non haberet animam *inferret vtramque partem contradictionis, ſcilicet quod* diſcurreret, & non diſcurreret; *ergo etiam, ſi quis tantum diceret;* ſi homo non haberet animam, *inferret vtramque partem*

contra-

contradictionis. Probatur *conſequentia. Ideò infertur vtrumque contradictorium in primo caſu, quia ponitur & concipitur principium vtriuſque in antecedenti; ſed idem ponitur, & concipitur in ſecundo caſu, ergo &c. Patet maior, probatur minor. Et quod concipiatur,* quod non habet animam, *patet, quia ponitur expreſsè verbaliter; quod verò concipiatur etiam*, quod habeat animam; *probatur: tum quia ſupponitur, quod concipiatur verus homo, & non pictus, ac proinde viuus cum ſua natura humana; & conſequenter, quod ſit principium diſcurrendi; tum etiam quia, ſi quis diceret;* ſi homo non eſſet homo, *non benè inferret vnam tantum partem. ſcilicet, quod* non diſcurreret; *ſed præterea inferre deberet, quod* diſcurreret: *ſed etiam in noſtro caſu eodem modo ponitur* homo *ex parte ſubiecti in antecedenti; ergo ſi in vno infertur, quod diſcurreret, in alio etiam deberet inferri, quod diſcurreret.*

20 *Dices.* Principium *diſcurrendi non concipi explicitè, ſed implicitè, & in confuſo. Sed contra, tum primo, quia eodem modo concipitur tale principium, cum dicitur,* ſi homo non eſſet homo, *ac, cum dicitur,* ſi homo non haberet animam: *tum ſecundo, quia ipſe Auctor vult concipi verum hominem in vtroque caſu: tum tertio quia quicquid ſit, quod concipiatur in confuſo, & implicitè tale principium; tamen non poteſt ita in confuſo concipi, quin concipiatur, vt homo viuus diuerſus à brutis; imò etiam diſtinctè vt principium diſcurrendi, hoc ipſo, quod dicitur, quod non diſcurreret, ſi non haberet animam; quia ſupponitur, qui ita dicit, quod ſciat principium diſcurrendi eſſe de eſſentia hominis; cum propterea neget, quod nō*

diſcurreret, quia non haberet animam, quam putat eſſe principium diſcurrendi.

21 *His omnibus vijs non reiectis, ſed propoſitis; vt aliquid ſtatuamus, & reducamus omnes ad bonum ſenſum.*

22 *Supponendum primo, propoſitionem hypotheticam eſſe ſpeciem conſequentiæ, adeò, vt aliqui velint omnem conſequentiam, ſeu argumentationem formalem, eſſe vnicam propoſitionem hypotheticam. Reperitur enim in ea ſubiectum cõcluſionis, & prædicatum eiuſdem cum medio termino: v. gr.* ſi homo eſt rationalis, eſt riſibilis. Homo *eſt ſubiectum*, riſibile *prædicatum*, rationale *medius terminus, ex quo fit, vt ex hypothetica impoſſibili etiam, aliquid ſequatur, non tamen quodcunque, ſed illud, ſeu illa, quæ habent cum antecedenti, quod ſubeſt vicem medij termini, connexionem. Vnde benè infertur;* ſi homo eſſet Angelus, eſſet ſpiritus; *an verò inferatur etiam*, quod non eſſet ſpiritus, *paulò poſt conſtabit. Non autem benè inferretur, quod eſſet Deus, vel equus; quia talia prædicata nullam habent connexionem cum antecedenti.*

Supponendum ſecundo, conſequens non pendere ſolum ex prædicato antecedentis, ſed etiam ex ſubiecto eiuſdem; eò quod conſtantia *ſubiecti habeat rationem medij in antecedenti, idque tam in antecedenti negatiuo, quàm in affirmatiuo: verbi gr.* ſi homo eſſet Angelus, eſſet ſpiritus; *ſenſus antecedentis eſt;* ſi homo eſſet Angelus, & homo eſſet: *nam niſi ponatur talis* conſtantia, *nihil ſequitur, & eſſet idem, ac ſi diceretur.* Si non eſſet homo in rerum natura, & eſſet Angelus; aliquid non exiſtens homo, eſſet ſpiritus;

tus; *quæ propoſitio eſſet vera, & non ex antecedenti impoſſibili. Item in negatiua;* ſi homo non haberet animam; *ſenſus eſt*, ſi homo maneret homo, & non haberet animam; *nam ſi ſenſus eſſet, ſi homo non maneret, & non haberet animam, verum etiam eſſet, ſine ſuppoſitione impoſſibili, quod aliquod non habens animam, non diſcurreret; nec de homine negaretur, quod diſcurreret.* Ex *quibus habetur ſubiectum conſequentis eſſe totum antecedens, cuius prædicatum tranſit in partem eiuſdem ſubiecti; vt in exemplo allato,* ſi homo non haberet animam, non diſcurreret, *ſenſus conſequentis eſt, homo non habens animam non diſcurreret.*

23 *Supponendum tertio. Non eſſe abſolutè verum, quod ex caſu impoſſibili in ſuppoſitione inuoluente repugnantiam in terminis ſiue implicitè, ſiue explicitè, ſi ſequatur vna pars contradictionis, quod ſequatur etiam altera. Nam ſi dicatur,* ſi homo hinnibilis eſſet rationalis, *benè ſequitur, quod diſtingueretur à leone, ſumendo* diſtinguere, *pro eo quod eſt, non eſſe idem; non autem ſequitur, quod non diſtingueretur; & ratio eſt, cur hoc non ſequatur, quia huius partis contradictionis, quæ infertur, non ponitur principium in antecedenti. Verum autem eſt, quod ſemper ex ſuppoſitione impoſſibili ſequantur aliqua duo contradictoria, vt in exemplo allato, ſequeretur, quod* eſſet equus, & non eſſet equus. *His poſitis, ne confundamus quæſtionem de nomine cum alia de re.*

24 *Aliud eſt quid intelligatur, per modum argumentandi* per locum intrinſecũ, *quid* per extrinſecum; *aliud, an, & quando liceat vti-*

liter argumentari ex ſuppoſitione impoſſibili *ad inferendam vnam tantum partem contradictionis. Prima facilis eſt, & modo conueniamus in modo loquendi; poſſumus vti aliqua ex ſupradictis vſurpationibus. Secunda difficilis. Quare pro prima*

25 *Cenſeo primo, ſi per argumentari* per locum intrinſecum *intelligatur, argumentari ex aliquo principio, ex quo ſequatur neceſſaria cōſequentia, omnem argumentationem, & conſequentiam formalem, imò omnem propoſitionem hypotheticam, cuius antecedens habeat neceſſariam connexionem cum conſequenti, dici poſſe per locum intrinſecum. iuxta quam acceptionē, eſſet per locum intrinſecum:* ſi Deus non eſſet, creatura eſſet chimæra, *vt ait Hurtadus.*

26 *Cenſeo ſecundo. Si argumentari* per locum intrinſecum *ſit argumentari ex principio immediato, vel explicito:* & per locum extrinſecum, *ex principio mediato, ſeu implicito; omnes prædictos modos explicandi poſſe retineri, modo conueniant in aliquo illorum illi, qui diſputant.*

27 *Cenſeo tertio. Abſolutè retineri poſſe modū dicendi Vaſquez citati; poſita explicatione loci intrinſeci tradita ab Hurtado item citato; vt argumentari* per locum intrinſecum *ſit, cum arguimus per intrinſecos, & formales conceptus rei; ſed nomine conceptus intrinſeci, intelligendum, prædicatum, vel realiter identificatum cum ſubiecto, vel ſaltem, quod ſupponatur identificatum, eo modo, quo dicimus;* omnis lapis eſt animal; omnis arbor eſt lapis. ergo omnis arbor eſt animal. *Vbi ſupponitur identificatum*

ani-

animal *cum* arbore. *& cum* lapide. *Argumentari autem per locum extrinſecum eſt; cum arguimus per extrinſecos conceptus rei, vt cum ex termino arguitur relatio; ex obiecto, eſſentia cognitionis, ex negatione cauſæ efficientis, negatio effectus, vel ex poſitione effectus poſitio cauſæ, vel ex poſitione cauſalitatis poſitio effectus, &c.*

28 *Atque hic modus explicandi videtur ſatis conformis vocabulis* loci, *ſeu* principij intrinſeci, & extrinſeci. *Quod vlterius colligitur ex fine argumentandi ex ſuppoſitione impoſſibili per locum intrinſecum; qui eſt, vt ait Vaſquez citatus in fine capitis primi, vt oſtendatur ratio formalis eius, de quo diſputatur.* Quando ſcilicet circumſcripto quocunque alio, & aliqua ſolum ratione manente, ſequeretur effectus, & ablata tolleretur, abſque dubio eſt ea ratio formalis illius. *Vbi obiter aduerte prædictum regulam non inſeruire ad diſtinguendam cauſam efficientem à conditione, pro qua inueſtiganda eſt alia, quam, eſt valdè difficile aſſignare, & nos in Phyſicis eam vtcunque tradidimus. Inſeruit autem ſolum ad diſtinguendam cauſam formalem, & prædicatum quodcunque intrinſecum à conditione, & prædicato extrinſeco, vt, mox patebit: Iuxta igitur hunc modum explicandi, talis poteſt confici vniuerſalis regula.*

29 Quotieſcunque ablato aliquo, vel ablatis omnibus alijs; & manentibus aliquibus, manet effectus formalis, illud; ſeu illa, quæ auferuntur, non erit, ſeu non erunt ratio formalis, ſed conditio; *verbi gratia*; ſi per impoſſibile non eſſet obiectum, & eſſet talis entitas cognitionis, eſſet repræſentatio obiecti

ergo obiectum non erat ratio formalis conſtitutiua talis effectus formalis. Item quotieſcunque ma-nentibus omnibus alijs, & ablato aliquo, non manet effectus formalis, illud, quod aufertur, non erat conditio, ſed ratio formalis: *v. gr.* ſi per impoſſibile eſſet productio caloris in mea manu, & in ea non eſſet calor, mea manus non denominaretur calida, *ſeu non habe-retur effectus formalis calidi; ergo calor non eſt conditio, ſed ratio formalis conſtitutiua talis effectus formalis. Et hac ſequuntur per locum in-trinſecum. Per locum autem extrinſecum ſequun-tur iſta.* Si per impoſſibile non eſſet obiectum & eſſet entitas cognitionis; non eſſet repræſen-tatio; *nam, etiam ſi ſequatur altera pars, ſcili-cet, quod eſſet repraſentatio, hac ſequitur per lo-cum intrinſecum ex dictis: quod autem non eſſet repraſentatio, ſequitur per locum extrinſecum; tum quia ſequitur ex principio non conſtituti-uo ipſius rei, ſed extrinſeco; ideſt ex obiecto; tum etiam quia mediatè tantum deſtruitur ſup-poſitio, ex cuius deſtructione ſequitur hoc, quod ſi non eſſet obiectum, nec eſſet entitas cognitionis. Item in ſecundo caſu;* Si per impoſſibile eſſet actio productiua caloris, & non eſſet calor, mea manus eſſet calida. *Hoc ſequitur per locum extrinſecum, quia ſequitur ex aliquo, quod non eſt principium, & ratio formalis conſtitutiua ta-lis effectus formalis, & quia ſequitur ex deſtru-ctione mediata ſuppoſitionis; &, diſſolutione an-tecedentis, ſcilicet, ſi non eſſet productio, nec eſ-ſet calor, &c. quicquid ſit, quod altera pars ſe-quatur per locum intrinſecum, modo ſupradicto. Atque hac pro prima parte difficultatis ſint ſatis.*

Pro

30 *Pro altera parte. Quando ſcilicet vtiliter liceat argumentari* ex ſuppoſitione impoſſibili.

31 *Cenſeo primo. Vtiliter licere, cum inueſtigatur ratio formalis alicuius effectus formalis ad excludendam conditionem, vt in caſibus modo poſitis; nec obſtat, quod ſequatur altera pars contradictionis; nam, cum illa ex dictis ſequatur per locum extrinſecum, ſufficienter habetur intentum diſcernendi rationem formalem à conditione, hoc eſt prædicatum intrinſecum ab extrinſeco.*

32 *Cenſeo ſecundo. Quando in antecedenti ponitur principium vtriuſque partis contradictionis, ſiue implicitè, ſiue explicitè, ſemper ſequi vtramque partem, & ſic inutilem eſſe talem modum arguendi ad inferendam vnam tantum partem contradictionis, Hoc fusè ſupra probaui: quare ex hoc antecedenti*, ſi homo eſſet Angelus; *ſequitur, quod* eſſet ſpiritus, *&* non eſſet ſpiritus; *primum ratione prædicati; ſecundum ratione ſubiecti, cuius* conſtantia *debet ſupponi, vt argumentum procedat ex ſuppoſitione impoſſibili. Item* ſi homo non haberet animam, *ſequitur, quod* eſſet diſcurſiuus, *&* non eſſet diſcurſiuus.

33 *Dices, & eſt Achilles ſententia oppoſita in materia morali. Nemo facit ſibi ſcrupulum, nec* Confeſſarij *interrogant; an ſint peccata huiuſmodi actus*, ſi furtum eſſe licitum, vellem furari. *Item*; ſi hic contractus non eſſet vſurarius, vellem illum celebrare, *& tamen eſſent peccata, vt eſſet peccatum; ſi diceretur*, ſi furtum eſſe licitum, & illicitum, vellem, & nollem furari. *Vide Vaſquez 1. 2, tom. 1, diſp. 116, cap. 2, qui expreſsè habet illos actus deſide-*

rij de obiecto conditionato non eſſe peccata, nec vllum citat pro ſententia oppoſita, quod ſint peccata.

34 *Reſpondetur. Et pro ſolutione. Notandum. Pro aſſignando diſcrimine inter menſuram actuum voluntatis, & intellectus; quod actus intellectus habent pro menſura obiectum, ſeu res ipſas; cum non habeant potentiam ſuperiorem, a qua regulentur: & ſic, ex eò quod res eſt, vel non eſt, cognitio dicitur vera, vel falſa; cum verò Voluntas habeat potentiam ſuperiorem, ideſt Rationem; actus illius habent pro menſura bonitatis, & malitiæ actus intellectus, hoc eſt iudicia quædam practica eiuſdem cum ſufficienti aduertentia, & cæteris requiſitis, adeo vt, ſi obiectum per ſe loquendo ſit malum, & illicitum, non tamen apprehendatur vt tale, actus voluntatis circa tale obiectum non ſit malus; vt ſi quis die Veneris non aduertens, ſeu putans eſſe diem Iouis, comederet carnes, non peccaret, vt non peccaret dicendo, hodie vellem, non aduertendo, comedere carnes. Hinc fit, vt ſi quis dicat;* ſi eſſet probabile hunc contractum non eſſe vſurarium, vellem illum celebrare; *quod non peccaret, quia obiectum, circa quod fertur, ſi eſt malum, eſt tantum materialiter malum, non formaliter; nam poſita probabilitate, quod aliquis actus non ſit malus, non peccat quis exequendo illum: ergo neque peccaret volendo eundem actum ſub eadẽ conditione. Ex quo rurſus infertur, vt ſi quis actu non aduertens aliquem actum eſſe malum, illum eliceret, non peccaret ob defectum aduertentiæ; ergo neque peccabit volendo eundem actum ſub illa conditione, ſcilicet, ſi non repræſenta-*

taretur mihi, vt malus talis actus, vellem illum. Ad rem noſtram; actus in argumento poſiti non ſunt peccata; quia dicendo quis; ſi furtum eſſet licitum vellem illud: *item*, ſi hic contractus non eſſet vſurarius, vellem illum; *ſemper habet pro obiecto in confuſo, & implicitè non furtum, prout eſt à parte rei, ſed prout eſſet in exiſtimatione. Quare ſenſus eſt*, ſi furtum in mea exiſtimatione non eſſet illicitum, vellem illud: & ſi hic contractus in mea exiſtimatione non eſſet vſurarius, vellem illum celebrare: *in quibus actibus nulla apparet malitia, nec vlla importatur contradictio, cum exiſtimatio, ſeu aduertentia requiſita ad malitiam, ſit omnino extrinſeca entitati actus, qui denominatur bonus, vel malus.*

35 *Cenſeo tertio; Propoſitionē allatam à Vaſquez cit.* ſi homo non eſſet animal, & eſſet rationalis, diſtingueretur ab equo, *eſſe vtilem ad inferendam vnam partem contradictionis poſitam, quia in antecedenti non ponitur principiū alterius partis. Item ſequi vnam tantum partem contradictionis, ſi in antecedenti non ſit poſitum principium alterius partis: v. gr.* ſi Deus non eſſet, homo eſſet chimæra.

36 *Cenſeo quarto vtilem eſſe talem modum arguendi ad probandum; quod illud, de quo eſt quæſtio, ſit aliquod impoſſibile, cum ex eo ſequātur duo contradictoria; vt probatur, non poſſe dari motum in vacuo, quia eſſet in inſtanti, & nō eſſet in inſtanti, primum quidem eſſet, ratione ſpatij, à quo pendet ſucceſſio motus, ſecundum vero ratione mobilis, & entitatis motus, de cuius eſſentia ponitur eſſe, vt conſtet ex partibus*

prio-

prioribus, & poſterioribus, & conſequenter, quæ non ſint ſimul.

37 *Cenſeo quinto, vtilem eſſe talem formam arguendi ad probandum implicare, vel non implicare aliquid, de quo eſt quæſtio, inferendo, quod illi conueniret aliquod prædicatum, quod exiſtimatur impoſſibile, v. gr. quæſtio eſt: an dari poſſit infinitum, & à ſuſtinente reputetur repugnare, quod vnum infinitum ſit maius alio; benè, & vtiliter quis argumentaretur inferendo vnam partem contradictionis, ſcilicet; ſi daretur infinitum, vnum eſſet maius alio, non autem dicitur etiam, vnum non eſſet maius alio, quia hæc pars contradictionis ſequitur ex eò, quod abſolutè non detur infinitum, quod, cum ponatur probabile, & dubium: non poteſt ex hoc illa pars inferri. Vbi vides ex hoc probari implicare vel non implicare ipſum ſubiectum, ſcilicet infinitum; ſi quis verò exiſtimaret non implicare, quod detur vnum infinitum maius alio; non benè ad poſitionem talis prædicati cōtra ipſum probaretur, quod deberet tolli ſubiectum, ideſt infinitum.*

38 *Cenſeo ſexto vtilem etiam eſſe prædictum modum arguendi ad probandum, an aliquod prædicatum conueniat alicui ſubiecto, ſi poſita definitione ſubiecti, & aliqua proprietate, de qua non ſit quæſtio inter defendentem, & arguentē, probetur, quod niſi ſubiecto conueniret aliqua perfectio, non conueniret illi talis proprietas: v. gr. quæſtio erat inter Græcos, & Latinos, an Spiritus ſanctus procederet à ſolo Patre, vel etiam à Filio, conueniebant autem in hoc, quod Spiritus ſanctus eſſet perſona procedens per voluntatem à Patre, & quod diſtingueretur à Filio: negabant*

autem Græci, quod Spiritus ſanctus procederet à Filio. Hoc poſito; ita arguebant Latini. Si Spiritus ſanctus non procederet à filio, non diſtingueretur à filio; *quod benè ſequitur: non autem ponitur altera pars contradictionis, ſcilicet quod diſtingueretur à filio, quia hæc ſequitur ex characteriſtica proprietate Spiritus ſancti, ſcilicet, quod à filio procedat, de qua, quia eſt quæſtio, non poteſt aſſumi, vt principium certum ad inferendam talem partem contradictionis. Adde, quod eandem vtilitatem haberet hæc forma arguendi, ſi inferretur vtraque pars contradictionis, ſcilicet, quod diſtingueretur, & non diſtingueretur; nam hoc ipſo talis Spiritus ſanctus implicaret, quod ex eo ſequeretur duo contradictoria; & primum, quod diſtingueretur, admittebatur ab Aduerſarijs: ſecundum autem probatur contra illos, &c. Ex quibus habes explicationem huius formæ arguendi, & eius vtilitates. Atque hæc breuiter hic adnotaſſe ſit ſatis, non tam, vt mihi videar collimaſſe, quam vel non longiſſimè aberraſſe, vel errore meo ingenioſiſſimis Lectoribus collimandi viam demonſtraſſe.*

CAPVT XVI.

De Syllogiſmo Expoſitorio.

1 Expoſitorius Syllogiſmus eſt is, *qui conſtat medio termino ſingulari*. Ita Conimbr. 1. prior. c. 6. q. vnic. art. 1. & 2. Sot. lib. 3. 3. p. c. 1. Fonſeca lib. 6. c. 28. & alij communiter. Agit Ariſtoteles de Syllogiſmo expoſitorio ad pro-

bandum Syllogiſmos tertiæ figuræ : tertiæ, inquam, nam prima ſecundum modos directos eſt perfectiſſima, nec indigere videtur alia probatione. Secunda verò, cum habeat medium terminum, qui ſemper ſit prædicatum, conſequenter debet eſſe terminus communis, & ſic non poſſunt eius modi probari per Syllogiſmũ expoſitorium, qui conſtat medio termino ſingulari. Tertia verò figura, cum habeat pro medio termino ſemper ſubiectum; & terminus ſingularis congruentius ſubijciatur, quam prædicetur: benè poterit probari per Syllogiſmum expoſitorium. Adde quod, cum hæc figura habeat omnes concluſiones particulares, & propoſitio particularis benè inferatur à ſingulari: v. g. *Petrus currit; ergo aliquis homo currit*; congruentiſſimè tertia figura per Syllogiſmum expoſitorum probatur.

Exemplum eſt in tertia figura.

Hic homo currit,
Hic homo eſt Petrus;
Ergo Petrus currit.

2 Dicitur hic Syllogiſmus expoſitorius, quia vt habet S. Thomas opuſc. 47. *eſt quædam ſenſibilis reſolutio eorum, quæ in communi dicuntur: Nam*, inquit, Bagnes lib. 5. cap. 9. §. *tandem in hoc capite. Omnis Syllogiſmus de medio communi innititur propoſitioni vniuerſali, & regulatur per* Dici de omni, *&* Dici de nullo; *propoſitio autem vniuerſalis explicatur per ſingularia, quæ ſunt ſenſibus expoſita*, & ſic Syllogiſmus de medio ſingulari, dicitur expoſitorius.

Appendix I. *Gen.*

3 *Pro intelligenda vi huius Syllogiſmi, quæ tota*

ſu-

ſumitur à medio. *Primo ſupponendum, quod omnes dicunt, medium terminum debere eſſe ſingularem. Solum hic examinandum, quæ ſint principia regulatiua huius Syllogiſmi, Bagnes citatus ait eſſe illa duo, ſcilicet.* Quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe: & Quæ ſunt diuerſa vni, *ſeu in vno tertio,* ſunt etiam inter ſe. *Idem ſentit Sotus citatus, & alij communiter. Conimbricenſes verò citati art. 1 aiunt decipi eos, qui id aſſerunt, niſi reducant ad principia Ariſtotelis:* Dici de omni: & Dici de nullo. *Atque hoc ego, quoque ſentio, quia in terminis* Diuinis *principia illa:* Quæ ſunt eadem vni tertio, &c. *ſupra probauimus non valere, niſi cum multis limitationibus, quæ ſi ponantur, non different à principijs:* Dici de omni: & de nullo; *vt ſupra explicauimus. Quare cenſeo cum Soto, ſeruandas eſſe quatuor leges aliorum Syllogiſmorum de medio communi in Syllogiſmo expoſitorio. Primam, quod medius terminus ſit totale extremum, ſeu ſumatur diſtributiuè in aliqua præmiſſarum, ex dictis ſupra in terminis Diuinis. Secundam, quod medium ſub ratione medij non intret concluſionem. Tertiam, quod medium, & totum id, quod ſe tenet ex parte medij in maiore, iungatur in minore cum minore extremitate. Quartam, quod extremitates eodem modo ſe habeant in præmiſſis, & in concluſione. His poſitis.*

4 *In qualibet figura poſſunt fieri Syllogiſmi expoſitorij ex medio termino ſingulari, vt patet conſideranti. Poſſunt etiam reduci alij modi aliarum figurarum ad modos perfectos primæ figuræ, & ad impoſsibile iuxta regulas ſupradictas. Quoniam verò Ariſtoteles vtitur argumento expoſitorio ad* con-

confirmandam neceſsitatem concludendi in tertia figura; videndum quomodo hoc fiat. Ideo.

5 *Notandum. Fonſecam citatum duplicem tradere viam hoc faciendi. Prima eſt, accipere ſingulas præmiſſas Syllogiſmi tertiæ figuræ, & ex ijs deducere alias ex terminis ſingularibus ex quibus deducetur eadem concluſio, quæ deducebatur ex terminis cōmunibus, quæ cum in tertia figura ſit particularis, benè deducetur ex terminis ſingularibus. Fundatur hæc regula in principio dialectico: ſcilicet.* Quicquid ſequitur ex conſequenti, ſequitur ex antecedenti. *Quare cum propoſitiones ſingulares ſint conſequens ad propoſitiones vniuerſales, id quod ſequetur ex illis, ſequetur etiam ex vniuerſalibus: v. g.* Omnis homo eſt albus; *benè infertur;* ergo Petrus eſt albus; *ex quo, cum inferatur;* ergo aliquis homo eſt albus: *hoc idem inferri poterit ex primo antecedenti. Eandem regulam tradunt Conimbricen citati art. 2. Exemplum ſit in* Darapti.

Omne animal eſt ſenſibile:
Omne animal eſt corpus:
Ergo aliquod corpus eſt ſenſibile.

Iam per prædictam regulam deducas ex præmiſſis duas propoſitiones ſingulares, & inferes eandem concluſionem hac ratione.

Hoc animal eſt ſenſibile:
Hoc animal eſt corpus:
Ergo aliquod corpus eſt ſenſibile.

6 *Quoniam verò aliquis Syllogiſmus tertiæ figuræ habet aliquam præmiſſam particularem, ex qua non benè deducitur ſingularis determinata; ideò traditur alia regula à Fonſeca, & Conimbr. citatis. Et ſupponendum propoſitionem particularem diſiunctiuam, ſeu quæ habet deſcenſum diſiuncti·*

ctiuum, habere ſuppoſitionem determinatam, & conſequenter habere veritatem, ratione alicuius determinati, ita vt excluſis alijs, deueniatur ad vnum, ratione cuius verificetur propoſitio, quod accidere ſemper diximus quando eſt propoſitio particularis de prædicato accidentali actuali: dico accidentali, quia, ſi ſit eſſentiale, propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali, & particularis poterit inferre vniuerſalem ratione materiæ: v. g. homo, *ſeu* aliquis homo eſt animal; ergo omnis homo eſt animal; *ex qua benè infertur deinde.* Petrus eſt animal. *His notatis, talis ponitur regula. In Syllogiſmis, qui habent vnam præmiſſam particularem in tertia Figura, & propoſitio habet deſcenſum disiunctiuum; loco illius poni poſſe propoſitionem ſingularem, illam ſcilicet, ratione cuius per deſcenſum verificatur propoſitio particularis; & inferretur eadem concluſio, quæ inferebatur ex propoſitione particulari. Hac ratione.*

Aliquis homo eſt muſicus, Omnis homo eſt animal.

Ergo aliquod animal eſt muſicum.

Loco maioris ponatur illa ſingularis, ratione cuius excluſis alijs, verificatur dicta propoſitio; ſcilicet, hic homo eſt *muſicus, ex qua inferetur eadem concluſio.*

7 *Obijcies primo. In exponendis Syllogiſmis tertiæ figuræ vtimur modo procedendi à propoſitione vniuerſali ad ſingularem ſed hic modus non eſt formalis conſequentia; ergo talis probatio per Syllogiſmum expoſitorium non eſt euidens.*

Reſpondetur concedo maiorem, nego minorem; nam in hac conſequentia; omnis homo eſt animal; ergo Petrus eſt animal, *ſub intelligitur*

mi-

minor ; Petrus eſt homo *ratione cuius eſt formaliſſima conſequentia .*

8 *Obijcies ſecundo propoſitio particularis non dicit determinate vnam ſingularem ; ergo ex ea non licet inferre propoſitionem ſingularem.*

Reſpondetur ex dictis; terminum, qui habet deſcenſum diſiunctiuum, ſupponere determinate: videt enim ſaltem Deus, cui termino conueniat tale prædicatum ; diſiunctiua ergo eſt vera ratione vnius determinati , & ſic debet enumerando per excluſionem aliorum perueniri poſſe ad vnum, de quo excluſis alijs , verificetur prædicatum modo ſupra explicato : de eo autem, de quo per excluſionem cæterorum verificatur prædicatum , poterit fieri propoſitio ſingularis determinata ; & ſic diſtinguo antecedens argumenti facti ; propoſitio particularis non dicit determinatè explicitè vnam ſingularem concedo, implicitè nego, per quod diſtinguitur à propoſitione particulari ſupponente confuſè, quæ, neque implicitè eſt vera, ratione vnius determinati , vt mox dicemus ;

9 *Obijcies tertio. & difficilius ex* Conimb. & *Fonſeca citatis . Cum propoſitio eſt particularis de ſubiecto ſupponente confuſè habente ſenſum diſiunctum , non poteſt enumerando deueniri ad vnum determinatè, de quo verificetur talis propoſitio ex ſupradictis: ergo Syllogiſmus conſtans tali propoſitione non poterit probari per expoſitorium .*

Reſpondetur ex Fonſeca præſertim , qui egregiè hoc explicat; dupliciter accipi poſſe huiuſmodi propoſitionem v. g. aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndũ. *Primo, vt habeat ſenſum diſiunctum, qua ratione non putauit Ariſtoteles poſſe ex ea fieri Syllogiſmum ; eò quod non poſsit ex ea inferri*

a.

aliquid determinatum, nec conuerti ſimpliciter, accipiendo terminos ſingulares, quomodo fieri poteſt, quando propoſitio eſt diſiunctiua, vt ſupra explicauimus. Quare non valet; aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum; ergo aliquod neceſſariū ad videndum eſt hic oculus, *vt valet, cum propoſitio eſt diſiunctiua;* Aliquis diſcipulus habet annulum; *nam cum talis propoſitio verificetur ratione vnius determinati, benè poteſt dici;* ergo aliquod habens annulum eſt vnus determinatus; *eo quod ſingulos examinando, & videndo; ad vnū deueniri poterit, de quo dicatur determinatè, hic habet annulum: & ſic infert;* ergo aliquod habens annulum eſt Petrus *v g.; vt non poteſt fieri in propoſitione de prædicato potentiali habente deſcenſum diſiunctum, vt modò diximus, eò quod de nullo oculo determinato poteſt dici, hic eſt neceſſarius; cum de quolibet verè poſſit dici, hic non eſt neceſſarius, enumerando ſingulos; vt enumerando ſingulos diſcipulos, non poterit dici cum veritate, hic non habet annulum, cum Deus ſaltem ex dictis videat, qui habeat annulum, ratione cuius determinati, eſt vera propoſitio:* aliquis habet annulum, *vt non videt, quæ determinata nauis. v g. ſit neceſſaria ad nauigandum, cum videat, nullam determinatè eſſe neceſſariam. Secundò accipi poſſe huiuſmodi propoſitionem ita vt imitetur naturam propoſitionis de ſubiecto ſingulari determinato, id eſt, vt complectatur vtramque partem propoſitionis diſiunctæ, cui æquiualet particularis: & tunc totum diſiunctum, ſiue ſubiectum diſiunctim acceptum debet eſſe prædicatum minoris, vt inferatur concluſio eo modo, quo ſe habet terminus ſingularis, vel vniuerſalis ſingulariter acceptus; vt dixi*

ſe

ſe habere in hac propoſitione ; omnes Apoſtoli ſunt duodecim;*in qua ly*, omnes *accipiuntur determinatè ſimul vt terminus ſingularis: v.g.*

Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndũ,
Dexter, vel ſiniſter eſt aliquis oculus:
Ergo dexter, vel ſiniſter eſt neceſſarius ad videndum.

10 *Vbi aduerte prædictum Syllogiſmum non concluſurum, ſi minor eſſet talis; ſcilicet* dexter, *ſeu* hic oculus eſt aliquis oculus, *quia non prædicaretur totus medius terminus de ſubiecto minoris. Committeretur autem idem vitium, atque in hoc Syllogiſmo.*

Omnes Apoſtoli ſunt duodecim:
Petrus, & Andreas ſunt Apoſtoli:
Ergo Petrus, & Andreas ſunt duodecim:

11 *Fallacia autem vtriuſque eſt; quod medius terminus non ſumitur totus in minori, vt erat in maiori, in qua, cum non ſupponat diſtributiuè, ſed vel copulatim, vel diſiunctim; in minori accipitur pro vna parte; ea ratione, qua de homine prædicando animal; de materia deinde, quæ eſt pars hominis, prædicarem etiam animal. Ex his*

12 *Collige breuiter ſolutionem aliquorum Sophiſmatum, Primum eſt*

Quod ego habeo tibi do,
Ego habeo oculos:
Ergo oculos tibi do:

non concludit: quia vel medius terminus eſt, quod habeo, *& non concludet; nam hoc relatiuum refertur ad illud, quod in minore ponitur pro prædicato, ita vt ſenſus ſit;* Sed oculi ſunt aliquid, quod habeo: *quo poſito, medius terminus erit particularis; atque ita argumentum procederet ex pu-*

tis

ris particularibus, vel medius terminus eſt ego, *& tunc, id, quod eſt prædicatum minoris, eſt etiam prædicatum concluſionis, cum deberet eſſe ſubiectũ ex regulis tertiæ Figuræ: nam ſenſus minoris eſt;* ſed ego ſum aliquid, habens oculos: *ſenſus autem maioris eſt;* ego ſum tibi dans, quod habeo: *concluſio autem deberet fieri:* ergo habens oculos, do tibi aliquid, quod habeo; *non autem;* ergo habens aliquid, do tibi, oculos. *Atque ita conſtruendus eſſet totus Syllogiſmus.*

Quod ego habeo tibi do:
Sed ego habeo oculos:
Ergo habens oculos, tibi do aliquid, quod habeo.

æquiuocatio autem committitur in ly, Habeo, *quod cum ſemel ſe teneat ex parte prædicati, ſemel ex parte ſubiecti; confunditur vnum cum alio.*

Secundo, nec valet iſtud

Quod ego habeo tu non habes;
Ego habeo oculos;
Ergo tu oculos non habes.

14 *Non inquam valet, nam argumentum eſt ex puris particularibus, ſupponendo quod medius terminus ſit ly,* quod, *vt ſenſus minoris ſit,* ſed aliquid, quod ego habeo, ſunt oculi, *non enim eſt diſtributus medius terminus; non in maiori quia cum ſit particularis negatiua, non diſtribuit ſubiectum, quod eſt medius terminus; neque in minori, quia eſt particularis affirmatiua, ſi autem medius terminus ſit,* ego, *non concludet ſyllogiſmus; nam ſenſus maioris erit:* ego ſum habens, quod tu non habes; *ſenſus minoris eſt*, ego ſum habens oculos, *concluſio autem conficienda erit ex prædicato minoris, & prædicato maioris, hac ratione* ergo habens

bens oculos non ſum habens quod tu habes.

14 Tertio, nec valet iſtud.

Quod ego habeo, tu non vides; Ego habeo equum:
Ergo tu non vides equum.

non concludit; & præmiſſæ poſſunt eſſe veræ, concluſio falſa; nam ex ſuppoſitione, quod tu non videres veſtem meam, & videres equum, veræ eſſent præmiſſæ, & falſa concluſio. Defectus ſunt ijdem qui ſupra; & argumentum procedit ex puris particularibus,

15 *Hinc collige ſolutionem ſophiſmatis Diogenis propoſiti à diſcipulo Platonis.*

Quod ego ſum tu non es: Ego ſum homo;
Ergo tu non es homo:

ſoluere putauit Diogenes dicendo, Incipe inquit, à me, & conficies te non eſſe hominem, qui arguis. Sed reſpondetur facilè, defectum eſſe à non diſtributo ad diſtributum, nam in concluſione, homo, *eſt diſtributus, cum ſit propoſitio negatiua, in minori verò non diſtribuitur. Si quis autem velit medium terminum eſſe ly,* ego, *ſenſu erit huiuſmodi.*

Ego ſum aliquid, quod tu non es; ſed ego ſum homo:
Ergo aliquis homo eſt aliquid, quod non tu es.

Qua ratione optimè concludet per expoſitionem.

Alia plura ſophiſmata affert, & ſoluit Sot loc. cit. Videat qui velit apud illum. Solum ſupereſt examinandum, an in terminis Diuinis valeat hic modus ſyllogizandi. Ideo ſit

CA-

CAPVT XVII

De modo ſyllogizandi in terminis Diuinis.

Appendix Tertij Gen.

1 C*Vm termini Diuini omnes ſint ſingulares; videndum quomodo in ijs ſit ſyllogizandum*. Pro quare.

2 *Notandum primo. Ex fide* Catholica *ſupponendum Deum eſſe vnum in eſſentia, & trinum in perſonis. Quo poſito. Quicquid eſt in Deo identificatur cum eſſentia Diuina. Quare idem eſt in Deo*, omnis eſſentia, & hæc eſſentia, *vt in nobis, idem eſt, omnis Petreitas, & hac Petreitas. Termini autem Diuini alij dicuntur eſſentiales, alij perſonales, alij notionales: Terminus eſſentialis eſt, qui ſupponit pro eſſentia, & verificatur de perſonis, cum quibus identificatur. Quare habet duplicem ſuppoſitionem, alteram immediatam, alteram mediatam. Prima eſt ad modum ſuppoſitionis ſimplicis. Secunda ad modum ſuppoſitionis perſonalis; & ſecundam ſuppoſitionem appellat Sotus* verificari de alijs à ſe; *& primam,* ſupponere ſolum pro ſe. *Terminus perſonalis eſt, qui ſupponit pro vna, vel pluribus perſonis, vt* Pater, Filius, Trinitas, *&c. Terminus notionalis eſt, qui ſignificat notionem, hoc eſt productionem, vel actiuã, vel paſsiuam, vt* generare, generari, genitus, ge-

nerans, ſpirare, ſpirans. *Notio enim eſt ratio, vt innoteſcat perſona* Diuina, *quatenus ab alia diſtinguitur. Vnde quinque notiones aſſignãtur in Diuinis*: Innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, Proceſsio, Spiratio.

3 N*otandum ſecundo. Diuerſo modo debere aſſignari terminum, vt ſupponat diſtributiuè in Diuinis, ac in creatis: nam in creatis, cum non reperiatur hoc, quod duo identificentur ſecundum vnam rationem, & ſecundum alteram diſtinguantur realiter, idem erit dicere,* Omnis homo, *ſeu* nullus homo, *ac* Quicquid eſt homo, *ſeu* Nihil quod eſt homo; *in Diuinis verò, non eſt idem dicere,* Omnis Pater, & quicquid eſt Pater: *ſeu* nullus Pater; & nihil quod eſt Pater, *nam iſta eſt vera propoſitio*; nullus Pater eſt filius; *iſta verò falſa*; nihil quod eſt Pater eſt Filius: *& in prima*, nullus Pater, *non ſupponit diſtributiuè, ſed copulatim, prout eſt quid inuoluens eſſentiam; &* Paternitatem. *In ſecunda vero ſupponit diſtributiuè; eò quod comprehendit omnia, quæ identificantur in vna eſſentia, & ipſam eſſentiam: quæ bene tenenda ſunt ad euitandas infinitas æquiuocationes. His poſitis,*

4 *Dicendum non eſſe aſſignanda alia principia dialectica ad ſyllogizandum in terminis Diuinis. Eſt commune Theologorum, vt ait Sotus lib. 5. 3. p cap. 2.*

5 Probatur. *Res fidei non debent repugnare principijs naturalibus: ſed principia dialectica ſunt principia naturalia: ergo principijs dialecticis non debent repugnare res fidei.*

6 Con-

6 *Confirmatur; quia alioquin res fidei non eſſent nobis perſuaſibiles, quod eſt erroneum.*

Difficultas eſt in ſoluendis obiectis.

7 *Primo, hæ propoſitiones ſunt contradictoriæ.*

Omnis eſſentia diuina eſt Pater.

Aliqua eſſentia Diuina non eſt Pater.

& tamen vtraque propoſitio eſt vera. Prima quidem, quia idem eſt in Deo omnis eſſentia, & hæc eſſentia, ſeu aliqua eſſentia. Secunda vero, quia Filius eſt aliqua eſſentia Diuina; ergo aliqua eſſentia Diuina, quæ eſt Filius, non eſt Pater. Ex his conficiuntur hi Syllogiſmi.

Omnis eſſentia Diuina eſt Pater:

Filius eſt eſſentia Diuina: Ergo Filius eſt Pater.

8 *item negatiuè*

Nullus Pater eſt Filius:

Omnis eſſentia Diuina eſt Pater;

Ergo nulla eſſentia Diuina eſt Filius.

9 *item in Syllogiſmo expoſitorio*

Hæc eſſentia diuina eſt Pater:

Hæc eſſentia Diuina eſt Filius: Ergo Filius eſt Pater.

10 *In notionalibus etiam iſta ſunt contradictoria oppoſita.*

Hic Deus generat: Hic Deus non generat:

& tamen vtraque eſt vera, ſumendo ly, Deus, *in prima pro Patre, in ſecunda pro Filio. In ſyllogiſmis verò de iiſdem terminis ſequuntur concluſiones falſæ.*

Pater generat: Eſſentia Diuina eſt Pater:

Ergo Eſſentia Diuina generat.

11 *item negatiuè.*

Eſſentia Diuina non generat;

Pater eſt eſſentia Diuina; Ergo pater non generat.

Vtraque concluſio falſa eſt, cum ſint vera præmiſſa: ergo in terminis Diuinis, neque ratio oppoſitionis, quæ reperitur in nobis, valet, neque eadem ratio ſyllogizandi.

12 *Sed contra. Et ad primum, concedo illius propoſitiones eſſe oppoſitas, ſed prima eſt vera, ſecunda falſa, quia idem eſt ex dictis;* omnis eſſentia Diuina, *ac* aliqua eſſentia Diuina; *Ratio, quæ affertur, non vrget; nam, tunc accipitur in propoſitione*, eſſentia *pro aliqua perſona, quãdo ponitur illa perſona, vt nõ ponitur Filius in ſecunda propoſitione, & cum ſit negatiua, videtur facere hunc ſenſum;* nihil quod eſt aliqua eſſentia Diuina eſt Pater, *quod eſt falſum.*

13 *Ad argumentum. Reſpondetur, non concludere; quia procedit à medio non diſtributo. Nam ly*, eſſentia Diuina, *eſt terminus ſingularis ſecundum ſe, & ſic idem eſt dicere*, omnis eſſentia, & hæc eſſentia, *qua ratione ſupponit ſimpliciter; habet tamen rationem termini communis, & ſic ſupponit perſonaliter, ratione perſonarum, cum quibus identificatur, & de quibus dici poteſt. Sed tunc deberet talis eſſe maior:* Quicquid eſt eſſentia Diuina eſt pater, *vt ſupra diximus; in quo ſenſu falſa quidem eſſet maior, & bonus ſyllogiſmus.*

14 *Ad ſecundum reſpondeo, nec etiam illud concludere, quia medius terminus*, pater, *non eſt diſtributus; non in minori, vt patet; nec in maiori,*

iori, *quia ex dictis non eſt idem*, nullus pater: *ac* Nihil quod eſt pater: *quo ſecundo modo diſtribueretur, non primo, eò quod, hoc ſecundo modo excludat omnia, cum quibus identificatur* Pater, *ab identitate Filij.* *Dicendo verò*, nullus Pater, *excludit ab identitate Filij ſolum hoc complexum perſona patris, quod eſt verum. Sed terminus*, nullus pater, *non eſt diſtributus: & ſic non concludit.*

15 *Ad tertium, qui videtur expoſitorius, nego eſſe talem, ſed ex puris particularibus: nam,* eſſentia Diuina, *ex S. Tho. in* 1. *diſtinct.* 4. *q.* 10 *art.* 2. *vt refert Sotus citatus, & alij communiter, habet rationem termini ſingularis, quatenus ſupponit, & accipi poteſt pro vna ſola eſſentia, non pro pluribus; & ideo non prædicatur in plurali; ſed tamen habet rationem termini communis, in hoc, quod prædicatur de pluribus perſonis, cum quibus identificatur; qua ratione, cum nunquam diſtribuatur medius terminus, argumentum procedet ex puris particularibus æquiualens huic*

Aliquod corpus eſt lapis: Aliquod corpus eſt animal;

Ergo aliquod animal eſt lapis.

Eadem ratione in caſu noſtro, Eſſentia *non diſtribuitur, ſed modò accipitur contracta ad Patrem, modò ad Filium; ſicut in hoc ſyllogiſmo ly,* corpus, *modò accipitur pro lapide, modò pro animali; & ſic nunquam eſt totale extremum, vt deberet eſſe ad concludendum.*

16 *Ad illud de notionalibus, dico illas propoſitiones eſſe contradictorias; ſeu primam eſſe ve-*

ram, ſecundam falſam. Nam, cum non ſit alius Deus, niſi hic; dicendo negatiuè, hic Deus non generat, videtur facere hunc ſenſum, nihil quod eſt Deus generat; & ſic eſt falſa propoſitio, niſi alio modo determinetur, addendo, Filius, vel aliquid aliud;

17 *Ad primum argumentum ex terminis notionalibus, dico non concludere, quia medius terminus,* pater, *non eſt diſtributus, nec poteſt diſtribui cum veritate, dicendo;* quicquid eſt Pater generat; *nam cum,* generare, *ſit verbum notionale ex dictis, & notiones appellent rationem formalem propriam perſonæ, non communem, qualis eſt,* eſſentia: *hinc fit vt non poſsit diſtributiuè prædicari de eſſentia, quicquid prædicatur de Patre, vt ſupra de terminis concretis fusè explicaui: falsò enim diceretur;* quicquid eſt Pater generat; *qua ratione eſſet bonus Syllogiſmus ſupra poſitus, ſed falſa maior.*

18 *Ad ſecundum negatiuum. dico non valere: nam* eſſentia Diuina, *quæ eſt medius terminus, non eſt diſtributa, vt diſtribueretur, ſi diceretur* nihil quod eſt eſſentia Diuina generat: *vbi aduerte ex dictis ly,* generare *appellare terminum perſonalem, non eſſentialem.*

19 *Alia plura in hac re congerunt Sotus citatus; & Bagnes lib. 3 cap 10 Videat, qui velit apud illos, Satis autem fuerit hæc indicaſſe Tyronibus, vt aſſueſcant non decipi in ſyllogizando in terminis Diuinis.*

CA-

CAPVT XVIII.

De Sylogiſmo hypotethico.

1 REpetenda ſunt, quæ diximus de propoſitionibus hypoteticis, vt videamus, qui ſyllogiſmi confici poſsint ex ijs. Fonſeca lib. 6. cap. 32. Tolet. lib. 4. cap. 17. conſtituunt horum ſyllogiſmorum figuras, & modos; ſed vt videbimus, ſunt modi imperfecti, nec habent veram formam, niſi ratione aliorum categoricorum, quos includunt, & ad quos reducuntur. Pro intelligentia.

2 *N*otandum. Supra nos enumeraſſe duplex genus propoſitionum hypotheticarum; alterum proprium, alterum improprium; & proprium diximus eſſe conditionalium; improprium copulatiuarum, & diſiunctiuarum. Primum appellamus proprium, quia vna propoſitio connexionem habet cum altera, vt non habent propoſitiones ſecundi generis; & primum genus continet tres ſpecies propoſitionum conditionalium. Prima eſt propriè conditionalium per particulam, *Si*. Secunda eſt cauſalium per particulam, *Quia*. Tertia rationalium per particulam *Ergo*. De hac poſtrema non agendum; nam non diſtinguitur à Syllogiſmo, vel ab Enthymemate; neque de ſecunda, quia idem dicendum de ea, ac de conditionalibus illatiuis, ſeu cauſalibus. de quibus hìc ſolum agendum; nam alia conditionalia, ex quibus, cum non habeant neceſſariam connexionem ad inuicem;

antecedens, & conſequens, non poteſt aliquid neceſſariò inferri: huc non pertinent. His poſitis, generatim nos quærere poſſumus de huiuſmodi Syllogiſmis. Primo; an concludant ratione ſuæ formæ, eò quòd ſit debita diſpoſitio terminorum in figura, & modo iuxta regulas ſupra traditas cum alijs conditionibus logicalibus, diſtributionis, prædicationis, ſubiectionis, &c. Secundò, an concludant ratione Syllogiſmi categorici, quem includunt, & ad quem facile reducuntur. Et videtur certum huiuſmodi Syllogiſmos non concludere immediatè ratione debitæ diſpoſitionis, & aliarum legum Syllogiſmorum, ſed ſolum mediatè; eò quod implicent vnum, vel plures Syllogiſmos categoricos, & ad eos reducantur, cum non habeant ex ſe proprietates logicales, vt conſtabit infra. His poſitis prius agemus de hypotheticis propriis, deinde de alijs. Pro quibus.

3 Exiſtimo primo. Si fiat Syllogiſmus ex vtraque conditionali; tunc benè inferri conclusionem conditionalem, ſed continere in ſe triplicem Syllogiſmum ratione triplicis medij in talibus propoſitionibus incluſi: v.g.

Si omnis homo eſt animal, eſt ſenſibilis:
Sed ſi omnis homo eſt ſenſibilis, eſt corpus:
Ergo ſi omnis homo eſt animal, eſt corpus.

Valet hìc ſyllogiſmus; quia ex dictis æquiualet, & explicatur per regulas Soritis, & fundatur eius vis in hoc, quod de eo, de quo verificatur primum conſequens, verificantur omnia, quæ ſequuntur ad ipſum conſequens, vt patet in exemplo allato. Ex maiore ergo talis conficietur Syllogiſmus.

Om-

Omne animal eſt ſenſibile:
Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo eſt ſenſibilis.

4 Ex minore etiam talis erit Syllogiſmus.
Omne ſenſibile eſt corpus;
Omnis homo eſt ſenſibilis;
Ergo omnis homo eſt corpus.

Demum ex concluſione:
Omne animal eſt corpus; Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt corpus.

5 Exiſtimo ſecundo, Si Syllogiſmus conſtet ex maiore hypothetica, & minore categorica, non eſſe in rigore Syllogiſmum formalem; implicare tamen illum, & ad eum facile reduci. ver. gr.
Si ſol eſt, dies eſt; Sed ſol eſt; Ergo dies eſt. ita reducetur ad *Darij*.
Quotieſcunque eſt ſol, eſt dies;
Sed nunc eſt ſol. Ergo nunc eſt dies.

6 Negatiuè verò poſſunt confici ſyllogiſmi ex omnibus propoſitionibus negatiuis hypotheticis. v.g.
Si homo non eſt ſubſtantia, non eſt corpus:
Sed ſi non eſt corpus non eſt animal.
Ergo ſi non eſt ſubſtantia, non eſt animal.

7 Syllogiſmus videtur negatiuus, ſed includit Syllogiſmum conſtantem minore propoſitione affirmatiua in figura, & modo: v.g. *Ferio.*
Nullum; quod non habet ſub conditione gradum ſuperiorem, habet ſub eadem inferiorem:
Sed homo eſt aliquid non habens ſub conditione ſubſtãtiam, qui eſt gradus ſuperior.

Ergo nec eſt aliquid ſub eadem habens gradum inferiorem.

8 Eodem modo cõcludit, ſi ſyllogiſmus conſtet ex maiore hypothetica, & minore categorica, vtraque tamen negatiua. v.g.

Si Sol non eſt: dies non eſt;
Sed Sol non eſt ; Ergo dies non eſt.

Et maior quidem adhuc continet vnam propoſitionem affirmatiuem, non quidem eodem modo, ac quando prædicatum identificatur cum ſubiecto;ſed ſolum, vt importatur connexio inter cauſam, & effectum, quæ conſiſtit in hoc,vt ſimul exiſtant cauſa, & effectus.

9 His poſitis. Duplicem figuram conſtituit pro his Syllogiſmis Fonſeca. Prima eſt ; vt ex poſitione antecedentis ; ponatur conſequens. Secunda, vt ex negatione conſequẽtis tollatur antecedens. Exemplum primæ eſt Syllogiſmus poſitus initio, ſcilicet.

Si Sol eſt dies eſt;Sed Sol eſt:Ergo dies eſt.

10 Exemplum ſecundæ eſt.

Si Sol lucet dies eſt ; Sed non eſt dies.
Ergo Sol non lucet.

11 Pro ſingulis figuris quatuor modos aſſignat,& pro prima quidem.Primus eſt,cum tam antecedens,quã cõſequens eſt affirmatiuũ, v.g.

Si Sol lucet,dies eſt: Sed Sol lucet :
Ergo dies eſt.

hic non eſt Syllogiſmus perfectus, ſed facile reducitur ad *Darij*, formando Syllogiſmum ex prima propoſitione hypothetica, & alijs ſine particula conditionali.

Quotieſcumque Sol lucet,eſt dies ;
Sed nunc Sol lucet:Ergo nunc eſt dies.

Se-

12 Secundus modus eſt, cum antecedens, & conſequens eſt negatiuum, & huius exemplum ſupra attulimus in Syllogiſmo, qui incipit. *Si Sol non eſt.*

13 Tertius eſt, cum antecedens eſt affirmatiuum, & conſequens negatiuum: v. g.

Si Sol lucet, non eſt nox: Sed Sol lucet:
Ergo non eſt nox.

Et hic quoque continet verum Syllogiſmum in quem reſolui poteſt ex propoſitionibus abſolutis: v. g.

Quotieſcunque Sol lucet, non eſt nox;
Sed nunc Sol lucet, Ergo nunc non eſt nox.

14 Quartus cum antecedens eſt negatiuum, & conſequens affirmatiuum: v. g.

Si Sol non lucet, nox eſt, Sed Sol non lucet.
Ergo nox eſt.

concluſio eſt affirmatiua, antecedens verò negatiuum, ſed æquiualens affirmatiuo, vt patet ex eius exponentibus, quæ ſunt tales.

Negatio lationis Solis ſuper terram eſt nox:
Sed nunc eſt negatio talis lationis.
Ergo nunc eſt nox.

15 Secundæ figuræ; cum tollitur conſequens vt tollatur antecedens.

16 Primus modus eſt, cum antecedens, & conſequēs eſt affirmatiuum in maiori, & in minori ponitur conſequens negatiuū, vt inferatur pro concluſione antecedens negatiuum: v. g.

Si Sol lucet, dies eſt: Sed dies non eſt:
Ergo Sol non lucet. ita reſoluetur.
Quotieſcunque Sol lucet, dies eſt:
Sed nunc non eſt dies:
Ergo nunc Sol non lucet.

17 Secundus modus eſt,cũ antecedens & cõſequens eſt negatiuum in maiore; in minore verò affirmatur conſequens. & in concluſione affirmatur antecedens; v. gr.

Si Sol lucet, dies non eſt;
Sed dies eſt: ergo Sol lucet.

cuius vis ita explicatur per Syllogiſmum categoricum,

Quotieſcunque aliqua duo ponuntur habere neceſſariam connexionem ad inuicẽ, ad poſitionẽ, vel ablationem vnius ponitur, vel tollitur alterũ.
Sed taliter ponuntur ſe habere Solem lucere. & diem eſſe.
Ergo ad poſitionem, vel ablationem vnius debet poni, vel tolli alterum.
Sed nunc ponitur eſſe dies:
Ergo nunc Sol lucet.

18 Tertius.Si antecedens ſit affirmatiuum,& conſequens negatiuum in maiore,in minore affirmetur conſequens, & in concluſione antecedens negetur.

Si Sol lucet non eſt nox:Sed nox eſt:
Ergo Sol non lucet.

Reducetur ad ſyllogiſmum categoricum eadem ratione.

19 Quartus eſt; cum antecedens eſt affirmatiuum,& conſequens negatiuum in maiore, in minore conſequens negatiuum, in concluſione antecedens affirmatiuum:v.gr.

Si Sol non lucet nox eſt: Sed nox non eſt:
Ergo Sol lucet

reducetur facile ad ſyllogiſmum categoricum eodem modo

20 Poſſunt fieri ſyllogiſmi conditionales ne ga-

gatiui negatione præcedente totam propoſitionem, in quibus ipſa particula conditionalis negetur; v.gr. *non ſi Sol lucet dies eſt*. Sed vt benè aduertit Fonſeca huiuſmodi ſyllogiſmi non ſunt in vſu,& facile quis poterit ex dictis colligere ſenſum illarum propoſitionũ, vt reducat illas ad categoricas. Ex quibus habetur ſyllogiſmum hypoteticum non eſſe ſyllogiſmũ formalem ſecundum terminos explicite poſitos;eò quod ſyllogiſmus formalis conſtet tribus terminis, & propoſitionibus;at hypotheticus ex dictis conſtat ex pluribus licet cõnexis, ratione cuius connexionis implicant in ſe vnũ vel plures ſyllogiſmos formales. Atque hæc de ſyllogiſmis hypotheticis propriè dictis.

21 Secundum genus ſyllogiſmi hypothetici eſt,qui conſtat propoſitionibus copulatiuis,vel diſiunctiuis. Pro quibus,

22 Notandum ex Toleto,& Fonſeca. Primo ſyllogiſmos copulatiuos ex affirmata copula nullos eſſe: & ſi qui videntur,ait Fonſeca,illos habere maiorem conditionalem;v g.

Si Socrates eſt Philoſophus, & bonus vir, eſt Philoſophus:
Sed eſt Philoſophus, & bonus vir:
Ergo eſt Philoſophus.

23 Dici forte poſſet ex huiuſmodi propoſitionibus fieri Enthymema.

Socrates eſt Philoſophus, & bonus vir;
Ergo eſt Philoſophus.

habere tamen adhuc maiorẽ incluſam vniuerſalẽ,quæ fundatur in eo,quod qui habet duo, habet vnũ:atque talis fiet ſyllogiſmus addẽdo Enthymemati facto,hanc maiorem. *Omnis Philo-*

loſophus & bonus vir eſt philoſophus, &c.

24 Secundo, Pro copulatiuis negatiuis vnã tantum figurã agnoſcunt, in qua ponitur vna pars propoſitionis ad tollendã alterã: cuius figuræ tres aſſignant modos. Primus eſt, quando eſt copulatiua de partibus affirmatis cũ negatione in fronte negante totam propoſitionem, tũc valere à tali propoſitione poſita pro maiore, & pro minore, à parte affirmatiua, ad negationem alterius partis pro concluſione; v. gr.

Non homo currit ſimul & ſedet;
Sed currit: Ergo non ſedat. ſiue dicas
Sed ſedet: ergo non currit.

25 Non valet autem à negatiua pro minore ad affirmatiuam hac ratione.

Sed non ſedet: Ergo currit:
vel *Sed non currit: Ergo ſedet.*

Non, inquam valet; nam poteſt non currens ſtare, & non ſedens iacere. Ex ſupradictis de oppoſitione, & æquipollentia propoſitionũ; illa maior æquiualet huic; *vel homo non currit, vel ſi currit, non ſedet.* Quomodo autem reducatur prædictus ſyllogiſmus ad bonam formam videbimus paulò poſt, cum agemus de ſyllogiſmo ex propoſitionibus diſiunctiuis.

26 Secũdus modus eſt, quãdo propoſitio copulatiua vltra negationẽ in fronte habet negationẽ in ſingulis ſuis partibus; & tunc benè ab illa pro maiore. & negatione alterius partis pro minore, valet ad affirmationẽ alterius partis; verbi gratia.

Non homo non ſtudet, & non legit: ſed nõ ſtudet. Ergo legit. vel è contra
Sed non legit; ergo ſtudet.

27 Non valet autem affirmatiuè.

Studet: Ergo non legit. vel è contra

Nam ſenſus eſt, quod non ſint ſimul verę illæ partes negatiuæ; ergo hoc ipſo, quod ponitur vna illarum pro minore vt vera, altera negatiua erit falſa, & conſequenter eius oppoſita affirmatiua erit vera.

28 Tertius modus eſt, quādo propoſitio copulatiua habet etiā negationē in fronte; ſed altera pars eſt affirmatiua altera negatiua: bene ex illa, & ex vna parte affirmatiua pro minore infertur altera pars negatiua facta affirmatiua: & idem valet, ſi pro minore ponatur illa, quæ erat negatiua, & pro concluſione illa, quæ erat affirmatiua facta negatiua: v. gr.

Non homo currit, & non mouetur;

Sed currit: Ergo mouetur.

vel dicas

Sed non mouetur: Ergo non currit.

29 Vbi nota, partem, quæ infert aliam; eſſe, *ſed currit*, quia ly, *currit*, infert quod *mouetur*, non contra. Et ideò ab affirmatiua illatiua benè colligitur altera affirmatiua, non autem ab eadem negatiua. Non enim valeret, *non currit, ergo non mouetur.* Sed benè à negatiua illata ad negatiūam inferentem, ſcilicet, *non mouetur, ergo non currit.* Vis autem huius ſyllogiſmi fundatur in ea maiore, cuius ſenſus eſt, quod non ſint ſimul veræ; *homo currit, & homo non mouetur.* Hæc ferè habēt Auctores citati, & communiter Summuliſtæ.

30 Ad pleniorem tamen doctrinam addenda, quæ ſequūtur. Primò, vel copulatiua cōponitur ex duabus propoſitionibus categoricis expreſ-

preſsis, & diſtinctis: v.g. *omnis homo eſt animal; & omnis lapis eſt corpus.* vel copulatiua conſtat ex duobus ſubiectis, & vno prædicato: aut è cõtra ex duobus prædicatis, & vno ſubiecto: & hæc vltima, vel habet ſenſum copulatum, ſeu copulatiuum, vel diuiſiuum: & primus eſt, cum vnum prædicatum indiuiſibiliter dicitur de duobus ſubiectis, verbi gratia, *Petrus, & Paulus ſunt duo*: vbi ly, *duo*, indiuiſibiliter prædicatur de vtroque: ſecundus eſt, cum implicantur duæ propoſitiones: v. g. *Petrus, & Paulus eſt homo*: ſiue *Petrus eſt Logicus, & Muſicus.* Idem dicendum de his particulis, *Vterque Neuter*, &c. Quod diximus de copulatiuis; idem etiam dicendum de disiunctiuis; ſcilicet quod particula, *Vel*, accipi poſsit diſiunctiue, & diſiunctim modo ſupra explicato.

31 Secundo pro propoſitionibus copulatiuis conſtantibus ex duabus categoricis vel expreſsis, vel implicatis, dicendum idem ac ſupra diximus de copulatiua ex affirmata copula; in quo Syllogiſmo vna pars copulatiuæ, quæ ponitur in præmiſſis eſt inutilis ad inferendũ: v.g.

Omnis homo eſt animal, & omnis equus eſt hinnibilis.

Petrus eſt homo. Ergo Petrus eſt animal.

Vbi vides alteram partem maioris copulatiuæ eſſe inutilem. Si autem ex ea inferas rurſus *Brunellus eſt equus ergo Brunellus eſt hinnibilis*; benè concludet in *Darij*, ſed erunt duo Syllogiſmi.

Si verò ly, *Et*, accipiatur copulatim; tunc nõ ſumitur diſtributè, & conſequenter debet repeti ly, *Et*, in minori. v.g.

Pe-

Petrus,& Paulus ſunt duo :
Hic homo,& hic, ſunt Petrus , & Paulus;
Ergo hic , & hic ſunt duo .

Si autem ſubſumeretur

Hic homo eſt Petrus : Ergo hic homo eſt duo; malè concluderet ; quia medius terminus in maiore accipitur *copulatim*, in minore acciperetur *diuiſim*, & ſic nō eſſet totale extremū, vt nō benè infertur, ex eò quod materia ſit pars hominis, & homo ſit animal; materiā eſſe animal.

32 Tertio pro diſiunctiuis, & diſiunctis, cum medius terminus ſupponit hoc modo, regulariter non tenet Syllogiſmus; v. g.

Hic , vel ille oculus eſt neceſſarius ad videndum :
Oculus dexter eſt hic, vel ille oculus :
Ergo oculus dexter eſt neceſſarius ad videndum .

Non, inquam, valet; nam ly *hic vel ille oculus*, qui eſt medius terminus, ęquiualet *aliquis*, & ſic cum præmiſſæ ſint particulares, nunquam eſt diſtributus, ſicut non valet hic

Aliquod animal eſt equus ;
Homo eſt aliquod animal;
Ergo homo eſt equus .

33 Quarto Quoniam ly, *Et*, & *Nec* æquiualent *Omnis*, & *Nullus ; Vel* autem valet, *Aliquis;* poſſe Syllogiſmum conflari ex maiore copulatiua, & minore diſiunctiua: v.g.

Petrus, & Ioannes interfecit Antonium;
Hic homo eſt Petrus, vel Ioannes :
Ergo hic homo interfecit Antonium.

34 Hic eſt bonus Syllogiſmus in *Darij*; nam licet propoſitiones ſint de terminis ſingularibus,

bus, propter notam vniuerſalitatis,& particularitatis ſequuntur naturam ſyncategorematis, *Omnis* & *aliquis*.

Vnde fit, quod ſicut, ſi maior eſſet hæc;

Aliquis homo interfecit Antonium:

non bene ſequeretur.

Petrus eſt homo: ergo Petrus interfecit Antonium

35 Ita nec ſi talis eſſet maior.

Vel Petrus, vel Ioannes interfecit Antonium
bene ſequeretur

Hic homo eſt Petrus, vel Ioannes:

Ergo hic homo interfecit Antonium.

non, inquam, bene ſequeretur: quia medius terminus eſſet particularis, & conſequenter non diſtributus, vt eſt diſtributus cum dicitur *Petrus, & Paulus*.

36 Hæc placuit addere ſupradictis, vt aſſueſcant Tyrones agnoſcere vim propoſitionū.

Pergunt Fonſeca, & Toletus tradere regulas pro diſiunctiuis. Pro quibus

37 Notandum. Diſiunctiuarum propoſitionum duplex eſſe genus; alterum earum, in quibus diſiunctio eſt inter terminos repugnantes; v. g. *vel dies eſt, vel nox eſt*. Alterum, in quibus diſiunctio non eſt inter terminos repugnantes: v. g. *vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat*. Et pro vtroque traduntur duæ figuræ.

38 Pro primo genere, quod eſt propriū in ſenſu antiquorū, duplex traditur figura. Prima eſt, in qua poſita diſiunctiua pro maiore, & pro minore, prima parte diſiunctiuæ, vel eius oppoſita, in concluſione ponitur poſterior, vel eius oppoſita. Secunda eſt, in qua pro minore ponitur

po-

poſterior pars, vel eius oppoſita; & in concluſione ponitur prior, vel eius oppoſita. Vtraque autem figura tres habet modos; quorum quia ſunt ferè ijdem, ſola facta permutatione partium diſiunctiuarum, exempla ſimul ponemus.

39 Primus modus eſt, cum diſiunctiua habet vtramque partem affirmatiuam; tunc ex minore, in qua alterutra pars affirmetur, infertur pro concluſione altera, quæ negetur: v. g.

Vel dies eſt, vel nox eſt: ſed dies eſt;
Ergo nox non eſt.

aut è contra

Sed nox eſt: Ergo dies non eſt.

40 Secundus modus eſt, cum vtraque pars diſiunctiuæ eſt negatiua, & tunc ex illa, & minore, in qua vna ſit affirmata, infertur altera negata, vel è contra: v. g.

Vel dies non eſt, vel nox non eſt: Sed nox eſt;
Ergo dies non eſt.

ſiue dicas

Sed nox non eſt: Ergo dies eſt.

41 Tertius modus eſt, cum vna pars diſiunctiuæ eſt negatiua, altera affirmatiua; & tunc ex illa, & minore, in qua ponitur prior pars affirmatiua, poterit inferri poſterior pars facta affirmatiua, vel vt in minore ſit poſterior pars negatiua: & in concluſione ſit prior pars facta negatiua, verbi gr.

Vel dies eſt, vel Sol non lucet;
Sed dies eſt: ergo ſol lucet.

ſiue dicas

Sed Sol non lucet, ergo dies non eſt.

42 Pro ſecundo genere diſiunctiuarum ſolum inſeruit ſecunda Figura, vt optimè aduertit

tit Fonſeca; & ratio eſt, quia cum tales propoſitiones non repugnent in veritate; non ex eo, quod affirmetur vna pars, negatur altera, vt accidit in diſiunctiuis de propoſitionibus repugnantibus: v. gr. *vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat*: non benè infertur; *Petrus ſtudet; ergo Paulus non ambulat*: vt benè, ſi vna negetur, altera debet affirmari; quia quælibet diſiunctiua ex dictis vnam ſaltem partem debet habere veram.

43 Prædicti Syllogiſmi non ſunt in figura, & modo, & conſequenter non regulantur immediatè per illa duo principia; cum non habeant tres terminos explicitè diſtinctos: concludunt tamen ratione alicuius propoſitionis vniuerſalis, quæ ſubintelligitur in diſiunctiua, ſcilicet; quod non poſsint verificari duo contradictoria de eodem: v. g. in hoc Syllogiſmo

Vel dies eſt, vel nox eſt; Sed dies eſt;
Ergo nox non eſt.

Si autem dicerem; *ergo nox eſt*; iam erunt veræ iſtæ duæ propoſitiones, *Dies eſt*, & *nox eſt*; ſed iſtæ ſunt contradictoriæ: ergo eſſent veræ duæ contradictoriæ; Patet maior; probatur minor ex definitione diei, & noctis. Definitio enim diei eſt, latio Solis ſuper terram: noctis verò eſt, negatio eiuſdem lationis. Deinde ex ſupradictis propoſitio diſiunctiua de partibus affirmatis immediatè oppoſitis æquiualet copulatiuæ de iiſdē affirmatis, cum negatione in fronte: v. g. *vel dies eſt, vel nox eſt*, æquiualet huic, *non & dies eſt, & nox eſt*, cuius ſenſus eſt, non ſunt ſimul veræ iſtæ duæ propoſitiones. Dū autē in minori, & concluſione diceretur, *dies eſt; ergo*

nox

nox eſt, affirmaretur vtraque eſſe vera; ergo eadem affirmaretur eſſe vera ſimul, & non eſſe vera; & ſyllogiſmus conficeretur huiuſmodi.

Duæ cōtradictoriæ nō poſſunt eſſe ſimul veræ;

Sed dies eſt, & nox eſt, ſunt propoſitiones cō- tradictoriæ;

Ergo non poſſunt eſſe ſimul vera.

Tunc ſic

Ex duobus contradictorijs vnum debet admitti, alterum negari.

Sed propoſitiones poſitæ ſunt contradictoriæ;

Ergo ex ijs vna debet admitti, altera negari.

Qui Syllogiſmus imbibitur in omnibus ſupradictis cōſtantibus ex propoſitione diſiūctiua accipiendo diſiunctiuam in ſenſu antiquorū

44 Ex hac doctrina facilè colliges ſolutionem huius ſophiſmatis.

Vel es doctus; vel non es doctus,

Sed non es doctus,

Ergo es doctus.

facile inquam ſolues; nam, cum ſint ſolum duo termini, nihil concluderetur, vt autem ſint tres termini, debet fieri aliqua variatio in min. id eſt vt apponatur negatio in alterutra parte diſiunctiuæ, ad inferendam alteram partē relictā. v.g.

Vel es doctus, vel non es doctus,

Sed non non es doctus,

Ergo es doctus.

vbi vides, ex negatione appoſita ſecundæ parti, inferri primam partem; item ſi negatio apponatur primæ parti, fiet eadem ac ſecunda pars, & ſic idem omnino inferretur; apponendo enim primæ ſcilicet, *vel es doctus*, negationem, dicendo, *vel non es doctus*, infertur altera pars ne-

negatiua, quæ eſt eadem cum prima parte, addita negatione ſcilicet, *ergo non es doctus*, ſed argumentum eſt omnino inutile. cur autem debeat apponi negatio in alterutra in minore; ratio eſt, quia cum ſint contradictoriæ ex poſitione vnius, ſequitur negatio totius alterius, & ita cum prima pars ſit affirmatiua, & ſecunda negatiua; ex poſitione primæ, ſequitur negatio ſecundæ, quæ cum antea eſſet negatiua, apponenda eſt alia negatio, per quam tollatur ſecunda, & cum negatio tollat quod inuenit, hoc ipſo quod inuenit illam negatiuam, facit affirmatiuam, *ergo non es doctus*, quæ æquiualet, huic, *ergo es doctus*.

45 Pro ſyllogiſmis verò conſtantibus propoſitione diſiunctiua in ſenſu recentiorum, cuius partes non repugnant in veritate, ſumendũ eſt aliud principium: quod ſcilicet, non poſſint eſſe ſimul falſæ: v.g, *vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat*: ſenſus eſt, quod vna ex iſtis ſaltem ſit vera, vt ſit vera tota propoſitio: quare ſi ex illa maiore fieret talis ſyllogiſmus.

Vel Petrus ſtudet, vel Paulus ambulat;
Sed Petrus non ſtudet;
Ergo Paulus non ambulat:

iam vtraque pars eſſet falſa; ergo verificarentur duo contradictoria, ſcilicet, quod non eſſet vtraque falſa, vt dicit maior; & quod eſſet vtraque falſa, vt dicunt minor, & concluſio. Quo poſito clare colligitur in huiuſmodi etiã Syllogiſmis includi alium Syllogiſmum formalem, vt facilè patet conſideranti.

46 Huc reuocandi ſunt alij Syllogiſmi ex pro-

propoſitionibus complexis. Primo à pari.

Sicuti ſe habent duo ad quatuor, ita quinque ad decem;

Sed duo ſunt pars dimidia quaternarij;

Ergo quinque ſunt pars dimidia denarij.

Hic Syllogiſmus, vt iacet, non eſt in forma, nam conſtat pluribus quàm tribus terminis. Adde quod eſt difficile inuenire medium terminum, qui participetur ab vtroque extremo: dicendum tamen virtute alterius incluſi in *Darij* illum tenere: hac ratione

Omnis proportio, quam habent duo ad quatuor, habent quinque ad decem;

Sed proportio dupla eſt, quam habent duo ad quatuor:

Ergo proportio dupla eſt, quam hebent quinque ad decem.

47 Secundo. *Non minus lignum eſt id, in quod lignaria inducit ſuam formam, quam homo eſt id, in quod Logica inducit rectam operationem, quæ eſt forma:*

Sed lignum eſt obiectum materiale lignariæ:

Ergo homo eſt obiectum materiale Logicæ.

Neque hic Syllogiſmus, vt iacet, eſt in forma, propter eandem rationem, quia ſunt plures tribus terminis; & præterea, quia in nulla figura reperitur, nec eſt vllus terminus diſtributus, accedit autē ad Exemplum, vt vides. Dicendũ tamen adhuc illum tenere, modò adęquata ratio, cur ſubiecto minoris conueniat tale prædicatũ ſit illa, quæ poſita eſt in maiori, vt in exēplo allato, ratio adæquata cur homo ſit obiectũ materiale Logicę debet eſſe eadē, cur lignũ ſit obiectũ materiale lignariæ, per quod poſtremum

pro-

probatur primum: tenet tamen prædictus ſyllogiſmus ratione alterius incluſi: ſcilicet.

Omne id, in quod Logica inducit ſuam formam, vt lignaria in lignum, eſt obiectum materiale Logicæ:

Sed homo eſt id, in quod Logica inducit ſuā formam, vt lignaria in lignum:

Ergo homo eſt obiectum materiale Logicæ.

48 Tertio; *Ideo homo eſt aīal, quia eſt sēſitiuus;*

Sed etiam equus eſt ſenſitiuus,

Erge etiam equus eſt animal.

Hic Syllogiſmus patitur eaſdem difficultates, ac ſuperiores: tenet tamen ratione alterius ſequentis in eo incluſi.

Omne quod habet eſſe ſenſitiuum, quod eſt proprietas animalis in homine, eſt animal;

Sed equus habet tale eſſe ſenſitiuum: &c.

Ergo equus eſt animal.

49 Demum *Quotieſcunque eſt cauſa adæquata cum omnibus requiſitis, eſt effectus:*

Sed nunc eſt cauſa adæquata, &c.

Ergo nunc eſt effectus.

Syllogiſmus eſt in bona forma; poſui tamen illum ad explicandum, quomodo in hoc quoque, & ſimilibus teneat regula, quod requiratur identitas inter rectum prædicati, & rectū ſubiecti cum medio termino: & in caſu poſito identitas eſt ratione durationis, & temporis, cui coexiſtit cauſa, & effectus. Quæ benè tenenda ſunt pro dignoſcenda virtute, & valore Syllogiſmorum. Placuit hæc pauca exēpla huc adducere, vt diſcant Tyrones huiuſmodi Syllogiſmos reducere ad ſuam formam, vel aliquo ex prædictis modis, vel alio ſimili, formando

etiam

etiam plures Syllogiſmos categoricos, quos breuitatis cauſa nos omittimus. Plura de his,& ſimilibus Sũmuliſtę videat qui velit apud illos.

CAPVT XIX.

De Syllogiſmis ex propoſitionibus exponibilibus.

Appendix 2. Gen.

1 *Nomine Syllogiſmorum ex propoſitionibus exponibilibus intelliguntur illi qui conſtãt propoſitionibus excluſiuis, exceptiuis & reduplicatiuis, Pro quibus generatim ſciendum, ſeruandas in ijs eſſe regulas conuerſionis, æquipollentiæ & oppoſitionis prædictarum propoſitionum; quibus ſeruatis, facilè erit colligere, an, & qui ſint boni Syllogiſmi, & quomodo reducantur. Videat qui velit, præſertim Sot. lib. 5. par 3. c 3. Nos ſeclusis obſcurioribus, pauca de multis afferemus quæ lucem præſtare poſſint ad alios Syllogiſmos dignoſcendos.*

2 *Primo Agendum de Syllogiſmis excluſiuis. Pro quibus*

Notandum. Repetenda hic eſſe, quæ diximus de propoſitione excluſiua, quod ſcilicet æquiualeat duabus exponentibus iuxta regulas ibi traditas libro ſecundo capite 14. & iuxta naturam talium exponentium, penſanda eſt vis Syllogiſmi. Varias diſpoſitiones particulæ excluſiuæ loco cit tradidimus: nunc ſolum tenendum eſt particulam Tantum, *poni in fronte propoſitionibus: v. gr.*

Tantum homo eſt albus. *Repetendum hic etiam eſt, prædictã particulam non facere ſupponere vniuerſaliter ſubiectum, quod afficit; niſi notetur ſigno vniuerſalitatis. Quare non eſt idem;* Tantum homo eſt albus, *&* Tantum omnis homo eſt albus: *nam ſenſus prima eſt, quod aliquis homo ſit albus; ſenſus vero ſecũda quod omnis. His poſitis conficiuntur, & explicantur aliqui Sillogiſmi.*

Primo Hic Syllogiſmus non concludit.

Tantum homo eſt albus; Petrus eſt homo
Ergo Petrus eſt albus,

Ratio eſt; quia medius terminus, Homo, *in nulla propoſitione diſtribuitur: nam maior habet duas exponentes*, homo eſt albus, & nullum aliud eſt album. *Relicta autem ſecunda exponente, quia ex ea nihil colligitur, prima eſt particularis, vt vides, & ſic poſſet eſſe antecedens verum, & conſequens falſum, vt in hoc alio;*

Tantũ animal eſt homo; Equus eſt animal;
Ergo Equus eſt homo.

Si autem diceretur in primo Syllogiſmo Tantum omnis homo eſt albus, *benè concluderet ſed propoſitio excluſiua eſſet ſuperflua ratione ſecundæ exponentis.*

3 *Notat Sotus propoſitionem excluſiuam poſſe conuerti ſimpliciter apponendo ſignum vniuerſalitatis in termino, qui in conuertente fit ſubiectum, & in conuerſa erat prædicatum; v g.* Tantum homo eſt albus: *ita conuertetur:* Omne album eſt homo: *& ratio eſt, quia ſi nullum aliud ſit album niſi homo: ergo omne, quod eſt album eſt homo. Ex quo infert, quod ſi particula excluſiua præponatur omnibus propoſitionibus, Syllogiſmus benè concludat ratione formæ, ad quam facilè reduci-*

ducitur hac ratione, vt minor conuerſa ponatur pro maiore, & maior conuertatur, & ponatur pro minore, ex quibus inferatur concluſio conuertens prioris: v. gr. ſit hic Syllogiſmus.

Tantum homo eſt animal;
Tantum riſibile eſt homo;
Ergo tantum riſibile eſt animal.

reducit autem hoc modo

Omnis homo eſt riſibilis:
Omne animal eſt homo;
Ergo omne animal eſt riſibile.

In hoc Syllogiſmo minor quidem eſt falſa, ſed concluſio benè infertur iuxta regulas conuerſionis, & tranſpoſitionis poſitas.

4 *Addit Sotus primũ Syllogiſmũ, vt iacet, benè cõcludere; quia medius terminus,* homo, *eſt diſtributus in minore: nam ſenſus illius propoſitionis,* tãtum riſibile eſt homo, *eſt, quod riſibile ſit homo, & nullum aliud, quod non ſit homo ſit riſibile & conſequenter, quod ſolum omnis homo ſit riſibilis.*

5 *Secundo. Hic Syllogiſmus*

Omnis homo eſt animal;
Tantum riſibile eſt homo;
Ergo tantum riſibile eſt animal.

non concludit, & ratio eſt, quia ly, animal, *eſt diſtributum in concluſione, & non in præmiſsis iuxta regulam modo traditam; ſenſus enim illius eſt,* riſibile eſt animal, & nullum aliud, quod non ſit riſibile eſt animal; *ergo omne animal eſt riſibile.*

6 *Tertio. Hic Syllogiſmus*

Tantum homo non eſt animal;
Tantum homo non eſt riſibile;
Ergo tantum riſibile non eſt animal.

non concludit primo ratione primarum exte-

nentium; quia eſſet ex puris negatiuis; nam ſenſus maioris eſt, homo non eſt animal, & omne aliud, quod non eſt homo, eſt animal Item ſenſus ſecundæ eſt, homo non eſt riſibilis & omne, quod non eſt homo, eſt riſibile. Rurſus vtraq; propoſitio conſtat medio termino particulari, ſcilicet homo, *qui in nulla præmiſſa eſt diſtributus: ex quibus non benè infertur*, riſibile non eſt animal. *Ratione verò ſecundarum exponentium neque concludit; nam præmiſſæ ſunt vniuerſales affirmatiuæ, ſcilicet.*

Omne non homo eſt animal;

Omne non homo eſt riſibile;

ex quibus non benè infertur

Ergo omne non riſibile eſt animal.

nam ly, Riſibile, *eſſet diſtributum in concluſione, non in præmiſſis.*

7 *Quarto. Hic Syllogiſmus*

Tantum homo non eſt animal;

Tantum riſibile non eſt homo;

Ergo non tantum riſibile non eſt animal.

non concludit; habet enim has exponentes, ſcilicet, homo non eſt animal, & riſibile non eſt homo; ergo vel riſibile eſt animal, vel aliquod quod non eſt riſibile nō eſt animal, *eò quod præmiſſæ ſint negatiuæ Ratione verò ſecundarum exponentium, quæ ſunt;* Omne, quod non eſt homo eſt animal; Omne quod non eſt riſibile eſt homo, *non poteſt inferre;* ergo vel aliquod riſibile eſt animal vel aliquod non riſibile non eſt animal *Non, inquam, poteſt hoc inferre ratione primæ partis, quia eſſent quatuor termini; eò quod in præmiſſis totum ſubiectum ſit* non riſibile, *in concluſione verò ponitur tantū* riſibile; *neque ratione ſecundæ partis; tum quia ly:* animal *eſſet diſtributū in*

con-

concluſione, non in præmiſsis: tum quia præmiſſæ eſſent affirmatiuæ, concluſio negatiua

8 *Quinto. Hic Syllogiſmus*

Tantum ſubſtantia non eſt creatura:
Omnis homo eſt ſubſtantia:
Ergo nullus homo eſt creatura.

non concludit; quia prima exponens ex qua ſola deducitur concluſio, eſt hæc, ſubſtantia non eſt creatura; *vbi medius terminus*, ſubſtantia, *non eſt diſtributus: neque in minore, quia propoſitio eſt vniuerſalis affirmatiua, in qua non diſtribuitur prædicatum: & ſic nihil ſequitur.*

9 *Sexto. Hic Sillogiſmus*

Tantum ens eſt poſsibiliter creatura:
Tantum Deus neceſſario eſt ens;
Ergo tantũ Deus poſsibiliter eſt creatura;

non concludit rationem affert Sotus quæ, quia eſt ſubobſcura, alia via breuius explicatur. Primæ enim exponentes talium propoſitionum ſunt;

Ens eſt poſsibiliter, ſeu poteſt eſſe creatura:
Deus neceſſario eſt ens:
Ergo Deus eſt poſsibiliter, ſeu poteſt eſſe creatura.

vbi vides medium terminum in maiore eſſe diuerſum à minore: in maiori enim erat ens, *ſiue abſolutè, ſiue, vt poſsibile: in minore verò eſt* neceſſarium. *Ratione verò ſecundarum exponentium neque concludit: ſunt enim iſtæ:*

Omne quod non eſt ens, non eſt poſſibiliter creatura;
Omne quod non eſt Deus, non eſt neceſſario ens;
Ergo omne, quod non eſt Deus, non eſt poſsibiliter creatura.

non, inquam, concludit; quia præmiſſæ ſunt negatiuæ. Multa alia exempla multiplicari poſſent, in quibus diligens Magiſter exercebit Tyronem.

10 *Secundo. Agendum de Syllogiſmis exceptiuis, ideſt cõſtantibus ex propoſitionibus exceptiuis; pro quibus recolenda, quæ de ijs diximus ſupra loco citato. Et generatim hi Syllogiſmi tenent modò ſeruetur debita diſtributio terminorum cum legibus Syllogiſmorum categoricorum. Et vt dignoſcantur, an teneant, reſoluendæ ſunt propoſitiones exceptiuæ in ſuas exponentes: porrò exponentes cuiuslibet propoſitionis exceptiuæ ſunt tres: v.g. huius propoſitionis.*

Omne corpus præter animal eſt inſeſibile.

Iſtæ ſunt exponentes.

Prima. Aliquod corpus eſt inſenſibile:
Secunda. Omne animal eſt corpus:
Tertia. Ergo nullũ animal eſt inſenſibile.

11 *Explicatur. Et prima quidem propoſitio exponens ponitur; quia eſt ipſa categorica, vt iacet dempta nota vniuerſalitatis propter exceptionem à ſubiecto, quæ ponitur in propoſitione. Secunda verò ponitur, quia ex dictis de ratione propoſitionis exceptiuæ eſt, vt terminus exceptus, ſeu vt pars excepta, quomodo loquuntur Summuliſtæ, contineatur in termino, à quo fit exceptio. Tertia ponitur, quia cum particula*, Præter, *ſit negatiua, & negatio ſit malignantis naturæ, afficiens terminum indefinitum facit illum ſupponere vniuerſaliter. Et ſic habes vniuerſalem regulam inueniendi tres exponentes in qualibet propoſitione exceptiua propoſita. His poſitis.*

12 *Dupliciter poſſunt fieri Syllogiſmi ex propoſitionibus exceptiuis,* Primo *ſubſumendo ſub ter-*

mino excepto ad inferendum terminum, à quo ſit exceptio; ideſt ſumendo pro medio termino terminum exceptum ad inferendum in concluſione pro prædicato terminum, a quo ſit exceptio. Et hoc modo licet ſyllogizare affirmatiuè: & negatiuè affirmatiuè quidem hac ratione.

Omne corpus pręter animal eſt inſẽſibile:
Omnis homo eſt animal,
Ergo omnis homo eſt corpus.

colligitur hæc concluſio ex ſecunda exponēte maioris, ſcilicet, omne animal eſt corpus, *qua poſita cum minore, & concluſione iam dictis, habebitur Syllogiſmus in* Barbara.

13 *Item negatiuè ex ijſdem præmiſſis ſequitur hæc concluſio*; ergo nullus homo eſt inſenſibilis; *ſequitur enim ex tertia exponente in* Celarent *hac ratione*.

Nullum animal eſt inſenſibile: Omnis homo eſt animal;
Ergo nullus homo eſt inſenſibilis.

14 *Secundo. Poſſunt fieri Syllogiſmi exceptiui ſubſumendo ſub termino, à quo ſit exceptio, & ponendo illum pro medio ad inferendum prædicatum propoſitionis exceptiuæ; ſed tunc debet ſumi pro medio integer terminus, à quo ſit exceptio, cum incluſione ipſius termini excepti hac ratione*

Omne animal præter hominem eſt irrationale:
Omnis equus eſt animal præter hominem:
Ergo omnis equus eſt irrationalis.

vbi aduerte nō poni terminum exceptum ad excludendum hominem ab animali, ſed vt ſeruetur conſtantia medij: & ſenſus eſt, quod equus ſit illud ani

mal, de quo cum excluſione hominis dictum eſt in maiori, quod ſit irrationale: ponitur ergo terminus exceptus in minore, ne medius terminus ſit magis amplus in minore, quàm in maiore. In maiore enim animal ponitur cum reſtrictione, vt non poneretur in minore, ſi diceretur, equus eſt animal. *Nam etiam ſi prædictus ſyllogiſmus teneret, teneret ſolum ratione materiæ, vt patet ſi eadem forma applicetur alteri materiæ; ſcilicet*

Omne animal præter hoĩe eſt irrationale:
Omnis homo eſt animal:
Ergo omnis homo eſt irrationalis.

Poni autem debet dictus terminus exceptus etiã in minore, vt oſtendatur prædicatum coniungi cum ſubiecto maioris, & conſequenter concluſionis ſemper cum illa reſtrictione alioquin pro pluribus accipi poſſet medius terminus in minore, quam in maiore. Senſus autem termini excepti in minori eſt, quod equus ſit animal diuerſum ab eo animali, quod eſt homo.

15 *Hinc collige hunc Syllogiſmum non tenere*

Omne animal, præter hoĩe eſt irrationale.
Omnis homo eſt animal:
Ergo omnis homo, præter hominem, eſt irrationalis.

non, inquam, tenere: Primo ex defectu medij termini, qui in maiore non eſt omninò diſtributus, vt eſt in minore, quatenus, animal *extenditur etiam ad hominem in minore, ad quem non extenditur in maiore. Diſpoſitio autem primæ figuræ poſtulat oppoſitum. Rurſus concluſio inuoluit duo contraria, imo duo contradictoria implicitè ratione ſuarum exponentium; ſcilicet.* Omnis homo eſt irrationalis; & nullus homo eſt irratio-

tionalis, & per regulas ſubalternarum aliquis homo eſt irrationalis. *Eſt etiam defectus, quem ſæpè inculcat Sotus à minus amplo ad magis amplum; eo quod prædicatum,* irrationale, *non poſsit deuenire ad ſubiectum concluſionis, niſi eo modo, quo conuenit medio termino ſubiecto maioris; cui, cum conueniat cum reſtrictione, & exceptione hominis; non poterit deuenire, & ampliari ad ipſum hominem in concluſione.*

Alios Syllogiſmos vide apud Sotum.

16 *Tertio. Agendum de Syllogiſmis reduplicatiuis conſtantibus ſcilicet propoſitionibus reduplicatiuis; de quibus ſupra loco citato. Generatim, ſicut diximus de alijs, vt dignoſcatur bonitas Syllogiſmi, tenenda ſunt exponentes propoſitionis reduplicatiuæ, quæ ſunt omnino tres; v. gr. huius propoſitionis*

Homo in quantum animal eſt ſenſitiuum:

Prima exponens eſt. Omnis homo eſt ſenſitiuus. *Secunda.* Omnis homo eſt animal. *Tertia.* Omne animal eſt ſenſitiuum. *Has omnes exponentes contineri in ea propoſitione, patet clarè, propter connexionem, quam habent ad inuicem prædicti termini; ex quibus poſſunt confici Syllogiſmi hac ratione. Primo ſub termino præcedente particulam reduplicatiuam licet ſubſumere ea ratione, qua in categoricis; v gr.*

Omnis homo in quãtũ animal eſt ſẽſitiuus;
Omne rationale eſt homo;
Ergo omne rationale in quantum animal eſt ſenſitiuum.

Ponitur terminus reduplicatus in concluſione ad ſignificandum, quod prædicatum ſubie-

cto conueniat cum illa limitatione, ſicut ſupra diximus de exceptiuis: alioquin eſſet defectus à minus amplo ad magis amplum, cum prædicatum non conueniat ſubiecto, niſi ratione illius termini reduplicati. Quare hic Syllogiſmus non concluderet.

Omne animal in quantũ muſicum cantat:
Omnis aſinus eſt animal:
Ergo omnis aſinus cantat.

defectus eſt ex parte medij, quod in maiore eſt cum limitatione, vt non eſt in minore, & prædicatum in concluſione dicitur abſolutè de ſubiecto, vt non dicitur de medio termino, & conſequenter minus amplè diceretur de medio; quam de ſubiecto concluſionis.

17 Secundo licet etiam ſubſumere ſub termino affecto particula reduplicatiua: v. g.

Omne animal eſt ſenſitiuum:
Omnis homo eſt animal.
Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

hac concluſio ſequitur ex reduplicatiua, omnis homo in quantum animal eſt ſenſitiuus.

18 Dices. Hic Syllogiſmus non tenet & tamen eſt iuxta regulas:

Omne ens vt ens eſt commune ad ſubſtantiam, & accidens.
Omnis homo eſt ens, vt ens:
Ergo omnis homo eſt communis ad ſubſtantiam, & accidens.

Reſpondetur variari ſuppoſitionem; nam ly, Ens, in maiore ſupponit ſimpliciter, & ſonat idem, ac eſſe genus ad ſubſtantiam, & accidens: in minore verò ſupponit, perſonaliter, pro ente, quod reperitur in homine. Si autem in concluſione dicatur; homo in quantum ens eſt commune; & benè concluderet.

ſuderet; vt benè concluditur, quoties particula reduplicatiua ponitur in ſingulis propoſitionibus, vt denotetur ſeruari eandem vim terminorum. Atque hae breuiter innuiſſe ſit ſatis de exponibilibus. Ex *quibus facile quis poterit alios conficere Syllogiſmos, & captioſos dignoſcere.*

CAPVT XX.

De Syllogiſmis ex terminis obliquis.

1 SYllogiſmus ex obliquis dicitur, cum medius terminus, vel aliqua extremitas ponitur in caſu obliquo: Pro quibus generatim ſciendum, nunquam caſum obliquum poſſe eſſe totale extremum: idque propter identitatē, quæ requiritur inter prædicatum & ſubiectum, quæ non eſt inter caſum rectum, & obliquum: & cum ponitur ſolum caſus obliquus pro prædicato ſemper ſubintelligitur rectus: v.g. *hic liber eſt Franciſci* ſenſus eſt, hic liber eſt aliquid poſſeſſum à Franciſco. Deinde, vt dignoſcatur vis horum Syllogiſmorum, optimum eſt conſilium Ariſtotelis relatum à Fonſeca lib. 6. cap. 30. vt ſcilicet reſoluantur propoſitiones ex terminis obliquis in propoſitiones ex rectis: quod fit, vel permutando caſus obliquos in rectos, vel explicando caſus rectos incluſos in ijs. Pro quibus aliquæ traduntur regulæ à Toleto lib. 4. cap. 14.

2 Prima eſt; vt terminus, qui fuit obliquus in præmiſſis, ita ſit in concluſione, vt patet in hoc exemplo.

Omnis creatura eſt Dei;
Omnis homo eſt creatura;
Ergo omnis homo eſt Dei.

3 Secunda; cum medius terminus in aliqua præmiſſa eſt obliquus, extremitas, quæ cum illo medio termino cōiungitur, debet eſſe in recto in concluſione, & altera extremitas, quæ in præmiſſis erat in recto, debet in concluſione eſſe in obliquo; v. gr.

Omnis entis eſt ſcientia;
Omne corpus eſt ens;
Ergo omnis corporis eſt ſcientia.

4 Tertia eſt, quando in vtraque præmiſſa medius terminus eſt caſus obliquus, vtraq; extremitas in concluſione debet eſſe in recto: v. g.

Nulla virtus ineſt Hæretico;
Auaritia ineſt Hæretico;
Ergo auaritia non eſt virtus.

5 Quarta eſt, quando medius terminus fuit in obliquo in præmiſſa negatiua, & rectus in affirmatiua; tunc ſubiectum medij termini in concluſione erit in obliquo, & prædicatum eiuſdem medij in recto; v. g.

Nulli animali irrationali eſt intellectus;
Equus eſt animal irrationale;
Ergo equo non eſt intellectus.

non autē ita ſequitur, quādo in propoſitione affirmatiua medius terminus fuerit in obliquo v. g.

Omnis homo non eſt Angelus;
Omni homini eſt intellectus.
Ergo omni Angelo non eſt intellectus.

6 Longū eſſet regularū rationes examinare. quare hæc breuiter innuiſſe ſatis ſit, vnuſquiſq; enim ex præceptis poſitis poterit illas inueſtigare.

CA-

CAPVT XXI.

De Syllogiſmo ex propoſitionibus modalibus.

Appendix 2. Gen.

1 *SYllogiſmus ex modalibus eſt, qui conſtat vna vel vtraque præmiſſa modali. Fonſeca lib. 6. cap 29. nihil peculiare tradit de hoc Syllogiſmo, ſed ſolum numerat inter reliquas ſpecies Syllogiſmorum; aitque tantam eſſe varietatem, vt meritò à ſe tales Syllogiſmi ſint prætermiſsi Tolet. lib. 4. cap. 16. ſex ponit concluſiones pro tradendis horum Syllogiſmorum regulis; ſed quia illarum non affert exempla, res remanet ſuboſcura, Conimbricen. 1. prior. cap. 8. & deinceps cum Ariſtotele fusè de his Syllogiſmis agunt; & in ſumma poſt caput 13. exactè illorum coniugationes expendunt. Nos primo cum Fonſeca cenſemus rem eſſe longiſsimam omnia ad methodum reducere. Secundo cum illorum vſus ſit valdè frequens in diſputationibus, aliquas regulas cũ Toleto, & eorum exempla cũ Conimb. afferemus. Et generatim pro his recolenda, quæ diximus de æquipollentia, conuerſione, & oppoſitione harum propoſitionum, præſertim id, quod diximus de duplici genere contingentis communiter dicti, & ſpecialiter dicti; vt primum ſonet idem, ac poſsibile, cõmune etiam ad neceſſariũ ſecundum verò ſonet idẽ, ac poſſe eſſe & non eſſe. Hic autẽ agendum de propoſitionibus de modo neceſſario, & contin-*

tingenti ſpecialiter dicto, tum quia aliorum modorum non meminerunt Auctores: tum quia alij modi præpoſita vel poſtpoſita vna, vel altera negatione æquiualet propoſitionibus de modo neceſſario. Rurſus combinantur huiuſmodi propoſitiones modales cum alijs de ineſſe quintupliciter, vt notat Toletus. Primo, cum vtraque propoſitio eſt de modo neceſſario Secundo, cum vna eſt neceſſaria, altera de ineſſe. Tertio, cum vtraque eſt de contingenti. Quarto, cum vna eſt de contingenti, altera de ineſſe Quinto demum cum vna eſt de contingenti, altera de neceſſe. His prænotatis.

2 *Dicendum primo. In vnaquaque figura, ſi vtraque præmiſſa fuerit de neceſſe, concluſio ſequitur de neceſſe: & ratio eſt, quam tradunt Conimbr. Regulatur enim talis Syllogiſmus per principia* de omni, *&* de nullo. *Si enim prædicatum neceſſario ineſt omni medio, & medium neceſſario ineſt omni ſubiecto; prædicatum quoque neceſſario inerit omni ſubiecto: v g.*

Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam.
Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:
Ergo neceſſe eſt omnem hominem eſſe ſubſtantiam.

3 *Dicendum ſecundo. In prima figura, primo ſi maior ſit de neceſſe, & minor de ineſſe, ſequitur concluſio de neceſſe: v g.*

Omne animal eſſe ſubſtantiam eſt neceſſe:
Omnis homo eſt animal:
Ergo omnem hominem eſſe ſubſtantiam eſt neceſſe.

& ratio eſt: quia eo modo ineſt prædicatum ſubiecto concluſionis, quo ineſt medio, ſed medio ſuppo-

ſupponitur ineſſe neceſſario; ergo neceſſario etiam tale prædicatum inerit ſubiecto.

4 *Si autẽ maior ſit de ineſse, & minor de neceſse; concluſio ſequitur de ineſse, non de neceſse: v. g.*

Omne animal currit: Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:

Ergo omnis homo currit.

Et ratio eſt ſuperiori oppoſita; quia cum prædicatum concluſionis non connectatur neceſsario cum medio in maiore' nec connectetur neceſsario cum ſubiecto eiuſdem in concluſione.

5 *Secundo. Pro modo contingenti in eadem figura, ſi vtraque præmiſsa ſit de contingenti concluſio ſequitur de contingenti: v. g.*

Contingit omnem vigilantem moueri:

Contingit omnem hominẽ eſſe vigilantẽ:

Ergo contingit omnem hominẽ moueri.

Ratio eſt eadem quæ ſupra. Valet regula in primis quatuor modis: valet etiam quando vtraque præmiſsa, vel ſaltem alterutra eſt negatiua, non quidem perfecte, ſed imperfectè Syllogizando, vt notat Toletus. Imperfectè, inquam, quatenus præmiſsa, vel præmiſsa negatiua de modo contingenti ſpecialiter dicto conuerti poſſunt in affirmatiuas. Quare cum concluſio teneat ex vi affirmatiuarum, in quas conuerti poſſunt affirmatiuæ; dicitur talis modus imperfectè concludere, quatenus non immediatè ex præmiſſis negatiuis ſequitur concluſio: v. g.

Contingit nullum album currere:

Contingit nullum hominem eſſe album:

Ergo contingit nullum hominem currere.

6 *Si autem maior ſit de contingenti, & minor de ineſſe, ſeruata eadem qualitate, & quantitate*

dicti,

dicti, ideſt propoſitionis categoricæ, cui affigitur modus; ſequitur concluſio de contingenti ſpecialiter dicto: v.g.

Contingit omne animal currere:
Omnis homo eſt animal.
Ergo contingit omnem hominem currere.

7 *Ratio regulæ eſt ſupra allata, ſcilicet quod cum prædicatum maioris inſit contingenter ſubiecto, quod eſt mediū, contingenter inerit contento in eo medio, quod eſt ſubiectum concluſionis. Si autem maior ſit de ineſſe, & minor ſit de contingenti non ſpecialiter dicto, ſequitur concluſio de contingenti non ſpecialiter, ſed communiter dicto: v.g.*

Omne quod mouetur eſt ſubſtantia;
Omnem hominem moueri eſt contingens,
Ergo omnem hominem eſſe ſubſtantiam eſt contingens, ſeu poſſibile.

Vbi vides ly, contingens, *ſumi, vt commune etiam ad neceſſarium: nam homo neceſſariò eſt ſubſtantia.*

8 *Addunt Conimbricenſes hunc Syllogiſmum tenere quidem, ſed imperfectè; eò quod non reguletur per principia*, Dici de omni, *&c. ſed valeat reducendo ad incommodum. Sed de hoc paulo poſt.*

9 *Item in eadem figura primo, ſi maior fuerit de contingenti, & minor de neceſſario ſequitur concluſio de contingenti ſpecialiter dicto: v.g.*

Contingit omne animal dormire.
Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal.
Ergo cōtingit omnem hominem dormire,

10 *Si verò maior ſit de neceſſe, & minor de contingenti; concluſio erit de contingenti generaliter*

ter dicto, ſed ſyllogiſmus erit imperfectus; quia non poterit probari per principia Dici de omni, *&c. ut ſupra diximus ex* Conimbr.

Neceſſe eſt omne album eſſe corpus:
Contingens eſt omnē hominem eſſe albū:
Ergo contingens eſt omnem hominem eſſe corpus.

Vbi vides ly, Contingens, *in concluſione accipi pro eo, quod eſt commune ad poſſibile, & neceſſe; cum alioquin neceſſarium ſit hominem eſſe corpus.*

11 *Verum quicquid ſit, an ratione modorum prædictus ſyllogiſmus, & alius, qui incipit,* omne quod mouetur *&c, non reguletur per principia,* Dici de omni *&c. certe, cum ex dictis ex contingenti inferatur quicquid non repugnat, quod dicit, eſſe contingens generaliter dictum, ſeu eſſe poſſibile; bene ex contingenti ſpecialiter dicto poterit inferri contingens generaliter dictum, quod in ſe continet, ut homo infert animal, quod continet; id enim, quod eſt proprie contingens, ideſt quod poteſt eſſe, & non eſſe; non repugnat ut ſit, & conſequenter eſt poſſibile, ſeu contingens generaliter dictum.*

12 *Deinde ſi maior ſit negatiua de contingenti, & minor affirmatiua de neceſſe, ſequitur concluſio de contingenti ſpecialiter dicto: v.g.*

Contingit nullum animal dormire.
Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal;
Ergo cōtingit nullum hominem dormire.

13 *Demum ſi maior fuerit de neceſſe negatiua, & minor de contingenti affirmatiua; poterit inferri duplex concluſio; altera de contingenti generaliter dicto, quod eſt commune etiam ne-*

ceſ-

ceſſario, altera de ineſſe: v g.

Neceſſe eſt nullum album eſſe Angelum,
Contingẽs eſt omnem hominem eſſe albũ,
Ergo contingens eſt nullum hominem eſſe Angelum; *ſeu*
Ergo nullus homo eſt Angelus.

Vbi, contingens, *accipitur pro communi ad neceſſarium, & poſſibile: nam neceſſarium eſt hominem non eſſe Angelum.*

14 *Dicendum tertio. Pro ſecunda figura in tribus primis modis*, Ceſãre. Cameſtres, Feſtino. *Si propoſitio negatiua fuerit de neceſſe, & affirmatiua de ineſſe; concluſionem futuram de neceſſe; quia, ſi fiat reductio ad primam figuram iuxta regulam ſupra traditam, erit de neceſſe; v g in* Cameſtres.

Omne coloratum eſt corpus,
Neceſſe eſt nullum Angelum eſſe corpus,
Ergo neceſſe eſt nullũ Angelũ eſſe coloratũ

Reducitur ad Celarent; *ſumendo conuerſam minoris pro maiore; & illam, quæ erat maior pro minore hac ratione.*

Neceſſe eſt nullum corpus eſſe Angelum,
Omne coloratum eſt corpus,
Ergo neceſſe eſt nullũ coloratũ eſſe Angelũ

& conuertendo concluſionem ſimpliciter, erit Syllogiſmus in Celantes *modo indirecto primæ figuræ; ſcilicet.*

Ergo neceſſe eſt nullum Angelum eſſe coloratum.

15 *Si autem affirmatiua ſit de neceſſe, & negatiua de ineſſe; infertur concluſio de ineſſe; quia facta reductione ad primam figuram, maior erit de ineſſe; at quãdo maior eſt de ineſſe in prima figu-*

figura, diximus concluſionem ſequi de ineſſe, v g in Ceſare.

Nullus Angelus eſt corpus;

Neceſſe eſt omne coloratum eſſe corpus;

Ergo nullum coloratum eſt Angelus.

reducetur autem ad Celarent *facta debita conuerſione, & permutatione modo ſupra dicto.*

Nullum corpus eſt Angelus;

Neceſſe eſt omne coloratum eſſe corpus:

Ergo nullum coloratum eſt Angelus.

16 *In quarto autem modo* Baroco *ſiue maior, ſiue minor ſit de neceſſe, nunquam concluſio ſequitur de neceſſe; quia ex dictis non poteſt talis modus reduci ad modos directos primæ figuræ.*

17 Pro *modo de contingenti: Ex vtraque præmiſſa de contingenti in ſecunda figura, nulla concluſio benè ſequitur vtcunque diſponantur; & ratio eſt, quia non poterit reduci talis Syllogiſmus ad primam figuram; daretur enim antecedens verum. & conſequens falſum: v g.*

Contingit nullum riſibile ambulare;

Contingit omnem hominem ambulare;

Ergo contingit nullũ hominem eſſe riſibile:

eſt falſa concluſio; quia neceſsè eſt omnem hominem eſſe riſibilem. Si autem vna præmiſſa vniuerſalis negatiua fuerit de contingenti, & affirmatiua de ineſſe, nec rectè concluſio infertur. Non enim poteſt vniuerſalis negatiua contingens conuerti modo, quo requirit prima Figura: v.g. in Ceſare.

Contingit nullum corpus eſſe album;

Omne coloratum eſt album;

Ergo contingens eſt nullum coloratum eſſe corpus.

non

non bene ſequitur : eſt enim falſum conſequens, vt vides, cum neceſſario omne coloratum ſit corpus, De eo autem, de quo aliquid affirmatur de neceſſe, non poteſt vllo modo negari neque de contingenti.

18 *Rurſus ſi affirmatiua ſit contingens de contingenti ſpecialiter dicto, & negatiua de ineſſe, benè infertur concluſio contingens de eodem; v g.*

Nullum ſanum eſt ægrum ;
Contingit omnem hominem eſſe ægrum ;
Ergo cõtingit nullum hominem eſſe ſanũ.

benè reducitur ad Celarent *facta debita cõuerſione*

Nullum ægrum eſt ſanum ;
Contingit omnem hominem eſſe ægrum ;
Ergo cõtingit nullum hominem eſſe ſanũ.

19 *Item in tribus primis modis ſecundæ Figuræ ſi præmiſſa negatiua fuerit de neceſſe, & affirmatiua de contingenti, ſequitur duplex concluſio; altera negatiua de ineſſe, altera de contingenti generaliter dicto; v g.*

Neceſſe eſt nullum cycnum eſſe nigrum ;
Contingit omnem equum eſſe nigrum.
Ergo nullus equus eſt cycnus ; *ſeu*
Ergo contingit nullum equum eſſe cycnũ.

20 *Si verò negatiua ſit contingens, & affirmatiua de neceſſe, non benè infertur concluſio propter rationem ſupra factam; v g.*

Contingit nullum equum eſſe album ;
Neceſſe eſt omnem cycnum eſſe album ;
Ergo contingit nullum cycnum eſſe equũ.

non benè ſequitur ; quia neceſſe eſt nullum cycnum eſſe equum ; idque radicaliter ex eo quia non poteſt reduci ad primam facta debita conuerſione. Ita Conimbricenſes, *quanquam non vi-*

den

deo cur non poſſit talis concluſio inferri de modo contingenti generaliter dicto.

De quarto modo Baroco *nihil occurrit dicendum præter dicta, cum non concludat propter rationem factam.*

21 *Dicendum quarto pro tertia Figura. Primo in* Darapti, *ſiue maior ſit de neceſſe, & minor de ineſſe, ſiue contra ſemper concluſio ſequitur de neceſſe, v.g.*

Neceſſe eſt omne album eſſe corpus;
Omne album eſt coloratum. Ergo neceſſe eſt aliquod coloratum eſſe corpus.

reducitur facile ad Darij *prima Figura facta debita conuerſione minoris per accidens, & relicta maiore*

Neceſſe eſt omne album eſſe corpus.
Aliquod coloratum eſt album. Ergo neceſſe eſt aliquod coloratum eſſe corpus.

22 *Si autem minor ſit de neceſſe, transmutandæ ſunt præmiſſæ, & conuertenda minor, & concluſio; v.g*

Omne animal eſt corpus;
Neceſſe eſt omne animal eſſe viuens;
Ergo neceſſe eſt aliquod viuẽs eſſe corpus

tunc ſic

Neceſſe eſt omne animal eſſe viuens;
Aliquod corpus eſt animal,
Ego neceſſe eſt aliquod corpus eſſe viuẽs

Concluſio facta cõuerſione erit eadem ac ſuperior.

23 *Secundo, in* Felapton *ſi præmiſſa negatiua ſit de neceſſe, ſequitur concluſio de neceſſe,*

Neceſſe eſt nullum animal eſſe lapidem;
Omne animal eſt corpus,

Er-

Ergo neceſſe eſt aliquod corpus non eſſe lapidem.

reducetur ad Ferio primæ Figuræ conuerſa minore per accidens.

Neceſſe eſt nullum animal eſſe lapidem:
Aliquod corpus eſt animal; Ergo neceſſe eſt aliquod corpus non eſſe lapidem.

24 *Si autem affirmatiua ſit de neceſſe, non autem negatiua; cõcluſio non ſequitur de neceſſe, v.g.*

Nullus equus eſt albus;
Neceſſe eſt omnem equũ eſſe animal; Ergo neceſſe eſt aliquod animal nõ eſſe albũ.

Concluſio eſt falſa, præmiſſæ verò ſaltem poſſunt eſſe veræ: nam cum maior ſit contingens poteſt eſſe vera, vt non poteſt eſſe concluſio: nam ſi neceſſario aliquid non conuenit alicui, non poterit contingenter eius oppoſitum eidem conuenire.

25 *Tertio. In* Diſamis, *&* Datiſi, *ſi præmiſſa vniuerſalis ſit de neceſſe, & particularis de ineſſe; concluſio erit de neceſſe,* v.g. in Diſamis,

Aliquod animal eſt equus;
Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam;
Ergo neceſſe eſt aliquam ſubſtantiam eſſe equum.

Reducitur ad Darii *permutatis præmiſſis, & conuerſa maiore.*

Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam;
Aliquis equus eſt animal;
Ergo neceſſe eſt aliquem equum eſſe ſubſtantiam.

& per conuerſionem concluſionis ſimpliciter infertur eadem, quæ prior in Dabitis *modo indirecto primæ Figuræ; ſcilicet*

Ergo neceſſe eſt aliquam ſubſtantiam eſſe equum.

26 *Quar-*

26 *Quarto: In* Feriſon *ſi præmiſſa negatiua eſt de neceſſe, & affirmatiua de ineſſe, ſequitur concluſio de neceſſe; v. g.*

Neceſſe eſt nullum Angelum eſſe corpus;
Aliquis Angelus eſt ſpiritus;
Ergo neceſſe eſt aliquem ſpiritum non eſſe corpus.

27 *De* Brocardo *nihil agendum, cum nunquam colligi poſſit concluſio de neceſſe; eò quod non poſſit reduci ad primam Figuram, vt diximus de* Baroco.

28 *Quinto. Si vtraque præmiſſa ſit contingens de contingenti ſpecialiter dicto in tertia Figura in omnibus modis infertur concluſio de contingenti eodem modo: v.g. in* Darapti.

Continges eſt omnem hominẽ ambulare.
Contingens eſt omnem hominem eſſe albũ.
Ergo cõtingens eſt aliquod albũ ambulare.

29 Sexto. *In eadem figura, ſi vna præmiſſa fuerit de ineſſe, altera de contingenti ſpecialiter dicto, concluſio ſequitur de contingenti eodem modo: item, ſi quæ eſt futura maior, facta reuocatione ad primam figuram, reperitur de contingenti ſpecialiter dicto, ſequitur concluſio de contingenti ſpecialiter dicto; v g. in* Darapti

Contingit omnem hominem moueri Omnis homo eſt animal.
Ergo contingit aliquod animal moueri.

reducetur ad Darij *ſola facta conuerſione minoris*

Contingit omnem hominem moueri Aliquod animal eſt homo;
Ergo contingit aliquod animal moueri.

vbi vides concluſionem eſſe de modo contingenti ſpecialiter dicto

30 Si

30 *Si verò illa propoſitio ſit contingens de contingenti ſpecialiter dicto, quæ eſt futura minor in ſyllogiſmo reuocato ad primam Figurã, ſequitur concluſio de contingenti generaliter dicto; v g in* Darapti.

Omnis homo eſt corpus; ;
Omnẽ hominẽ eſſe album eſt contingens.
Ergo aliquod album eſſe corpus eſt contingens.

reducuntur ad Darii *per conuerſionẽ minoris modo dicto.*

Omnis homo eſt corpus;
Aliquod album eſſe hominẽ eſt cõtingens.
Ergo aliquod album eſſe corpus eſt cotingens.

Vbi ly contingens, accipitur pro poſſibili, vt vides; cum alioquin ſit neceſſariũ omne albũ eſſe corpus.

31 *Septimo in eadẽ tertia figura in modis affirmatiuis, ſi vna præmiſſa ſit de neceſſe, altera de contingenti ſpecialiter dicto ſequitur concluſio de contingenti eodem modo; v g. in* Darapti.

Contingit omnem hominem eſſe album:
Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal:
Ergo contingit aliquod animal eſſe albũ.

32 *In modis verò negatiuis, ſi negatiua fuerit de contingenti ſpecialiter dicto, & affirmatiua de neceſſe, ſequitur concluſio de contingenti etiã ſpecialiter dicto; v g. in* Felapton.

Contingit nullum hominem ambulare:
Neceſſe eſt hominem eſſe animal;
Ergo contingit aliquod animal non ambulare.

33 *Demum ſi negatiua ſit de neceſſe, & affirmatiua de contingenti ſpecialiter dicto, infertur concluſio de contingenti generaliter dicto; v g.*

Neceſ-

Neceſſe eſt nullum hominem eſſe ſpiritum:
Contingit omnem hominem eſt album:
Ergo contingit aliquod album non eſſe ſpiritum.

Placuit hæc breuiter adnotare, ne Tyrones decipiantur in huiuſmodi Syllogiſmis, qui ratione modorum ſæpè ſunt captioſi.

CAPVT XXII

De alijs ſpeciebus Argumentationum. Quomodo reducantur ad Syllogiſmum.

1 TRes alias ſpecies argumentationum ſupra enumerauimus: *Inductionem, Exemplum*, & *Enthymema*; quæ niſi reducantur ad Syllogiſmum, nullam prorſus vim habent: ideò ad plenam tractationem de Syllogiſmo pertinet reductio harum argumentationum. De qua Ariſt 2. Prior. c. 22.

2 Pro Inductione. Notandum primo. Inductionem eſſe argumentationem, qua ex pluribus, vel partibus, vel ſpeciebus totum aliquod, vel genus colligitur. Ita Rodulphus lib. 2. ſuæ introductionis cap. 78. vt citant Conimbricenſes 2. Prior. §. *Inductio qua græcè* &c. & ſenſus eſt, quod per inductionem numerando, vel ſingula indiuidua inferimus totam illorum collectionem: vel ſingulas partes, inferimus totum: vel demum ſingulas ſpecies, ſeu indiuidua, inferimus genus, vel ſpeciem: v. g. pes

ægrotat, caput ægrotat, & ſic enumerando ſingulas partes ægrotantes; inferimus, quod totũ corpus ægrotat. Ariſtoteles autem 1 topicor. cap. 10 definit inductionem eſſe; *A ſingularibus ad vniuerſalia progreſſionem*. Vbi nomine ſingularium, vt notant Conimbricenſes, intelliguntur omnia, & ſingula illa, quorum enumeratione deuenimus in cognitionem collectionis. Supra diximus, quid requiratur ad Inductionem: nunc ſolum videndum, quomodo reducatur ad ſyllogiſmum. Aduerte autem, me non probare, quod aiunt Conimbricenſes, nullam ex enumeratis eſſe argumentationem formalem: non, inquam, probare; tum primo, quia non poteſt eſſe concluſio, quin ſit argumentatio formalis, & quod ad illam requiratur medius terminus ſiue implicitus, ſiue explicitus, ratione cuius teneat concluſio: tum ſecundo, quia ipſi Conimbricenſes, loco citato agnoſcunt in inductione medium, quod nos præſtabimus in ſingulis argumentationibus. Et quidem medium in inductione eſt *conſtantia*, quam appellant, & cognitio confuſa partium enumeratarum; verbi gr.

Ignis eſt corpus ſimplex terra eſt corpus ſimplex, aqua & aer ſunt corpora ſimplicia;

Sed iſta, ignis, terra, &c ſunt omnia elementa:

Ergo omnia elemēta ſunt corpora ſimplicia.

medium eſt, *elementa*, enumerata. Quare inductio primo, & per ſe pertinet ad tertiam Figuram ad modum *Darapti*, ſed reduci facilè poterit ad *Darij*, & pro maiore ſit iam poſita; minor verò conuertatur ſimpliciter, quod ſie-

fieri poteſt, cum prædicatum ſit expoſitio ſubiecti, hac ratione.

Ignis eſt corpus ſimplex, aqua terra, &c
ſunt corpora ſimplicia: Sed omnia elementa ſunt iſta, ignis aqua, &c.
Ergo omnia elemẽta ſunt corpora ſimplicia.

Concluſio videtur vniuerſalis, ſed vere habet rationem ſingularis, eo modo, quo diximus hanc propoſitionem; *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim;* eſſe ſingularem: & patet hoc ex minore prædicti ſyllogiſmi, in qua prædicantur, ſingula elementa de ſingulis ſimul ſumptis.

3 Pro ſecunda ſpecie argumentationis. Notandum ſecundo Exemplum, quatenus eſt quędam argumentatio, benè deſcribi à Conimbricenſibus citatis. *Eſt ratiocinatio, qua aliquid ſingulare ex vno, vel paucis ſimilibus confirmatur.* Dicitur autem confirmari aliquid ſingulare, quia licet aliquando confirmetur aliquid vniuerſale, tamen communiter vſurpatur ad confirmandum aliquid ſingulare. Vt autem videatur quomodo reducatur, ſit hoc Exemplũ. v. g. *Græci imperium amiſerunt; ergo etiam Turcæ amittent.* Hæc conſequentia duobus ſyllogiſmis exponitur, quorum primus ad tertiam, ſecundus ad primam figuram pertinet hac ratione.

Græci imperium amiſerunt.
Sed Græci erant infideles;
Ergo aliqui infideles imperium amiſerunt.

hæc concluſio per inductionem modò explicatam poteſt inferri vniuerſalis; ſcilicet, quod *Omnes infideles imperium amittunt;* atque ita ſubſumetur.

Omnes infideles imperium amittunt;
Sed Turcæ ſunt infideles;
Ergo Turcæ imperium amittent.

Item in Exemplis negatiuis: v.g. *Croeſus non inuenit felicitatem in diuitijs; ergo nec Craſsus inueniet.*

Croeſus non inuenit felicitatem in diuitijs;
Sed Croeſus erat animo immortalis:
Ergo aliquis animo immortalis, non inuenit felicitatem in diuitijs:

4 Rurſus faciendo inductionem, ex hac concluſione deducetur, quod nullus animus immortalis inueniat felicitatem in diuitijs.

Nullus animus immortalis inuenit felicitatem in diuitijs; Sed animus Craſsi eſt immortalis;
Ergo animus Craſsi non inueniet felicitatẽ in diuitijs.

5 Hi Syllogiſmi benè concludunt ratione formæ, & ſi qua eſt variatio terminorum, vel temporis; facilè per explicationem illorum, & alios ſyllogiſmos intermedios poterit fieri recta diſpoſitio: nam v.g. de quo poteſt dici de præterito, quod amiſerit imperium, potuit aliquando dici de præſenti, vel præterito, amittit. vel amittet imperium, &c.

6 Hæ argumentationes dicuntur probabiles, & topicæ; quia, cum non poſsit fieri inductio per omnia; conſequenter medium nunquã erit plenè diſtributum; & ſic probabilem, & infirmum parient aſſenſum.

7 Pro tertia ſpecie hoc eſt Enthymemate. Notandum tertio Ariſtot. 2. prior. cap. 27. ita illud definire. *Eſt Syllogiſmus imperfectus ex veriſimi-*

ſimilibus aut ſignis. Addit vltimas particulas, quia agit de enthymemate topico. Dicitur autem Syllogiſmus imperfectus ex ſupradictis, quia deeſt illi altera præmiſſa: quare ad Syllogiſmum facile reducetur, reponendo præmiſſam, quæ deſideratur. Pro illius autem reductione, aduerte in omni Enthymemate vnum terminum bis repeti: & ideò, ſi diſponatur cum alijs duobus terminis, reducetur ad omnes tres figuras pro diuerſitate terminorum: v. g.

Homo eſt rationalis.

Ergo homo eſt riſibilis.

vbi vides tres eſſe terminos, *Homo*, *Rationalis*, *Riſibilis*, & hominem bis repeti. Ex his autem, *rationale*, eſſe medium, inde patet; quia illud eſt ratio, cur homo coniugatur cum riſibili: quare apponendo aliam propoſitionem, quæ conſtet ex rationali, quod eſt medium pro ſubiecto, & riſibili, quod eſt prædicatum concluſionis pro prædicato; ſcilicet, *omne rationale eſt riſibile*, erit perfectus Syllogiſmus *Barbara*.

3 Vt dignoſcamus autem ad quam figuram reducantur Enthymemata, has tradunt regulas Conimbricenſes.

Prima eſt; quando terminus, qui bis repetitur, vtrobique ſubijcitur, acceſſione maioris, reduci poterit Enthymema tum ad primam, tum ad ſecundam figuram. Exemplum primæ reductionis eſt modò allatum: exemplum ſecundæ eſt;

Nullum animal eſt lapis;

Ergo nullum animal eſt marmor.

Si apponatur maior, erit in *Cameſtres* ſecundæ figuræ

Omne marmor eſt lapis:
Nullum animal eſt lapis:
Ergo nullum animal eſt marmor.

9 Secunda, quando terminus bis repetitus, vtrobique prædicatur; tunc per additionem minoris, reuocatur modò ad primam, modò ad tertiam figuram: v. gr.

Animal eſt ſenſitiuum,
Ergo homo eſt ſenſitiuus.

reducetur ad *Barbara* iden do minorem:

Omne animal eſt ſenſitiuum:
Omnis homo eſt animal:
Ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

reduci etiam poterit ad *Datiſi* tertiæ figuræ,

Omne animal eſt ſenſitiuum:
Aliquod animal eſt homo:
Ergo aliquis homo eſt ſenſitiuus.

Tertia. Quando terminus bis acceptus, in antecedenti ſubijcitur, & in conſequenti prædicatur, appoſitione minoris, reuocatur ad tertiam figuram: v. gr.

Omne animal eſt viuens:
Ergo aliquod viuens eſt animal.

tunc addenda eſt vna extremitas, cum ſint explicitè tantum duo termini, & erit ſyllogiſmus in *Darapti* tertiæ figuræ.

Omne ſenſitiuum eſt animal:
Omne ſenſitiuum eſt viuens:
Ergo aliquod viuens eſt animal.

11 Quarta. Quando terminus bis repetitus, in antecedenti prædicatur; & in conſequenti ſubijcitur; reuocatur ad tertiam: v.gr.

Elementum eſt corpus ſimplex;
Ergo corpus ſimplex eſt aqua.

Si.

12 Si addatur maior particularis, fiet ſyllogiſmus in *Diſamis* tertiæ figuræ, hac ratione.

Aliquod elementum eſt aqua;
Omne elementum eſt corpus ſimplex:
Ergo aliquod corpus ſimplex eſt aqua.

Atque hæc de ſpeciebus argumentationum.

CAPVT XXIII.

De ſyllogiſmo Demonſtratiuo, & Topico.

SYllogiſmus ex materia neceſſaria, qui etiam dicitur, Demonſtratio, eſt, qui conſtat ex præmiſſis ex materia neceſſaria, ſub qua compre hendimus etiam remotam, cum propoſitio eſt negatiua: tam enim neceſſarium eſt hominem non eſſe lapidem, quam hominem eſſe animal. Demonſtratio duplex eſt. Prima, dicitur, *propter quid*, ſeu etiam *Potiſsima*, & eſt, quæ habet pro medio termino cauſam prædicati concluſionis. v. gr.

Omne rationale eſt riſibile:
Omnis homo eſt rationalis:
Ergo omnis homo eſt riſibilis.

vbi vides medium terminum, *rationale*, eſſe cauſam riſibilitatis. Definitur ab Ariſt. 1. Poſter. cap. 2. tex 5. *eſſe ſyllogiſmus ſcientialis*, ſiue ſcientificus, ideſt pariens ſcientiam, quæ ex eodem eſt cognitio rei per cauſam; & cum Demonſtratio habeat pro medio termino cauſam; ideo dicitur ſyllogiſmus ſcientificus. Aliam longiorem Ariſtoteles deſcriptionem tradit Demonſtrationis; quod ſcilicet præmiſſæ illius ſint ve-

ræ,neceſſariæ,cõtinentes cauſã concluſionis,&c. ſed illius exacta inquiſitio pertinet ad libros Poſteriorum.

2 Altera dicitur Demonſtratio *Quia*, ſeu à *Poſteriori* quæ habet pro medio termino effectum. v. gratia

Omne riſibile eſt rationale:
Omnis homo eſt riſibilis:
Ergo omnis homo eſt rationalis.

vbi vides mediũ terminũ eſſe *riſibile*, quod eſt effectus rationalis.Neceſſaria eſt autẽ talis Demonſtratio ad ſcientiam; quia cum effectus ſit notior nobis communiter,quam cauſa;ab illius notione progredimur ad notionem cauſæ tanquam per medium à poſteriori: vt deinde per regreſſum à cauſa ſumpta pro medio probemus effectum à priori,quod fit in primo modo primæ figuræ, loquendo de perfectiſſima Demoſtratione,per quam paritur ſcientia, quæ eſt de vniuerſalibus.

Atque hæc rudis Demoſtrationis notio ſatis ſit pro Tyronibus,

3 Syllogiſmus Topicus definitur à Tolet. lib. 5.cap. 2. & Fonſeca lib.7.cap.6. & ſumitur ex. Ariſt.1.topic.cap.1.eſſe *Sylogiſmus,qui ex probabilibus concluditur;*& conſequenter conſtat materia contingenti:diſtinguitur autem à Demonſtratione per hoc quod illa habeat præmiſſas, que negari nequeũt: Topicus verò Syllogiſmus habet prẽmiſſas ſolum probabiles, quę tamen ſint, vel plurimorum, vel ſapientum aſſenſu receptę:v.g.*omnis mater diligit filios; Amicis eſt bene faciendum*. Item in ſpeculatiuis; *Cœlum, eſt quinta ſubſtantia; Cœlum eſt corpus ſimplex*.

&c.

&c Demum aduerte Syllogiſmum cenſeri Topicum etiam ſi vna tantum præmiſſa ſit probabilis, & altera neceſſaria, vt ſupra diximus: v. g.

Omne bonum eſt expetendum:

Omnes diuitiæ ſunt bonæ

Ergo omnes diuitiæ ſunt expetendæ:

vbi vides Syllogiſmum eſſe topicũ, & concluſionem, eſſe probabilem, etiam ſi maior ſit neceſſaria probabilem, inquã concluſionem; conſequentia enim eſt neceſſaria; nam quæ non eſt neceſſaria, non eſt conſequentia ex dictis.

4 Sunt autem *probabilia* illa, *quæ videntur vel omnibus, vel plurimis, vel ſapientibus*. Probabilia autem, aut ſunt probabilia per ſe, aut per aliud. Per ſe probabilia ſunt, quæ non egent confirmatione, ſed ſtatim ac proponuntur, ijs aſſentimur vt *melius rempublicam regi viris probis, quam improbis*. Probabilia per aliud, quæ egent probatione. v. g. *melius eſt rempublicam ab vno quam a pluribus regi*.

5 Pro diſſerendo autem topice, ſeu probabiliter tradiderunt Philoſophi rationem inueniendi media, & dicuntur ſedes, ſeu loci argumentorum quos enumerat Ariſtoteles in Topicis, & cum eo Rhetores, quorum maxime proprium eſt ex probabilibus procedere.

6 Enumeratio, & explicatio locorum quia communis eſt nec in ea eſt aliqua difficultas deſumenda vt iacet a P. Valla parte 3. introductionis logicæ a cap. 20. & deinceps.

CAPVT XXIV.

Quid, & quotuplex ſit locus in genere.

1. ARgumentum, ſeu medium dialecticum, eſt probabile inuentum ad faciendam fidem, vt definit Cicero; ideſt eſt medium, quod cum prædicato, & ſubiecto quæſtionis; aut cum eorum altero probabiliter, hoc eſt veroſimiliter, connectitur, vt eius quod confirmandum eſt aſſenſum non omnino neceſſarium efficiat, in quo differt medium topicum à demonſtratiuo. Et quia id, quod eſt neceſſarium, poteſt iudicio multorum iudicari probabile; ideò argumenta, & media demonſtratiua, poſſunt eſſe dialectica, & probabilia. Vnde Ariſtoteles 8. topicorum in principio, poſtquam tradidit omnes locos dialecticos, ſubdit eum locorum campum communem eſſe Dialectico, & Philoſopho, hoc eſt probabiliter ſuadenti, & demonſtratiuè probanti. Locus autem dicitur à Cicerone, in topicis, argumenti ſedes: oſtenſo enim loco facilè multa inde argumenta, & media deſumi poſſunt; & ideo Boetius primo de differentijs topicis, ait, locus eſt id, vnde ad propoſitam quæſtionem conueniens trahitur argumentum.

2. Locus autem in genere ſumptus, duplex eſt; alter dicitur maxima; alter differentia maximæ. Locus, qui dicitur maxima; eſt propoſitio per ſe nota, fidem alijs ſubminiſtrãs, ideſt eſt propoſitio, ſiue neceſſaria, ſiue pro-

ba-

babilis; quæ tamen ab omnibus recipitur, & ex qua multę aliæ probari poſſunt. V. gr. hæc propoſitio, cui non conuenit definitio; nec conuenit definitum; dicitur maxima; quia eſt per ſe nota, & alijs fidem ſubminiſtrat. verbi gr. huic, ſapiens non eſt inuidus, continet enim totam eius probationem ex definitione prædicati deſumptam hoc modo. Inuidus eſt, qui bonis alienis affligitur. ſapiens autem non eſt huiuſmodi; ergo non eſt inuidens. Vnde propoſitio huius concluſionis in hoc argumento pendet ex illa maxima, cui non conuenit definitio; nec conuenit definitum, & quia ſapienti non conuenit definitio inuidi; nec conuenit definitum; id eſt nomen, & ratio inuidi. Dicitur autem maxima; quia quęlibet talis propoſitio continet plurimas alias, quæ ex ipſa probari poſſunt, vt patet in illa propoſita; vel etiam dicitur maxima; quòd ſit ſupra maiores, & ſupra minores, eorum ſyllogiſmorum; qui ex ipſis dependent.

3. Locus autem, qui dicitur differentia maximæ, eſt locus ille, qui ſub ſe plures maximas continet, quæ conueniunt in vno genere, per quod differunt ab alijs maximis. Vt verbi gr. locus à definitione dicitur eſſe differentia maximæ; quia ſub eo continentur multæ maximæ. V. gr. quod conuenit definitioni, conuenit definito, cui non conuenit definitio, nec conuenit definitum, &c. Et omnes hæ maximæ conueniunt in hoc; quòd dicuntur argumenta à definitione, & per hoc differunt ab alijs maximis; quæ dicuntur à contrarijs v. gr. Primi autem loci ſi propriè loqui

velimus dicuntur à tali re v. g. à definitione, vel à contrarijs &c. Secundi vero meliùs dicùntur talis rei v.g. definitionis, aut contrariorum; quamuis ſæpe hæc confunduntur, nec in illis eſt facienda vis.

CAPVT XXI.

De locis in particulari.

Loci Primò diuidi ſolent in duo genera, ſiue ſint maximæ, ſiue differentiæ maximarum; in locos ſcilicet artificioſos, & eos qui arte carent. Artificioſi ſunt, qui dialectica arte inueniuntur. Non artificioſi verò, qui extrinſecus afferuntur. Primi generis ſunt viginti. Poſterioris verò duo. Sunt enim primo locus definitionis. Secundò deſcriptionis. Tertio notationis. Quarto coniugatorum. Quinto partium. Sextò totius. Septimò cauſarum. Octauò effectuum. Nonò antecedentium. Decimò præcurrentium. Duodecimo comitantium. Decimotertiò ſubſequentium. Decimoquartò ſimilium. Decimoquintò maiorum. Decimoſextò minorum. Decimoſeptimò parium. Decimoctauò diſſimilium. Decimononò oppoſitorum. Vigeſimò repugnantium.

2 Duo etiam ſunt arte carentes, autoritas diuina, & humana. Huius autem numeri ſufficientia, ita videtur colligi poſse; quia ſcilicet argumenta artificioſa aut ſignificant idipſum, ex quo deſumuntur: & tunc vel ſunt definitionis, vel deſcriptionis, vel notationis. Aut ea quæ il-

illud aliquo modo reſpiciunt, & hæc aut ſunt illi coniuncta, aut ab eo diſiuncta. Coniuncta verò, aut ſunt connexa, aut circumſtantiarum. Connexa vocantur, quæ neceſſariò pendent ab illo, vel à quo illud neceſſariò pendet, & hoc modo ſunt coniugata, totum, partes, cauſæ, effectus, antecedentia, & conſequentia. Circumſtantia vero dicuntur illa, quæ ita coniuncta ſunt, vt non neceſſario cohæreant, & hæc ſunt, vel præcurrentia vel comitantia, vel ſubſequentia. Diſiuncta autem vel ſunt conſentanea, aut ſimilia, maiora, minora, paria, vel ſunt diſsentanea, & diſſimilia, oppoſita, & alio quouis modo repugnantia. Et hoc modo habemus omnes viginti locos artificioſos aſſignatos. Quibus ſi addantur alij duo arte carentes; fient 22. loci Alij alias diuiſiones aſſignant, & vel plures, vel pauciores locos, vel alio ordine diſpoſitos afferunt, ſed hæc viſa eſt optima, & ad quam omnes loci reduci poſsunt.

3 Primus ergo locus eſt definitionis, quæ vel eſt definitio prædicati, vel ſubiecti, ex vtraque enim poſsumus probare aliquid alicui conuenire. Vt ſi probemus, iuſtitiam eſse bonam hoc modo, habitus cuique tribuens id, quod ſuum eſt, eſt bonus, ſed iuſtitia eſt talis habitus; ergo.

4 Ex hoc loco has maximas poſſumus eruere. Primò, quicquid conuenit definitioni, conuenit definito. Secundò, quicquid non conuenit definitioni, nec conuenit definito. Tertiò, cui tribuitur definitio, tribuitur definitum. Quartò, cui non tribuitur definitio, nec definitum. Quintò, ſi definitio defini-

tie-

tioni conuenit, etiam definitum definito. Sextò, ſi non conuenit definitio definitioni, nec conuenit definitum definito.

5 Ad hunc locum reuocari poteſt locus differentiæ reſpectu ſpeciei; quia differentia conſtituit ſpeciem, & conuertitur cum illa, & eædem regulæ aſſignari poſſunt, ac ſi argumentemur à definito ad definitionem; ſed hoc ferè non eſt in vſu.

6 Secundus locus eſt deſcriptionis, qui ſimilis eſt præcedenti; & in eo fundantur eædē maximæ, quę in definitione; quia deſcriptio idem ſignificat, quod definitio, & ſumitur loco illius, quando non poteſt haberi.

7 Ad hunc locum reuocatur locus proprietatis, quia illi eſt veluti differentia.

8 Tertius locus eſt notationis. Eſt autem notatio applicatio vocabuli, & vis, quæ ex eo continetur, vnde ab alijs dicitur interpretatio; ab alijs etymologia, &c. Et in hoc etiā loco fundantur eædem maximæ, quæ in loco definitionis, dummodo illud aduertatur, vt ſcilicet notatio vocis conueniat rei, atque ita conueniat, vt cum illa conuertatur cuiuſmodi eſt illud Matthæi 1. *Vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Illud præterea notandum eſt, locum hunc plus valere in nominibus communibus, quàm in ſingularibus; niſi fortè ſingularia fuerint à Deo impoſita, aut ab homine valdè ſapiente. Quia communia ferè ſemper ex aliqua rei proprietate deſumpta ſunt.

9 Ad hunc locum reducitur locus tranſumptionis, vt vocant, quando ſcilicet ponimus vo-

vocem clariorem, ad ſignificandam obſcuriorem; vt ſi loco aridæ, vel telluris ponamus terram, & loco Philoſophi, ſapientem.

10 Quartus locus coniugatorum. Sunt autem coniugata, ſi propriè ſumantur; illa; quorum vnum ab altero denominatiuè deducitur, vt ſapiens, ſapere, ad quæ etiam reuocantur caſus, quos vocat Ariſtoteles, ideſt deducta à aduerbia ab aliquo denominante, vt ſapienter à ſapientia. Ad hæc etiam reuocantur illa, quæ etiamſi non habeant hanc vocis deductionem; habent tamen illam, quoad ſignificationem, vt officere, nocumentum, virtus, & ſtudioſus, &c.

11 In his fundantur duæ maximæ præcipuæ. Altera eſt, cum quo cohæret vnum coniugatorum, cohærent & reliqua. Vt verbi gr. iuſtus eſt laudabilis, ergo iuſtitia eſt laudabilis. Altera eſt, cum quo non cohæret vnum, nec reliqua: Vt impius non eſt laudandus, ergo nec impietas. In hoc autem argumentorũ genere cauendum eſt, ne ſumantur pro coniugatis ea, quæ ſunt talia tantùm voce, non ſignificatione. Secundò, ne ſit ambiguitas nominum, & æquiuocatio. Tertiò, ſummopere aduertendum eſt, vt attributa coniugatorum rectè aſſignentur.

12 Quintus locus eſt partium: Supponendum autem eſt hic quinque eſſe genera totorũ, & conſequenter, quinque genera partium, vt ſupra explicauimus, quando egimus de diuiſione; eſt enim vox multiplex, eſt totum quantum vel integrale, eſt totum eſſentiale, phyſicum, & metaphyſicum, & vniuerſale, & totidem.

dem ſunt partes Primum autem totum neg(l)igitur à Logicis hoc loco. Tertium, & quartũ confunduntur ſub nomine totius eſſentialis. Immò quod attinet ad maximas, quæ in hoc loco fundantur; ſecundum, tertium, & quartum ſumuntur pro eodem.

13 Sunt autem duæ maximæ præcipuæ in hoc loco; quod attinet ad partes integrales cõprehendentes omnes illas partes. Prima eſt. Poſitis omnibus partibus integrantibus ponitur totum. Vt ſi dicamus. Animus hominis iuſti fruetur beatitudine; & corpus etiam, eadem perfruetur: ergo totus homo iuſtus erit beatus. Secunda eſt. Sublata quacunque parte integrãte tollitur totum, vt in exemplo poſito, ſi quis dicat. animus impij non erit beatus; aut corpus non erit beatum; ergo totus homo impius non erit beatus.

14 In hoc tamen illa animaduertenda ſunt. Primò, vt ſi totum ſit etherogeneum, partes aſſumantur cum ordine quodam inter ſe. Secundò, vt totum integrum aſſumatur, quatenus totum eſt, & integrum; & partes ad illud integrandum ſint neceſſariæ. Tertiò, vt attributa, quæ de toto, & partibus affirmantur, vel negantur poſſint vtriſque eſſe communia.

15 Quòd ſi totum fuerit vniuerſale, & partes ſubiectiuæ, tunc ſunt duæ etiam maximæ. Prima eſt. Poſita quacunque parte ſubiectiua, ponitur totum, vt ſi dicamus, ſi eſt homo, vel equus, vel leo, &c. eſt animal. Secunda eſt: Sublatis omnibus partibus ſubiectiuis tollitur totum, vt ſi dicamus, nec eſt homo, nec equus, nec leo, &c. ergo non eſt animal Ita tamen hæ duę

ma-

maximæ ſunt intelligendæ; vt id quod de toto concluditur tale ſit, vt toti, & partibus poſſit eſſe commune, &c.

16 VI. locus eſt totius; in quo eædem regulæ, quæ in loco partium ſeruandæ ſunt. Vnde in toto integro, vel integrali ſunt duæ maximę: Prima eſt. Poſito toto integro ponuntur omnes partes illius; vt totus homo erit beatus, ergo & corpus, & animus. Secunda. Sublato toto integro, ſaltem aliqua pars tollitur, vt patet ex ſupradictis.

17 Quod autem attinet ad totum vniuerſale, ſunt duæ aliæ maximæ. Prima eſt. Poſito toto vniuerſali, ponitur aliqua pars ſubiecta. Secunda. Sublato toto vniuerſali tolluntur omnes partes ſubiectæ.

18 Præter hæc tota, & has partes, ſunt alia etiam tota, quorum meminit Boetius 2. de differentijs topicis, & deinde communiter Logici. Primum eſt totum in quantitate, ideſt totũ in multitudine, vel vniuerſale. Secundò eſt totum in loco: quod ſcilicet deſignat omnem locum, & explicatur per hanc vocem *vbique*. Tertiò, totum in tempore; quod deſignat omne tempus, & explicatur per hunc terminum, *ſemper*. Totum in modo, quòd ſcilicet deſignat aliquid vniuerſale, ſine vlla exceptione, quibus totis reſpõdẽt ſuæ partes proportionaliter. Quoniam autem tria prima tota nihil aliud ſunt, quam tota quædam quanta, ſeu integra, & totũ in modo ad totum vniuerſale reducitur; ideò illis regulæ aſſignatæ ſunt proportionaliter applicandæ.

19 VII. locus eſt cauſarum, in quo conti-

nen-

nentur omnes cauſæ. Sunt autem cauſæ quatuor. Materia, forma, finis, & efficiens. Eſt autem materia triplex, ſcilicet materia ex qua, materia in qua, & circa quam.

20 Materia ex qua eſt duplex, tranſiens, & permanens: Tranſiens eſt illa, quæ non manet in effectu; ſed ex illa fit effectus; ſicut vinum eſt materia aceti. Permanens verò eſt, quæ manet cum effectu, vt corpus eſt materia hominis. Ex hac materia ſic poſſumus argumentari. Cælum non conſtat ex materia elementorum; ergo eſt incorruptibile.

21 Materia in qua, eſt ſubiectum reſpectu cuiuſcunque formæ, ſicut corpus eſt materia caloris. Ex hac ſic poſſumus argumentari. Forma iridis ſubiectatur in nube rorida; ergo parum durat.

22 Materia circa quam eſt id, circa quod actio aliqua verſatur; ſicut virtutes dicuntur eſſe materia laudis. Ex hac ſic poſſumus argumentari. Temperantia eſt maximè laudanda, ergo in illa acquirenda deſudare debemus.

23 Forma etiam tripliciter eſt eſſentialis, vt anima rationalis reſpectu hominis. Accidentaria; vt figura reſpectu eiuſdem. & Externa, vt exemplar reſpectu rei; quæ exemplaris imitatione fit. Ex prima forma ſic poſſumus argumentari. Animus eſt principium, quo primò viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus. ergo corpus debet eſſe tali modo diſpoſitum. Ex ſecunda hoc modo. Homo habet erectam ſtaturam; ergo debet ſublimia, & æterna ſpectare. Ex tertia forma hoc modo. Homo eſt ad imaginem Dei creatus; ergo debet illum in ſuis.

ſuis operibus imitari.

24 Ad formam, & locum formæ reducitur id, quod habet Ariſt. 2. topicorum cap. 1. ideſt ab ineſſe ad denominari. vt in igne eſt calor; ergo ignis eſt calidus; id autem, quod ineſt, debet ineſſe ſimpliciter. Secundò reuocatur alius, qui habetur cap. 4 ab appoſitione, vt paries eſt albus calce; ergo calx eſt alba; vbi per appoſitionem intelligitur, eius rei appoſitio, quæ talis denominationis ſit capax.

25 Tertia cauſa eſt efficiens, quæ triplex eſſe poteſt, procreans, vel conſeruans, vel corrumpens. Et hæ omnes diuiduntur in principales, vel in miniſtrantes; vnde ad efficientem cauſam reuocantur inſtrumenta, & quæ agunt etiam meritoriè.

26 Ex cauſa generante ſic poſſumus argumentari. Deus creauit hominem; ergo homo ſemper illi obedire, & ſeruire debet. Ex conſeruante, vt ſi dicamus. Homo diutiùs viuit quàm alia animalia; quia habet meliorem qualitatum proportionem. Ex cauſa interimente, vt ſi dicamus. Arbores lata folia habentes, defrondeſcunt; quia ſuccus ex ea parte contrahitur, vbi folia cum extremis ramulis copulantur; quod ponitur ab Ariſtotele 2. Poſterior. tex. 23. vel 90.

27 Ad locum cauſæ efficientis reuocatur locus generationum; & locus corruptionũ quòd ſcilicet generatio bona ſit, ſi id, quod generatur bonum ſit; & mala ſi eſt malum. Corruptio verò bona ſi id, quod corrumpitur, malum eſt; mala verò ſi eſt bonum.

28 Quarta cauſa eſt finis, qui dicitur cauſa

cau-

cauſarum ; aliæ enim cauſæ cauſant propter illum ; & ſimiliter eſt cauſa mediorum. Eſt autem finis triplex. Primus eſt, ea res, cui aliquid expetitur; ſicut nos dicimur finis omnium rerum. Secundus, vt cuius fruitio, aut vſus expetitur, & vtroque modo Deus eſt finis noſter. Tertius eſt ipſa fruitio, & vſus. Ex primo fine ſic poſſumus argumentari. Deus efficit omnia propter ſe, ergo non eſt cauſa peccati. Ex ſecundo hoc modo. Optamus æterna. ergo ſpernenda ſunt temporalia. Ex tertio hoc modo. Optamus Dei viſionem; ergo debemus eſſe mundo corde.

29 Ex his quatuor cauſis infinita argumentorum genera deſumi poſſunt. Tribus autem modis poſſumus comparare cauſam cum effectu. Primo in potentia. Secundo in fieri. Tertiò, quoad aliquam affectionem; vt eſſe bonum, vel malum, honeſtum, & inhoneſtum.

30 Primus modus habet hanc maximam; Cauſæ in potentia; & effectus in potentia ſimul ſunt, vel non ſunt; id eſt ſi adſit cauſa potens edere effectum, poteſt effectus produci; & ſi non adſit, non poteſt.

31 In ſecundo modo alia maxima continetur. Cauſa in actu, & effectus in actu ſimul ſunt, vel non ſunt; id eſt ſi cauſa actu edit effectum, effectus actu producitur; & ſi cauſa actu non edit effectum, nec effectus actu producitur.

32 In tertio modo continentur aliæ maximæ. Prima eſt, illa quæ habent bonas cauſas, vel honeſtas, &c. ſunt bona, vel honeſta, &c.

dum-

dummodo producautur ab illis cauſis, quatenus tales ſunt. Secunda eſt; quæ habent malas cauſas, vel inhoneſtas, & ipſa ſunt mala, vel inhoneſta. dummodo etiam producantur; ab illis cauſis ſub illa ratione. Tertia eſt; illa quæ corrumpuntur à bonis cauſis, ſunt mala. Quartò; illa quæ corrumpuntur à malis cauſis, ſunt bona; & omnia ſunt intelligenda de corrumpentibus ſub tali ratione. Denique maxima vna generalis, ſeu potius differentia maximæ aſſignari poteſt; id eſt cuius conditionis eſt cauſa, eiuſdem ſuo modo eſt effectus.

33 VIII. locus eſt effectuum; qui reſpondent cauſis, & illis accommodantur omnia, quæ de cauſis diximus, hoc tamen addito; quòd ex vno effectu infertur cauſa; cùm tamen effectus ex omnibus cauſis ſimul inferri debeat: & quod ex effectu colligimus, vel æqualem; vel maiorem cauſæ perfectionem, non tamen è contrà.

34 IX. locus eſt antecedentium, & X. conſequentium. hæc enim ſimul connexa ſunt. Antecedens ſumitur hìc quatenus ſignificat ea, quæ neceſſariò antecedunt aliquid. Conſequẽs verò, quod neceſſariũ ſequitur. Eſt autem aliquid antecedens, vel conſequens dupliciter: primò ò ſimpliciter, quando ſcilicet vna res neceſſariò ſequitur aliam; vel ordine attributionis, vel ordinis. Secundò ex hypotheſi, quando ſcilicet aliquid, neceſſariò concedendum eſt, ſi aliud conceditur.

35 In primis antecedentibus fundantur duę maximæ, Prima eſt. Poſito antecedente, neceſſariò ponitur conſequens, vt ſi dicamus iuſti

cia

tia eſt virtus ergo rationi conſentanea. Secunda eſt. Sublato conſequente, neceſſe eſt tolli antecedens; vt ſi dicamus iniuſtitia non eſt rationi conſentanea, ergo nec virtus.

36 In ſecundis verò fundantur etiam duæ maximæ. Prima eſt. Sublato antecedente, neceſſe eſt tolli conſequens; vt, non ponuntur fundamenta; ergo non fiet domus. Secunda eſt. Poſito conſeqnente, neceſſe eſt poni antecedēs, vt ædificanda eſt domus; ergo ſunt ponenda fundamenta.

37 Notandum autem eſt in his, & alijs locis, interdum idem argumentum ſecundùm diuerſas conditiones ad diuerſos locos pertinere.

38 XI. Locus eſt præcurrentium. XII. comitantium. & XIII. ſubſequentium. Hi omnes tres loci ſub nomine circumſtantium, ſeu adiunctorum comprehenduntur, quæ nihil aliud ſunt quàm ea, quę coniuncta ſunt cum re, non tamen neceſſariò. Eorum autem quæ ſunt coniuncta, alia antecedunt rem, & dicuntur præcurrentia, vt portenta, nobilitas maiorum, &c. Alia comitantur, vt locus, tempus, occaſio, ſocij, &c. Alia ſubſequuntur. vt laus, infamia, reprehenſio. Et quamuis horum locorum argumenta videantur magis ad Rhetorem pertinere, quàm ad Dialecticum, & in ijs infinitæ maximæ fundari poſſint. Quale eſt illud Dauidis, *cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris*, &c. poteſt tamen aſſignari hæc maxima communis. Qualia ſunt circumſtantia, talem veriſimile eſt eſſe rem quam circumſtant; ſiue ſint præcurrentia, vt, *Sedis*

po-

populus manducare; & libere; & ſurrexerunt ludere, ſiue comitantia, vt eſt illud S. Petri. *Non enim ſicut vos exiſtimatis hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia*; ſiue ſubſequentia, *Vt quem fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.*

39 XIV. Locus eſt ſimilium: quando ſcilicet ex vno ſimili quocunque modo argumentamur ad aliud ſimile. Et in hoc loco duæ maximæ fundantur. Prima eſt. Quod in vno ſimili valet, valet etiam in alijs, vt corpus oculis regitur; ergo animus mente regendus eſt Secunda eſt. Quod non valet in vno, nec in alijs: vt animus, qui ratione ducitur nunquam errat; ergo nec corpus, quod oculos ſequitur, vnquam offendit.

40 Ad hunc locum reuocantur exempla; & vt neceſſariò concludant, debemus argumentari à ſimilibus quatenus ſimilia ſunt.

41 XV. locus eſt maiorum, qui eſt locus deſumptus ex tota quæſtione. Omnes enim præcedentes deſumebantur, vel ex prædicato, vel ex ſubiecto illius. Maiora autem dicuntur illa, quæ maiorem habent probabilitatem, quàm habet enunciatio; quæ eſt excludenda. Et in his fundatur vna maxima; ſi id, quod veriſimiliùs videtur ineſſe, non ineſt, neque id, quod minùs videtur; vt, *ſi terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero cæleſtia credetis?* Vnde totus hic locus eſt negatiuus.

42 XVI. Locus eſt minorum; quæ ſunt oppoſita maioribus, in quibus fundatur hæc maxima; ſi id, quod minus videtur ineſſe, ineſt; multò magis id, quòd magis videtur, vt ſi pro

Chri-

Chriſto contemnenda eſt vita, cur non pecunia? Hos autem duos locos alio modo intelligunt Peripatetici ſimul cum Ariſtotele, ac intelligant Rhetores ſimul cum Cicerone. Nam Rhetores à maiore vocant illum, qui procedit à re maiore ſecundùm ſe; ſiue habeat maiorem probabilitatem, ſiue non: & à minore id quod eſt minus etiam ſecundùm ſe. Ariſtoteles verò, & Peripatetici maius vocant id, quod maiorem habet probabilitatem, ſiue ſit maius in ſe, ſiue non. Vt verbi gr. hoc argumentum occidit patrem; ergo multo magis occidet alios; Ariſtoteli eſt argumentum à minore ad maius. Ciceroni verò à maiore ad minus. Meliùs tamen loquitur hac in re Ariſtoteles, ſi quidem in argumentis topicis, & eorum illationibus, non res ſecundùm ſe; ſed probabilitas in illis exiſtens, ſpectanda eſt, & tota inferendi vis ex hac probabilitate dependet.

43 XVII. Locus eſt parium, quando ſcilicet, quia duorum, vel plurium eſt par ratio, ex vno argumentamur ad aliud. Et in hoc fundatur hęc maxima: ſi data propoſitio vera eſt, aut falſa; ea etiam, quæ videtur æquè probabilis, vera erit, aut falſa, *vt nolite iudicare, & non iudicabimini*; & ſi debetur talis pœna interfectori patris; eadem debebitur interfectori matris. Ad hunc locum reuocatur illud axioma, quod habetur 2. topicorum, capite 4. vt ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum, vt ſi facere iniuriam eſt malum facere, maiorem iniuriam facere erit maius malum; Et ſi facere maiorem iniuriam eſt maius malum; facere ſim-

pli-

pliciter iniuriam erit malum; quod tamen ita intelligendum eſt; vt explicetur de illis, quæ rei per ſe conueniunt, non autem propter aliquid extrinſecum.

44 XVIII. locus eſt diſſimilium; qui habet duas maximas. Prima eſt. Diſſimilibus diſſimilia conueniunt, vt, ſi iuſtus eſt laudandus; iniuſtus erit reprehendendus. Secunda eſt. Quod vni diſſimilium, quatenus diſſimile eſt, conuenit, non conuenit alteri. Vt, ſi irrationalia; quia irrationalia ſunt; non prouident futura; homines, qui ſunt rationales prouidebunt.

45 XX. locus eſt oppoſitorum. Oppoſita, vt diximus ſupra, ſunt quatuor. Relatiua. Priuatiua Contraria Contradictoria. Et primò quidem pro omnibus ſimul duæ maximæ tradi poſſunt. Prima eſt. De quocunque affirmatur alterum oppoſitorum, negatur alterum, vt eſt filius; ergo non eſt pater illius, cuius eſt filius. Eſt cæcus, ergo non videt. Eſt albus, ergo non niger. Eſt homo, ergo non eſt non homo. Secunda maxima eſt. Quando ſunt duo oppoſita, quorum vni conuenit vnum oppoſitum; alteri oppoſito conuenit alterum; vt virtus, & vitium ſunt oppoſita, & eſſe laudandum, & vituperandum, ſunt oppoſita; & ideò ſi virtuti conuenit eſſe laudandum, vitio conuenit eſſe vituperandum; quod tamen intelligendum eſt, quando ea oppoſita conueniunt illis; quatenus oppoſita ſunt; & quando vtrumque vni conuenire non poteſt; quia ſcilicet habet plura oppoſita, ſicut auaritia,

habet duo contraria, & oppoſita, liberalitatem ſcilicet, & prodigalitatem: vnde auaritiæ conuenit eſſe vituperandum; nec tamen prodigalitati conuenit eſſe laudandum, ſed liberalitati, ſiquidem & auaritia, & prodigalitas; quæ ſunt oppoſita, poſſunt in eodem conuenire, quia ſcilicet ſunt vituperanda.

46 *S*i autem deſcendamus ad ſingula oppoſitorum genera in particulari; In oppoſitis relatiuis ſunt duæ maximæ. *Prima* eſt. Relatiua ſe mutuò tollunt, & ponunt, id eſt, poſito vno formaliter, ponitur alterum: & ablato, aufertur. Vt eſt pater, ergo eſt filius; non eſt pater; ergo non eſt filius. Secunda eſt. Relatiua ſimul cognoſcuntur, aut ignorantur, *vt ſi me cognouiſſetis, & Patrem meum vtique cognouiſſetis*. Secundo in oppoſitis contrariè ſunt duę alię maximę. Prima eſt. Illud non eſt in ſubiecto aſſignato, quo poſito ſequitur duo contraria eſſe in eodem ſubiecto; vt ſi probemus in homine non eſſe naturam ignis; quia ſequeretur eſſe grauem, & leuem, quæ ſunt contraria. Secunda eſt. Illud non eſt in ſubiecto, cuius contrarium non poteſt eidem ineſſe. Contraria enim dicuntur illa, quę ſub eodem genere poſita mutuo ſe expellunt ab eodem ſubiecto; vt ſi dicamus, odium non eſt in parte iraſcibili; quia in ea non eſt amor, qui contrariatur odio. Hæc tamen maxima non valet in ijs contrarijs, quorum alterum eſt connaturale ſubiecto; quamuis in illis etiam explicari poſſet de inexiſtentia, per potentiam lo-

logicam, & ratione materiæ;

47 Denique in contrarijs immediatis, inter quæ ſcilicet non datur medium, in oppoſitis priuatiuè, & in contradictorijs fundatur hæc maxima. Si alterum eorum non conuenit: alterum conueniat neceſſe eſt. Vt ſi Petrus non eſt æger, ergo bene valet: ſi non videt, ergo cæcus eſt: ſi non eſt candidus, eſt non candidus. ita tamen, vt quando hæc maxima applicatur contrarijs, intelligatur ſubiectum natura aptum; quando applicatur priuatiuis, intelligatur tempus à natura conſtitutum.

48 XX. locus eſt repugnantium. Nomine autem repugnãtium, propriè intelligimus diſparata. Hic tamen accommodamus hoc, ad omnia etiam oppoſita; & tunc ſunt duæ maximæ. Prima eſt. Cui conuenit vnum ex repugnantibus; non cõuenit alterum, vel reliqua: vt hoc, quod tãgitur eſt corpus; ergo non eſt ſpiritus. Secunda eſt. Si repugnantia ſint immediata in aliquo genere, cui non conuenerit alterũ, vel omnia præter vnum, eidem conueniat alterum, vel reliquum neceſſe eſt. Vt ſi dicamus, in vtre inflato eſt corpus aliquod corruptibile, & non miſtum, non aqua, non terra non ignis. ergo aer.

49 Ad hunc locum reuocatur locus diuiſionis, quando oſtendimus omnia membra, præter vnum non conuenire: & illa membra ſunt immediata, neceſſarium eſt aliud conuenire.

50 Alij autem duo loci ab auctoritate,

tales ſunt, vt locus auctoritatis diuinæ ſimpliciter, & neceſſariò concludat, locus verò auctoritatis humanæ probabiliter tantùm. In hoc autem illud obſeruandum eſt, vt auctoritas ſit affirmatiua, non negatiua; ideſt vt auctoritas afferat id, quod eſt probandum, ſiue afferat affirmando, ſiue negando. Quod ſi negatiua ſit auctoritas, quia ſcilicet illud non dixit, argumentum fere nunquam valet. Vnde in auctoritate debemus argumentari, dixit hoc, vel negauit hoc: ergo eſt hoc verum, vel falſum. Si autem dicamus, non dixit, ergo eſt falſum: non valet argumentum, niſi fortè eſſet locus, in quo niſi egiſſet de illo, fuiſſet mancus, & diminutus ille error.

51 Multa poſſunt afferri de his iiſdem locis, in quæſtionibus comparatiuis, quando ſcilicet quæritur, an aliquid ſit magis laudandum, quàm aliud, vel magis bonum, &c. Sed ex iis, quæ dicimus de quæſtioribus ſimplicibus, & ex naturali iudicio applicante regulas, & maximas aſſignatas facilè hoc intelligi poterit.

- **Argnmẽta**
  - Artificioſa.
    - Quæ ſignificant idipsũ ex quo deſumuntur.
      - Definitiones.
      - Deſcriptiones.
      - Notationes.
    - Quæ ſignificãt affecta, mõ aliquo ad id ex quo deſumuntur.
      - Coniũcta.
        - Connexa.
          - Coniugata.
          - Partes.
          - Tota.
          - Cauſæ.
          - Effecta.
          - Antecedẽtia
          - Cõſequẽtia.
        - Circũſtãtia.
          - Præcurrentia.
          - Comitãtia.
          - Subſequentia.
      - Diſiũcta.
        - Cõſentanea.
          - Similia.
          - Maiora.
          - Minora.
          - Paria.
        - Diſsẽtanea.
          - Diſsimilia.
          - Oppoſita.
          - Repugnantia.
  - Artis expertia.
    - Auctoritas diuina.
    - Humana.

- Locus
  - Artificioſus
    - Ipſius rei ex qua deſumitur argumentum.
      - Definitionis.
      - Deſcriptionis.
      - Notationis.
    - Eorum quæ illi coniuncta ſunt.
      - Coniugatorum.
      - Partium.
      - Totius.
      - Cauſarum.
      - Effectorum.
      - Antecedentium.
      - Conſequentium.
      - Præcurrentium.
      - Comitantium.
      - Subſequentium.
    - Eorũ quæ ab ea disiuncta ſunt.
      - Similium.
      - Maiorum.
      - Minorum.
      - Parium.
      - Diſſimilium.
      - Oppoſitorum.
      - Repugnantium.
  - Artis expers.
    - Auctoritas diuina.
    - Humana.

CAPVT XXVI.

De Syllogiſmo Pſeudographo, & ſophiſtico.

EGimus hucuſque de forma, & materia Syllogiſmi, cuius vſus, vtilis eſt; nunc agendum de Syllogiſmo captioſo; non vt eo vtamur ſed ne illo decipiamur. Cum enim quiſque decipiatur imagine veri, & boni; ideo Sophiſtæ vtuntur Syllogiſmis imitantibus bonam formam, & veram materiam. Quare tripliciter captioſus eſſe poteſt Syllogiſmus. Vel ratione formæ, vel ratione materiæ, vel ratione vtriuſque. Atque ita de ſingulis hic breuiter agendum.

a Diuiditur primo vitioſus Syllogiſmus in Pſeudographum, & ſophiſticum. Pſeudographus ſonat idem, ac mendacis deſcriptionis, deſumitur à Geometria, ad quam pertinent deſcriptiones circulorum, & linearum: transfertur ad alias Scientias præcipuè ad Logicam; & accipitur pro Syllogiſmo vitioſo, qui definitur à Fonſeca lib. 8. cap. 1. & communiter eſſe *Syllogiſmus, qui ex propria alicuius ſententiæ materia, non veris tamen ſumptionibus, ſed quæ vera, ac neceſſaria videntur colligit concluſionem*. Hoc vitium falſæ deſcriptionis incurritur, quando principium aliquod latius ſumitur, quam accipi debeat: v. g. principium phyſicum eſt; *ex nihilo nihil fit*: quod intelligi debet de ijs, quæ generantur, non quæ creantur.

tur; Item Geometria eſt hoc principium: *Omnes lineæ ductæ ab eodem puncto ad idem punctum ſunt æquales*; quod eſt intelligendum de lineis rectis. Ex quibus principijs tales confici poſſent Syllogiſmi pſeudographi.

Ex nihilo nihil fit. Sed anima rationalis fit.
Ergo anima rationalis non fit ex nihilo.

3 Item.

Omnes lineæ ductæ à puncto ad punctum ſunt æquales;
Sed ſemicirculus, & diameter ſunt lineæ ductæ a puncto ad punctum;
Ergo ſemicirculus, & diameter ſunt æquales

Diſtinguendæ ergo ſunt propoſitiones maiores iuxta ſenſum ſupra dictam.

4 Syllogiſmus Sophiſticus, qui etiam dicitur Sophiſma, definitur ab Ariſt. 1 Elench. c. 1. & 1. topic. c. 1. eſſe *Syllogiſmus ex ijs, quæ videntur probabilia, nec ſunt & aliquid videtur concludere; & non concludit*. Sub qua definitione triplex illud genus Syllogiſmorum continetur peccantium, vel ratione formæ, vel ratione materiæ. vel ratione vtriuſque. Vtuntur autem Sophiſtæ huiuſmodi Syllogiſmis ad decipiendum reſpondentem, illumque cogendum ad eas anguſtias, vt concedat aliquid manifeſtè abſurdum, quod Summuliſtæ vocant *Metam*; vel quia, vt ipſi aiunt, tale abſurdum, eſt Sophiſtarum finis, & ſcopus; vel quia in illud velut in metam impingentes hæreant; nec vltra progredi, nec regredi poſſint. Porro quinque enumerantur metæ à Toleto lib.5. cap.12. & deinceps. Fonſeca lib.8. à cap.3. Valla par.3. introductionis c.22.& 23.

Pri-

Prima ἔλεγχος & ſonat idem ac *reprehenſio,* dicitur ἔλεγχος ſiue *redargutio.* Eſt autẽ redargutio prænegati conceſſio, vel præconceſſi negatio; ideſt, quod in eadem diſputatione ex vi argumenti cogatur reſpondens, vel concedere quod negauerat, vel negare quod conceſſerat. Erit autem bonus Elenchus, ſi fiat ſine fallacia; malus autem ſi cum fallacijs: de quibus infra: v g.

Omnis viſum habens videt:
Omnis dormiens viſum habet:
Ergo omnis dormiens videt.

Fallacia eſt in ly, *viſum habens*, quod à reſpondente exiſtimatur eſse idem ac habere viſionem actu, cum tamen ſolum ſit habere potentiam videndi.

5 Secunda. Dicitur, *meta falſi*, Falſum autem dicitur id, quod omnibus circumſtantibus cognitum eſt tanquam falſum, vt habet Toletus; ad quod Sophiſta conatur redigere reſpondentem: v g.

Quicquid non amiſiſti habes.
Cornua non amiſiſti: Ergo cornua habes:

Vitium huius Syllogiſmi infra examinabitur

6 Tertia; dicitur, *meta inopinabilis*: Eſt autem inopinabile id, quod eſt contra opinionem circumſtantium, ſiue in re falſum ſit, ſiue non, per quod diſtinguitur à Superiori meta, quæ erat de falſo ſecundum rem ipſam; vt ſi coram ruſticis: v. g. cogeret quis reſpondentem dicere Solem eſse maiorem terra, quod apud ruſticos eſt omnino inopinabile.

7 Quarta eſt *meta Solœciſmi*. Solecifmus eſt vitium in oratione contra regulas grammat-

ticas; ad quem redigere conatur arguens reſpondentem: v.g.

Omnis homo eſt ſtudioſus ſcientiæ:
Omnis mulier eſt homo:
Ergo omnis mulier eſt ſtudioſus ſcientiæ.

Solœciſmus eſt in concluſione, vt vides: fallacia autem eſt manifeſta in variatione ſuppoſitionis: nam ly, *ſtudioſus*, ſupponit materialiter, dum accipitur eſſe generis maſculini.

8 Quinta demum eſt *meta Nugationis*. Nugatio eſt repetitio inutilis eiuſdem in eadem parte, ideſt in eadem propoſitione: v.g.

Omne ſimum eſt naſus ſimus;
Aliquis naſus, eſt ſimus;
Ergo aliquis naſus, eſt naſus ſimus;

vides eſſe nugatoriam repetitionem, & inutilem verborum.

9 Præcipua meta eſt, *Redargutio*, ſub qua comprehendi diximus triplex illud vitium Syllogiſmorum.

Primum erat ratione formæ, de quo ſatis ſupra diximus; nunc aliqui tantum Syllogiſmi ſunt explicandi.

1. eſt *Roma non eſt Imperator;*
Roma eſt in mundo,
Ergo Imperator non eſt in mundo.

Syllogiſmus non concludit; quia ly, *in mundo* eſt diſtributum in concluſione ratione negationis, à qua afficitur, & non in minore.

2 *Mus comedit caſeum, Mus eſt monoſyllabus;*
Ergo monoſyllabus comedit caſeum.

non tenet; quia ly, *mus*, in maiore ſupponit formaliter perſonaliter, in minore materialiter.

3 *Quotieſcunque fuiſti Romæ, fuiſti homo;*

Bis

Bis fuiſti Romæ ; ergo bis fuiſti homo.

10 Fallacia eſt in ly, *Quotieſcunque*, quod aliquando accipitur, vt nota temporis; & ſenſus eſt, omni tempore, quo fuiſti Romæ, fuiſti homo, & ſic eſt vera maior, vt etiam minor, ſed falſum conſequens, & mala conſequentia, quia ſunt quatuor termini, ly *enim Bis*, eſt nota numeralis, quæ non continetur ſub *Quotieſcunque* acceptum pro nota temporis, ſi autem ly *Quotieſcunque* accipiatur pro ſingulis vicibus cum vices importent interruptionem, bene poteſt cadere ſupra *fuiſti*, non ſupra ly *Homo*, & ſic falſa erit maior.

4 *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim ;*
Petrus, & Andreas ſunt Apoſtoli
Ergo Petrus, & Andreas ſunt duodecim :

non tenet, quia ly *omnes Apoſtoli*, medius terminus non eſt diſtributus, & variatur ſuppoſitio : nam in maiore ſupponit copulatim, in minore diſtributiuè.

11 Secundum genus eſt ratione materiæ, de quo paulò poſt.

12 Tertium eſt ratione vtriuſque : v. g.

Aliquod quod mouetur, eſt ſenſibile :
Cadauer mouetur ;
Ergo cadauer eſt ſenſibile :

peccat ratione formæ ; quia medius terminus non eſt diſtributus. peccat etiam ratione materiæ, quia ly, *mouetur*, in maiore accipitur pro moueri ab intrinſeco, in minore pro moueri ab extrinſeco.

13 Pro ſecundo genere, quod eſt proximum huius loci, aſſignantur ſedes Sophiſmatum, quorum aliquæ ſunt in dictione, aliquæ extra

dictionem, ideſt aliquæ in vocibus, aliquæ in rebus,& ſunt omnes tredecim,ſeptem extra dictionem, ſex in dictione.

Pro fallacijs extra dictionem.

14 PRima eſt fallacia accidentis omnium periculoſiſſima, qua ſapientes quoque capi aliquando, ait Ariſtoteles 1. elench. c. 5. Et eſt cum aliquid tribuitur conuenire ſubiecto ſecundum ſe, quod illi tantum conuenit ratione accidentis.ſeu alterius adiuncti,vel aliquid tribuitur accidenti,quod eſt proprium ſubiecti,in quo eſt. Nomine autem accidentis intelligitur quodcunque non eſt idem cum ſubiecto, vel ſecundum rem, vel ſecundum denominationem; quod multipliciter contingere poſſe aiunt Toletus, & Fonſeca: ad hanc fallaciam reuocant multas, quæ petuntur ex variatione ſuppoſitionis, & appellationis; v.g.

1 *Enſis eſt nomen tertiæ declinationis:*
Gladius eſt enſis:
Ergo gladius eſt nomen tertiæ declinationis.

15 Eſt variatio ſuppoſitionis in ly, *enſis*, qui in maiore ſupponit materialiter, in minore formaliter.

2 *Hæc capra eſt mater: Hæc capra eſt tua;*
Ergo *hæc capra eſt mater tua.*

non concludit; quia medius terminus, *Hæc capra*, ingreditur vt ſubiectum concluſionis; concluderet autem, ſi diceretur.

Hæc capra eſt mater, Hæc capra eſt tua;
Ergo aliquod tuum eſt mater.

10 Ma-

16 Magis tamen propriè committitur fallacia accidentis in ſequentibus.

1 *Omne album eſt aliquod accidentale.*
Omnis homo eſt albus.
Ergo omnis homo eſt aliquid accidentale.

non concludit; fallacia eſt ex variatione medij: nam ly *album* non prædicatur totum ſecundum omne, quod dicit de homine, ſed ſolum ſecundum id, pro quo ſupponit, ideſt ſecundum ſubiectum.

Item nec valet

Id quod latet in hoc cubiculo non noſti
Pater ſuus latet in hoc cubiculo
Ergo patrem ſuum non noſti.

non inquam valet, ex multis defectibus. 1: argumentum procedit a ſenſu reduplicatiuo ad ſpecificatiuum, & ſic ſunt quatuor termini; nam *id quod latet* in maiori accipitur reduplicatiue pro ratione latendi, in minori accipitur ſpecificatiue pro perſona, quæ latet. 2. per fallaciā accidentis nam non *noſti* conuenit patri, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum accidens: talis ſcilicet vbicationis in tali loco, &c. in conſequentia vero idem prædicatum non *noſti* tribuitur ſubſtantiæ patris. propter alia etiam non valent hoc & ſimilia argumenta.

17 Propter eandem rationem non tenet hic.

Hoc calidum eſt Petrus,
Sed nunc factum eſt hoc calidum,
Ergo nunc factus eſt Petrus.

fallacia eſt in ly, *hoc calidum*, quod in maiori ſupponit ſpecificatiuè, ſeu denominatiuè pro ſubiecto caloris: in minore verò pro eodem, ratione formæ caloris, ratione cuius conuenit

il-

illi prædicatum, *eſſe factum*, & ſic variatur appellatio in ly *factum*, quod in minore appellat *calorem*, in concluſione, *Petrum*.

3 *Hoc album eſt hoc odoratum;*
Sed videtur hoc album,
Ergo videtur hoc odoratum.

18 Non concludit; nam in maiore termini ſupponunt pro ſubiectis, quæ identificantur, non pro formis, quæ non identificantur: & conſequenter, non omne, quod conuenit alicui ratione vnius formæ, conueniet eidem ratione alterius.

3 *Quicquid emi, comedi; Carnes crudas emi;*
Ergo carnes crudas comedi.

19 Argumentum non concludit. Quare ly, *Quicquid*, in maiore ſupponit pro carnibus ſimpliciter, non cum omnibus circumſtantijs, cum quibus illas emi: ita vt cum iiſdem illas comederim; in minori verò ſupponit pro carnibus cum accidente cruditatis.

4 *Quicquid non amiſiſti, habes:*
Cornua non amiſiſti. Ergo cornua habes.

20 Hoc argumentum ſupra ſoluimus, tunc alia etiam via ſoluendum: argumentum non concludit; & fallacia eſt in ly, amiſiſti, quod inuoluit duplicem propoſitionem, ſcilicet, quod illa habueris aliquando, & quod non amiſeris, ſeu perſeueraueris habere. Propoſitio verò, quæ dicit; *cornua non amiſiſti*; cum opponatur contradictoriè alteri. *cornua amiſiſti*, æquiualet huic diſiunctiuæ; *vel cornua non habuiſti, vel adhuc habes*; quæ vera eſt. falſa autem concluſio, quę infert vnam tantum partem abſolutè. Maior quoque falſa eſt; nam

ſen-

ſenſus primæ partis eſt; *quicquid vel non habuiſti, vel adhuc habes*: de qua diſiunctiua non poteſt abſolutè dici *habes*.

21 Propter ſimilem defectum nec concludit iſte, qui procedit ex hac interrogatione.

Furari deſiiſti, nec ne?

ſi affirmatiuè reſpondeatur, talis conficietur Syllogiſmus

Quicquid deſiiſti facere, feciſti:
Furari deſiiſti: Ergo furatus es.

ſi autem negatiuè reſpondeatur; ita inſtatur.

Quicquid non deſiiſti facere, adhuc facis:
Furari non deſiiſti. Ergo adhuc furaris:

falſa eſt maior huius ſecundi Syllogiſmi. Prima enim in primo ſyllogiſmo æquiualebat huic copulatiuæ; *Quicquid feciſti, & nunc non facis, feciſti*. Secunda vero æquiualet huic diſiunctiuæ cum immutatione qualitatis propoſitionum, ſcilicet *quicquid vel non feciſti, vel adhuc facis, facis*; quæ propoſitio falſa eſt, cum abſolutè affirmet vnam partem, quæ ſub diſiunctione tantum affirmatur; quod clarius patet in his duabus propoſitionibus.

Deſiiſti furari: Non deſiiſti furari.

Senſus primæ eſt, furatus es, & nunc non furaris. Senſus ſecundæ eſt, vel non furatus es, vel adhuc furaris. De eo autem, de quo ſub diſiunctione dicitur, vel non es furatus, vel adhuc furaris, non poteſt determinatè dici, adhuc furaris: atque hoc eſt, quod dicitur in concluſione ſecundi Syllogiſmi, cuius falſa eſt maior, vt diximus.

22 Secunda, eſt fallacia à ſecundum quid, ad ſimpliciter, & committitur, cum id, quod con-

uenit alicui cum addito, infertur illi conuenire ſimpliciter : v. gr.

Id, quod habet albedinem eſt album:
Aethiops habet albedinem ſecundum dentes:
Ergo Aethiops eſt albus .

23 Fallacia eſt à minus amplo ad magis amplum: nam in minore, eſſe albũ, ſumitur ſecundũ quid, & cum addito, in concluſione ſumitur ſimpliciter . Idem defectus committitur , quando infertur aliquid conuenire alicui in omni loco, vel tempore , quod conuenit ſolum in aliqua, vel aliquibus circumſtantijs; vel è contra, ex eò quod aliquid non conueniat alicui in aliquibus circumſtantijs, infertur non conuenire ſimpliciter . Exemplum primi defectus eſt .

In templo licet audire ſacrum :
Ergo in omni loco licet audire ſacrum :

24 Exemplum ſecundi eſt .

Non licet comedere carnes die veneris :
Ergo abſolutè non licet comedere carnes :

Item

Gladius non expedit amenti ;
Ergo gladius nulli expedit .

25 Item cum ex terminis diſtrahentibus inferimus terminos proprios; v. g.

Duo leones marmorei ſunt in foro:
Ergo duo leones ſunt in foro .

26 Aduerte autem dupliciter aliquid dici ſimpliciter tale ; vel quia formam importatam per tale nomen non habet ſine vlla mixtione oppoſiti; vel quia habet adeò paruam admixtionem oppoſiti , vt in communi vſu loquendi adhuc abſolutè denominetur tale ; vt aliquid abſolutè dici poteſt album, vel calidum , etiam ſi ha-

ſi habeat aliquid admixtum nigredinis, vel frigoris.

27 Tertia eſt ignoratio Elenchi. Elenchus enim eſt Syllogiſmus inferens contradictorium eius, quod conceſſum eſt, vel duo contradictoria ſimul; & bonus Elenchus eſt, cum Syllogiſmus eſt in bona forma, & infert verè contradictoria: malus vero, & captioſus Elenchus eſt ex defectu alterutrius. Committitur verò fallacia elenchi, quando non ſeruantur leges contradictionis, quod quadrupliciter fieri poſſe ait Ariſtoteles 1. elench. cap. 4. Primo, quando contradictoria non ſunt eiuſdem de eodem: v.g.

Iuuenis eſt maior puero, & minor ſene;
Ergo eſt maior, & minor.

28 Secundo cum non ſumuntur eadem prædicata: v.g.

Hæc tabula eſt duplo maior altera ſecundum latitudinem, & non ſecundum longitudinem;
Ergo ſimul eſt, & non eſt duplo maior.

29 Tertio, cum non ſeruatur idem modus. v.g.

Currit lentè, & non currit velociter:
Ergo currit, & non currit.

Quarto, cum non ſeruatur idem tempus. v.g.

Dormio nocte, & non dormio mane;
Ergo dormio, & non dormio:

30 Quarta eſt fallacia conſequentis; & committitur, cum non ſeruantur regulæ bonæ conſequentiæ, ideſt, cum ex antecedenti infertur conſequens, & ex conſequenti antecedens; v.g.

Omnis homo eſt animal;
Ergo omne animal eſt homo.

va-

valet enim hoc ſolum in terminis conuertibilibus ratione materiæ: v. g. *eſt homo, ergo eſt riſibilis; eſt riſibilis, ergo eſt homo.*

31 Quinta eſt fallacia petitionis principij; & committitur, tam ab arguente, quàm à reſpondente. A primo quidem, cum ad probandum aliquid, aſſumitur pro medio id ipſum, de quo eſt quæſtio, vel ſynonimum: vt ſi ad probandum cœlum eſſe rotundum aſſumeretur, quod ſit ſphæricum. A ſecundo verò, cum interrogatus ab arguente, vt reddat rationem propoſitionis, quam ſuſtinet, affert ipſam controuerſiam, vt in exemplo allato. Aduerte autem, non committi hoc vitium, cum ad probandum definitum, aſſumitur definitio. Quod ſi ab Ariſtotele dicitur committi hoc vitium etiam in hoc caſu; intelligendum, quando æquè ab aduerſario negatur definitio, ac definitum.

32 Sexta eſt fallacia ſecundum non cauſam vt cauſam, & committitur, cum aſſeritur aliquid eſſe cauſa alterius, cum non ſit: & coincidit interdum cum fallacia accidentis; v g.

Qui ædificat, eſt cauſa ædificationis;
Muſicus ædificat:
Ergo eſt cauſa ædificationis.

Argumentum non concludit; nam minor eſt vera ſolum in ſenſu identico, & materiali, non formali: vnde Ariſt. ait Muſico competere ædificare per accidens: concluſio verò facit ſenſum formalem, ſeu cauſalem per ſe; ſcilicet, quod Muſicus ratione formæ muſicæ, ſit cauſa ædificandi.

33 Attentè autem diſtinguendum ſemper inter cauſas per ſe, & ea, quæ ſunt adiuncta cauſis,

ſis, ne, quod eſt proprium vnius tribuatur alteri. cauſa autem comprehendit omnia requiſita ad cauſam, ideſt debitam approximationem, diſpoſitionem ſubiecti, &c.

34 Septima eſt ſecundum plures interrogationes vt vnam; & committitur cum arguens petit, vnica reſponſione fieri ſatis ſuæ interrogationi multiplici: v.g. ſi quis petat; *Homo, & Leo ſunt ne animal rationale?* cui interrogationi, vt duplex eſt, ita dupliciter reſpondendum, affirmando de homine, negando de Leone; Atque hæ ſunt fallaciæ extra dictionem.

Pro fallacijs in dictione.

35 Prima eſt fallacia æquiuocationis; & cōmittitur, cū ex aliquo termino æquiuoco, qui in antecedenti vni æquiuocato tribuitur, in conſequenti adſcribitur alteri; v.g.

Omne quod volat, habet alas; Tempus volat;
Ergo tempus habet alas. Item
Quod ridet, habet os; Pratum ridet:
Ergo pratum habet os.

36 Fallacia vtriuſque eſt in verbis *videre*; & *volare*, quæ ſemel propriè, ſemel impropriè ſumuntur. Huc reuocat Toletus Syllogiſmos fallaces ex variatione alicuius ampliationis, vel proprietatis grammaticalis, quarum ſupra meminibus in meta ſolœciſmi, & in ſyllogiſmis fallacimus ex variatione ſuppoſitionis. Poſſet etiam huc reuocari hic ſyllogiſmus.

Quicunque dicit te eſſe animal, dicit verum:
Quicunque dicit te eſſe equum, dicit te
eſ-

eſſe animal;

Ergo quicunque dicit eſſe equũ dicit verum. non tenet, & defectus eſt primo, quia medius terminus. *Animal,* non eſt diſtributus. Secundo addunt alij; quia ſenſus minoris eſt, quod idem ſit verbaliter dicere, te eſſe equum, & te eſſe animal, quod eſt falſum, vt clarius patet in hoc alio Syllogiſmo.

37 *Quicunque dicit hominem eſſe animal rationale, explicat naturam hominis.*
Sed quicunque dicit hominem eſſe hominem, dicit hominem eſſe animal rationale;
Ergo quicunque dicit hominem eſſe hominem, explicat naturam hominis.

argumentum non concludit, & falſa eſt minor; quia non explicatur idem per has voces *hominem eſſe hominem*, & *hominem eſſe animal rationale*.

38 Secunda eſt fallacia Amphibologiæ, & committitur cum ex vna propoſitione vera in vno ſenſu, deducitur concluſio falſa in alio ſenſu: v. gr.

Omnes Epiſcopi ſunt Sacerdotes;
Hi libri ſunt Epiſcopi;
Ergo hi libri ſunt Sacerdotes.

39 Tertia eſt fallacia accentus; & committitur, cum ex variatione accentus, variatur ſignificatio vocis: & idem dicendum de quantitate ſyllabarum, diphtongis, literis, &c. v. gr.

Quicquid Deus facit inuitè, facit coactè:
Racemos Deus facit in vite;
Ergo racemos Deus facit coactè.

40 Fallacia eſt in ly, *inuitè*; nam in maiore eſt vna dictio, & aduerbium; in ſecunda eſt duplex

plex dictio, altera, præpoſitio, *In*, altera *Vi-te*. Item.

Quicquid hamatur, hamo capitur:
Vinum amatur:
Ergo vinum hamo capitur.

41 Fallacia eſt in ly, *hamatur*, & *amatur*, vt vides. Demum

Omnis populus eſt arbor;
Roma eſt populus;
Ergo Roma eſt arbor.

non tenet; quia *populus*, in maiore habet primam longam, & accipitur pro arbore; in minore habet primam breuem, & accipitur pro multitudine hominum.

42 Quarta & quinta eſt fallacia compoſitionis, & diuiſionis. Hic explicandus eſt ſenſus diuiſus, & compoſitus. Et primus dici etiam poteſt ſpecificatiuus, ſecundus reduplicatiuus. Senſus compoſitus eſt, cum aliquid tribuitur alicui, quatenus eſt cum alio coniunctum. Diuiſus verò eſt, cum aliquid tribuitur alicui ſecundum ſe, ſeorſim ab alio, cum quo eſt coniunctum; v. gr. hæc propoſitio; *album eſt nigrum*, poteſt eſſe vera propoſitio in ſenſu diuiſo, ſumendo ſolum pro ſubiecto vtrunque extremum; non autem in ſenſu compoſito, ſumendo pro toto concreto vtrunque. Multipliciter autem contingit fallacia ratione variationis horum ſenſuum; & generatim committitur, cum id, quod alicui conuenit ſeorſim ab alio, tribuitur eidem, vt coniuncto cum illo, vel è contra. Et primo committitur in propoſitione modali: v. g.

Poſsibile eſt ſedentem ambulare;
Ergo poteſt quis, dum ſedet, ambulare.

con-

conſequentia non tenet; quia ly, *poſſibile*, in antecedenti facit ſenſum diuiſum, in conſequenti compoſitum, vt accideret in hoc Syllogiſmo.

Quemcunque poſſibile eſt currere poſſibile eſt, vt currat;
Sedentem poſſibile eſt currere
Ergo poſſibile eſt, vt ſedens currat.

Committitur fallacia iam dicta; quia in concluſione eſt ſenſus compoſitus, vt non eſt in minore. Secundo committitur hæc fallacia, cum alicui tribuitur vna pars determinata propoſitionis diſiunctiuæ, ex eo quod tota diſiunctiua de illo dici poſſit: v. g.

Homo eſt rationalis, vel irrationalis:
Ergo eſt irrationalis.

Tenendus autem valdè eſt vſus horum ſenſuum, quia ſunt obnoxij magnis æquiuocationibus.

43 Sexta dicitur fallacia dictionis, & committitur cum propter ſimilitudinem duarum dictionum, quæ vni conueniunt, alteri tribuimus: v.g. ſi quis poetam concederet eſſe doctam eò quod inflectitur ſicut muſa. Item committitur cum rem vnius prędicamenti alteri tribuimus; v.g in exemplo ſupra allato.

Quicquid emi, comedi;
Carnes crudas emi;
Ergo carnes crudas comedi:

nam ly, *quicquid*, pertinet ad prędicamentum ſubſtantię, ly, *crudas*, ad prædicamentum qualitatis, ſub quo termino, *quicquid*, inferuntur tãquã in eo cõtinerẽtur, eſſe carnes, & eſſe crudas.

44 Item non valet

Nullus equus differt ad hinnibili,

Omnis homo differt ab hinnibili,
Ergo nullus homo differt ab equo.

Hic Syllogiſmus videtur in *Ceſare*, ſed non eſt, nam ly *differt* ſonat, *non eſt*, & ſic cum ſint duæ negationes æquiualent affirmationi, ſcilicet, *omnis equus eſt hinnibilis*. minor vero ſonat, *nullus homo eſt hinnibilis*, ex quibus ſequitur propoſitio negatiua, ergo *nullus homo eſt equus*, ſeu ergo *omnis homo differt ab equo.*

45 Item nec iſte concludit
Nulla muſca eſt maior cane,
Omnis elephas eſt maior muſca,
Ergo nullus elephas eſt maior cane.

non concludit, quia ſunt quatuor termini, *muſca* enim in maiori eſt in nominatiuo, in minori vero eſt in caſu obliquo, in quo non conſtituit eundem terminum, ſed vel alium, vel aliquid pertinens ad alium; nunquam enim connectitur elephas cum muſca, vt ex tali connexione probaretur, quod elephas ſit maior cane; deberet autem in minore dicere. *omnis elephas eſt muſca*, & tunc concluderet in forma, & figura ſcilicet in *celarent* primæ figuræ.

46 Ariſtoteles 2. Elench. cap. 4. vt refert Fonſeca cit. cap. 18. tradit modos occurrendi captionibus Sophiſtarum, & Primus eſt, diſſoluere propoſitiones æquiuocas, ambiguas, peccantes ratione compoſitionis, diuiſionis, accentus, &c. Secundus pro fallacia dictionis ex accidente, ex conſequente, ex ſimpliciter ad ſecundum quid, ex non cauſa vt cauſa, admiſſo antecedenti, conſequens eſſe eludendum, habendo paratam aliam argumentationem apertè vitioſam. Tertiò pro ignoratione Elenchi, diſſol-

ſoluendam eſſe propoſitionem,quæ videtur importare contradictoria: & idem dicendum de fallacia ex pluribus interrogationibus. Pro euitandis metis, vel tollenda ſunt verba ſuperflua, vel diſtribuenda genera nominum; alijs deniq; Sophiſtarum machinamentis non erit difficile ex prædictis regulis occurrere.

CAPVT XXVII.

De vſu quarundam vocum, & diſtinctionum.

1 QVanquam difficile eſt in vnum colligere terminos, & diſtinctiones omnes, quibus vtimur in diſputationibus, tum quia pleraque ſunt affixa proprijs materijs; tum quia non eodem modo ab omnibus vſurpantur: nihilo tamen minus afferemus huc celebriores diſtinctiones, & terminos.

2 Primo. Diſtinctio, eſt rerum multiplicitas, quarum vna excludit aliam. Triplex communiter fit diſtinctio. Prima dicitur realis, quæ eſt inter ea, quæ realiter ſeparari poſſunt, & vnum eſſe ſine alio, quomodo diſtinguuntur duo homines; & anima, & corpus. Secunda dicitur diſtinctio modalis, quæ eſt inter rem, & modum. Nomine autem modi intelligimus minimam quandam entitatem vltimo determinantem ſubiectum, quæ non poteſt eſſe ſine tali ſubiecto; vt poteſt ſubiectum eſſe ſine illa; hoc genere diſtinguuntur ſedens,& ſeſſio. Tertia dicitur diſtinctio rationis; & hęc duplex

eſt

eſt. Altera dicitur rationis ratiocinatæ; altera rationis ratiocinantis. Prima eſt, qua intellectus rem ſimpliciſſimam diſtinguit in plures cũ fundamento, quod habet in ipſa re propter æquiualentiam, quam habet cum multis. Sic in Deo diſtinguimus Bonitatem, Sapientiam, & alias perfectiones; quam diſtinctionem Scotiſtæ appellant formalem. Secunda eſt, cum intellectus rem ſimpliciſſimam diſtinguit in plura ſine vllo fundamento, fingendo diſtinctionem: verbi gr. fingendo idem eſſe diſtinctum à ſeipſo.

3 Pro re autem præſenti. deſcribi poteſt. *diſtinctio eſt multiplicis ſenſus explicatio, & ſeparatio vnius partis veræ ab alijs, vel non veris, ſeu impertinentibus.* verbi gratia hæc propoſitio *muſicus ædificat* diſtinguetur hac ratione, *muſicus materialiter*, ſeu is, qui eſt muſicus, ſeu ſubiectum, in quo eſt *muſica* concedo, *muſicus formaliter*, ſeu ſecundum formam, ſeu artem muſicam nego. poteſt autem tam ſubiectum, quam prædicatum diſtingui. In omni vero diſtinctione aſſignanda ſunt ad minus duo membra, vt in exemplo allato. Demum propoſitio, quæ poteſt diſtingui, poteſt etiam negari, quia intelligitur ſecundum eandem partem, ſecundum quam eſt falſa. & quantum fieri poteſt non ſint frequentes diſtinctiones præſertim initio diſputationis, ne interrumpatur filum concertationis.

4 Secundo, *Materialiter*, & *Formaliter*. Et primum ſignificat, cum prædicatum aliquod dicitur conuenire alicui ratione ſubiecti, ſeu ſecundum id, quod ſe habet per modũ ſu-

A a bie-

biecti per comparationem ad materiam; quæ eſt aliquod indeterminatum, & perfectibile: qua ratione dicitur; *album eſt dulce*, ideſt ſubiectum albedinis, eſt ſubiectum dulcedinis. *Formaliter*, ſignificat, quando pręedicatum aliquod conuenit alicui ratione formæ, ſeu alicuius, quod ſe habet per modum formæ per comparationem ad formam, ſeu figuram, quæ perficit materiam; v. g. cum dicitur; *album diſgregat viſum*; ſumitur, *album*, *formaliter*, ideſt ſubiectum ratione albedinis. Hac diſtinctione vtimur etiam in rebus, quæ non conſtant ex ſubiecto, & forma diſtinctis, ſed ex perfectionibus noſtro modo intelligendi diſtinctis, quæ poſſunt comparari ad inuicem, vt perfectibile ad perfectiuum, ſeu, vt aliquod commune, & aliquod proprium: ſicut homo per animalitatem, dicitur conſtitui *materialiter*, per rationalitatem *formaliter*. Ad eandem diſtinctionem reducitur *reduplicatiuè*, & *ſpecificatiuè*; & primum correſpondet *formaliter*: ſecundum *materialiter*, quod etiam dici ſolet *identicè*: v.g. album eſt identicè dulce, non formaliter, & reduplicatiuè. In idem recidit ſenſus diuiſus, & ſenſus compoſitus. Et primus correſpondet ly ſpecificatiue, ſecundus reduplicatiue.

5 Tertio. *Formaliter*, & *efficienter*; v.g. calor facit *formaliter* calidum, & ſonat idem, ac per ſuam entitatem afficiendo; & informando ſubiectum. *Efficienter*, ſicut ignis facit manum calidam, non per poſitionem ſuæ entitatis in manu, ſed per productionem caloris à ſe diſtincti in ipſa manu.

Quar-

6 Quarto. *Virtualiter, eminenter, formaliter. Virtualiter* quidem, vt Sol dicitur calidus, non quod in ſe habeat formam caloris, ſed quod habeat virtutem producendi calorem, quomodo etiam dicitur *eminenter* calidus, & *eminenter* quidem ſignificat continentiam effectus cum exceſſu perfectionis; quomodo etiam dicitur cauſa æquiuoca producens effectum diuerſæ rationis à ſe, vt vniuoca, quæ producit effectum ſimilem: & æquiuoca quidem, ſi eſt perfectior effectu, dicitur eminentialis, vt Sol reſpectu caloris, & Deus reſpectu omnium creaturarum; ſi verò ſit imperfectior, dicitur abſolutè æquiuoca; ſicut eſt intellectus; verbi gr. reſpectu viſionis beatæ, quæ dicitur etiã cauſa inſtrumentalis, ideſt agens per virtutem acceptam ab alio, ad diſtinctionem principalis, quæ agit per propriam virtutem. Formaliter verò conuenit cauſæ vniuocæ, quæ continet eandem formam eiuſdem perfectionis, quę eſt in effectu à ſe producto.

7 Quinto, *In actu ſignato, & in actu exercito.* Primum eſt, cum denotatur ſignificatio termini. Secundum, cum accipitur pro exercitio ſignificationis eiuſdem; v.g. cum definio diuiſionem, tunc accipitur diuiſio in actu ſignato: cum autem diuido aliquod totum, tunc dicitur, & accipitur diuiſio in actu exercito.

8 Sexto, *Actu, & potentia.* Et actu quidem dicitur eſſe, quod ſimpliciter eſt; Potentia verò, cum non eſt, ſed poteſt eſſe. Quamquam id, quod eſt, dici quoque poſſit habere potentiam eſſendi; quia tunc maximè aliquid poteſt eſſe, cum eſt. Communiter autem potentia

ſolet accipi cum carentia actus; dici etiam ſolet in actu *1.* & in actu *2.*, ita vt 1. ſit idem ac in *potentia 2.* idem ac actu.

9 Septimo; *Notum*, ſeu *notius ſecundum naturam*, & *ſecundum nos*. Et primum dicitur. quod eſt ens perfectius ſecundum ſe. Secundum eſt quod eſt magis ſenſibile, & perceptibile à nobis.

10 Octauo, *Abſolutè*, ac *ſimpliciter*; & *reſpectiuè*, ſeu *comparatiuè*: v. g. aliquis homo dici poteſt magnus abſolutè, & ſimpliciter, & reſpectiuè, ſeu comparatiuè reſpectu minoris. Solet etiam *abſolute opponi ex ſuppoſitione*; v.g. volo tibi dare abſolute librum, volo dare ex ſuppoſitione quod ſtudeas.

11 Nono, *Per ſe*, & *per accidens*. Et primum ſignificat, cum aliquid alicui conuenit ex principijs ſuæ naturæ; v. g. riſibile conuenit per ſe homini. Secundum verò, cum aliquid alicui conuenit fortuitò, & accidentariè, vt homo per accidens eſt claudus.

12 Item *per ſe & per aliud* primū dicitur cum aliquid alicui conuenit ex principijs intrinſecis v.g. quantitas per ſe eſt extenſa impenetrabiliter, ſubſtantia eſt extenſa tali modo per aliud, ſcilicet per ipſam quantitatem, &c.

13 Decimo, *Vt quò*, & *vt quod*. Secundum eſt, cum aliquid alicui conuenit per ſe, & non in ordine ad aliud. Primum verò eſt, cum aliquid eſt medium reſpectu alterius, ſeu ratio faciens tale, vt tale: verbi gratia, materia dicitur vniri vt, *quod*, vnio verò vt *quo*. Item intellectus intelligere, vt quod: intellectio verò vt quo; effectus produci vt quòd, actio vt quo;

quo; & ſic de cæteris. Aliquando vero ly, *quod*, ſonat materialiter. ly. *quo*, formaliter; v. gr. paries videtur vt, *quod*; albedo vt *quo*, ideſt, albedo, eſt forma, ſeu ratio formalis cur paries denominetur videri. Alias plures, vſurpationes horum terminorum vſus docebit.

14 Vndecimo, *Poſitiuè*, & *Negatiuè*. Et primum dicitur cum aliquid eſt tale per formam poſitiuam, vt aliquis habens formam virtutis, dicitur bonus poſitiuè. Secundum, cum ſaltem non habet formam oppoſitam, vt cum quis non imbutus virtute, ſed nec vitio, dicitur bonus negatiuè.

15 Duodecimo, *in recto*, & *in obliquo*, Et per hos terminos denotatur, cum nomen concretum ſignificans duo, accipitur pro vno in nominatiuo, & pro altero in alio caſu obliquo.

16 Decimotertio *Implicitè*, *& explicitè*. *ſeu confuſè*, *& diſtinctè*. Primum eſt, cum aliquod ita concipimus, vt neſciamus reddere rationem de perfectionibus illius, ſeu contentis in illo: verbi gratia cum concipio hominem abſque eò, quod ſciam naturam illius, ſeu cum concipio animal abſque eò, quod cognoſcam ſpecies ſub illo contentas. Secundum eſt, cum aliquid ita concipitur. vt ſciamus reddere rationem perfectionum illius, & eorum, quæ ſub illo continentur, vt in exemplis allatis de homine, ſi ſcirem reddere rationem de perfectionibus eiuſdem;& concipiendo animal cognoſcerem ſingulas ſpecies ſub illo contentas.

17 *Adæquate*, *Inadæquate*. Primũ idem eſt ac

totaliter, ſeu ſecundum omnia, quę aliquid habet, *Inadæquate* vero eſt idem, ac ſecundum partem, ſeu *partialiter*.

18 *Partialitas partialitate cauſa*, & *Partialitas partialitate effectus*. Secunda eſt quando duę cauſę concurrentes ſimul, quælibet producit ſuum effectum diſtinctum ab alio. v. g. ignis, & artifex circa ferrum, primus producit calorem ſecundus figuram in ferro. prima eſt, cum duę cauſę concurrentes ad aliquem effectum indiuiſibili concurſu ad eundem effectum, ita vt totus ſit ab vna cauſa, & totus ab alia, ſed à neutra ſolum totaliter, ſic, duo luminoſa producunt idem lumen; & quotieſcunque plures cauſæ requiruntur ad aliquem effectum, dicuntur concurrere partialiter, partialitate cauſæ, non partialitate effectus; licet quælibet ſit cauſa adæquata in ſuo genere, v. g. cauſa efficiens, & materialis, ſunt cauſæ requiſitæ ad effectus naturales materiales, quarum quælibet eſt adæquata in ſuo genere, partialiter tamen concurrunt ad eundem effectum.

19 *Adhæſiue*, *Inhæſiue*; *Informatiue*, *Denominatiue*. hæc dicuntur de ſubiecto; quia ſubiectum, aliud *adhæſionis*, aliud *inhæſionis*, aliud *Informationis*, aliud *denominationis*. primum ſubiectum *adhæſionis* eſt, ad quod aliquid terminatur quidem & in eo intrinſece recipitur non tamen ab eo ſuſtentatur, ſeu cauſatur materialiter, quomodo in ſententia aliquorum actio creatiua eſt in termino non tamen ſuſtentatur à termino.

20 Subiectum *inhæſionis* eſt in quo aliquid ita recipitur intrinſece, vt ſuſtentetur, & cauſetur ma-

materialiter ab eodem. v. g. paries eſt ſubiectũ inhæſionis reſpectu albedinis quam ſuſtentat.

21 Subiectum *informationis* eſt commune cum ſubiecto adhęſionis, & inhęſionis. & eſt, cum ab aliqua forma informatur, & perficitur, vt eſt materia reſpectu formæ, ſiue ſubſtantialis, ſiue accidentalis.

22 Subiectum *denominationis* eſt, in quo aliquid non recipitur, ſed, vel eſt id, in quo recipitur ſubiectum talis formæ, à qua denominatur, vt lignum dicitur figuratum, licet figura non recipiatur immediate in ſubſtantia ligni, ſed in quantitate, vt in ſubiecto: quantitas vero recipitur immediate in ſubſtantia; vel eſt id, cuius aliqua pars tantũ habet talem formã, vt homo dicitur rufus, ratione barbæ, & capillorũ, licet dẽtes habeat candidos. vel demum, quia eſt id, quod aliquo modo afficitur ab alio, ſic obiectũ denominatur cognitum à cognitione, quæ non afficit intrinſece illud, & homo diues à diuitijs, quas non habet intrinſecas.

23 *Collectiue, Diſtributiue*. præter acceptiones ſupra traditas de ſuppoſitione. inſeruiunt hi termini ad explicandum diuerſum modum, quo ſe habeant partes aliquæ conſtituentes totum; nam cum totum non ſit aliud, quam partes ſimul; ijſdem conuenit modo accipi *collectiuè*, modo *diſtributiuè*. Et primo modo accipiuntur partes ſimul, ſecundo, accipiuntur ſingillatim, ſic materia, & forma dicuntur cauſare totum *diſtributiuè*, *non collectiuè* acceptæ.

24 *Dialecticè. Demonſtratiuè*, ideſt *probabiliter*, & *ſcientificè*. probare ergo *dialecticè*, ſeu rationibus dialecticis eſt, probare argu-

mentis probabilibus ; probare *demonſtratiuè* eſt , probare argumentis , & rationibus euidentibus &c.

25 *Directè , Indirectè , Reflexè ;* Primum eſt , quaſi recta linea circa aliquid tendere . Secundum eſt quaſi per lineam curuam , ſeu ; ex eo , quod feratur in aliquid per lineam rectam ; feratur etiam in aliud connexum cum illo . & applicatur multis ; verbi gr. Intellectus directè cognoſcit ens ; indirectè negationes ; voluntas directè vult delectationem actus mali . indirectè malitiam : directè ludum indirectè negationem auditionis ſacri . *Reflexè* conuenit propriè potentiæ rationali cognoſcitiuę, & volitiuæ , quæ quatenus cognoſcit,vel amat ſuos actus , dicitur reflecti , ſeu reflexè ferri circa illos .

26 *Eſſentialiter . Accidentaliter . Integraliter .* Primum eſt , conuenire aliquid alicui; ita vt , ſine eo non eſſet eius eſſentia . ſeu non eſſet ipſum ; vt , poſſe diſcurrere . verbi gr. conuenit *eſſentialiter* homini , quia ſine eo , non eſſet homo : & anima eſt de eſſentia , ſeu eſſentialiter eidem conuenit propter eandem rationem .

27 Secundum eſt, quod conuenit alteri, ſine quo non tolleretur ſaltem immediatè eius eſſentia . dixi ſaltem immediatè : quia , vt duplex eſt accidens , alterum proprium , alterum commune ; dupliciter conuenit aliquid alicui *accidentaliter. propriè* , & , quod conuenit hoc modo alicui , eſt tale , vt ſine eo , illud non eſſet , non quod ipſum ſit eius eſſentia , ſed quia , eo ablato , aufertur eſſentia . & ſic dicitur *ri-*

ſibi-

ſibile eſſe accidens proprium hominis, quia eo ablato, aufertur. *rationale*, quod eſt hominis eſſentia. alio modo conuenit aliquid alicui *accidentaliter*, vt accidens commune, quo ablato, nullo modo aufertur eſſentia rei, vt eſt *albedo*, verbi gratia reſpectu parietis; communiter autem applicatur hæc diſtinctio alicui, de quo, ſi diſputetur, quomodo illi conueniat; diſtinguitur vel *accidentaliter*, vel *eſſentialiter*.

28 *Integraliter*, eſt ſe habere aliquid per modum partis; non quidem eſſentialis, vt ſine ea res, cuius eſt pars non eſſet, neque accidentalis, quia accidens non eſt pars, ſed ſubſtantialis quidem, & pertinens ad integritatem rei ſubſtantialis, & ipſius entitatis: non tamen talis, vt ſine ea, res non eſſet; ſic dicimus *digitum*, verbi gr. eſſe partem hominis *integralem*, non *eſſentialem*, & ſine digito remanere hominem *eſſentialiter* eundem, non tamen *integraliter*.

29 Accipitur etiam, *eſſentialiter*, vt contradiſtinguitur a per *participationem*. & eſſe *eſſentialiter*, eſt eſſe tale independenter ab alio; eſſe vero *per participationem*, eſt eſſe tale dependenter ab alio; ſic Deus eſt *eſſentialiter* ſuum eſſe, creatura vero habet ſuum eſſe *per participationem*. & dependenter à Deo.

30 *Extenſiue*, *Intenſiue*; & primum quidem eſt in ordine ad quantitatem ſiue diſcretam, id eſt numerum, ſiue continuam; & hanc vel permanentem, in ordine ad partes, quæ ſunt ſimul, vt lignum; vel ſucceſſiuam, in ordine ad partes fluentes, vt motus, tempus. Sed deinde applicatur multis alijs. *Intenſiue* vero eſt

proprium qualitatis quæ ſuſcipit magis, & minus. & ita dicimus ſi quis oret per horam, ſed non cum multo conatu, & alius per quadrantem, ſed cum magno feruore; primus plus orat *Extenſiuè*, ſecundus plus *Intenſiue*. item aliquis ſcit multa, ſed leuiter, alius ſcit pauciora, ſed profundius. dicimus, primus ſcit plus *extenſiuè*, ſecundus plus *intenſiuè*, & ſic de alijs.

31 *Habitualiter*, *Actualiter*. Primum eſt, cum denotatur aliquis, vel excellere in aliqua re; vel quod, operetur ſine difficultate. verbi gr. Petrus callet logicam *habitualiter*; ſenſus eſt, vel quod excellat in logica, vel de ea diſcurrat ſine difficultate. ſecundum cum quis actu diſcit aliquam artem. item *habitualiter* ſonat idem aliquando ac in actu primo, ſeu in potentia, *actualiter* vero ſonat idem, ac actum ſecundum, ſeu exercitium. alias etiam acceptiones docebit vſus. *Hic*. *& nunc*, vt opponitur *Abſolutè*, *& ſimpliciter*. applicatur diſtinctio ad denotandum, quod id, quod abſolutè, & ſimpliciter eſſet malum, vel bonum. poteſt non eſſe tale *hic*, *& nunc*, & in talibus circunſtantijs, vel è contra, verbi gr. bonum eſt *abſolutè*, & *ſimpliciter* dare enſem domino, malum vero eſt dare eidem enſem *hic*, *& nunc* furenti, &c. item malum eſt accipere alienum *abſolute*, *ſimpliciter*; bonum vero eſt, illud accipere *hic*, *& nunc* in extrema neceſſitate; *Vnitas* opponitur *Diuiſioni*. *Identitas*. *Diſtinctioni*. *Simplicitas*. *Compoſitioni*. nam illa res eſt vna, quæ non eſt diuiſa in alias. illa res eſt eadem, quæ non eſt diſtincta in aliàs, nam ſæpe, quæ

non

non ſunt diuiſa ſunt diſtincta, ſic anima vnita corpori non eſt diuiſa à corpore, eſt tamen ab eo diſtincta, ſumendo corpus pro materia pri- ma. *ſimplex* res eſt, quæ non eſt compoſita ex alijs. multiplex autem eſt *compoſitio*, & ita multiplex *ſimplicitas*, immo multiplex datur *vnitas*, & homo dicitur eſſe vnum quid per compoſitionem, non per ſimplicitatem.

32 *Identitas* etiam multiplex eſt, & dicitur *Identitas phyſica*, ſeu *realis*, quando vnum eſt idem realiter cum alio, ſic in homine, eſt idem identitate phyſica, ſeu reali animal, & ratio- nale. *Identitas logica* eſt; quando duo non ſo- lum ſunt idem *realiter*, ſed etiam per intelle- ctum; quatenus nec per intellectum poteſt ha- beri diſtinctus conceptus vnius ſine alio, ſic *ſubſtantia*, eſt idem identitate logica cum ente; quatenus non poteſt haberi diſtinctus concep- tus ſubſtantiæ ſine conceptu entis, vnde ali- quod dicitur *identice*, & *realiter* eſſe aliud · vt animal eſſe rationale in homine. & *eſſentia* in diuinis eſſe *paternitas*, aliquod vero dicitur *lo- gice* etiam, ſeu *formaliter* eſſe aliud, quando v- num, vt diximus, non poteſt concipi diſtincte ſine alio, ſiue quod non ſit aliud. dico *quod non ſit aliud*, quia non ſufficit ad identitatem, quod vnum non poſſit concipi ſine alio, nam nec cauſa poteſt còncipi ſine effectu, nec tamen cauſa eſt effectus.

33 *Euidentia moralis euidentia phyſica euidē- tia metaphyſica.* Prima poteſt ſtare cū falſitate; nam nititur probabilibus cōiecturis, vel aucto- ritate dicentiū, &c. Secunda etiā poteſt ſtare cū falſitate; nam nititur iudicio ſenſuum, ſenſus

autem decipi poſſunt, verbi gr. ſi videam ouum, & alius, me omnino non aduertente, ponat aliud ſimile loco illius, ego iudico eſſe idem per euidentiam phyſicam, & tamen non eſt idē. & multo magis ſi à Deo eſſet poſitum aliud loco illius primi; iudicarem eſſe idem, cum non eſſet; ad hanc euidentiam reducitur quando remanentibus iiſdem accidentibus, mutatur ſubſtantia, vt in euchariſtia poſt conſecrationē euidentia phyſica cenſetur eſſe panis, cum non ſit ſubſtantia panis, ſed ſolum accidentia illius. *euidentia metaphyſica*, eſt quando per demonſtrationem perfectam ſcitur aliquid, vel ex ſola penetratione terminorum, verbi gratia quodlibet eſt, vel non eſt, & cum tali euidentia non poteſt ſtare falſitas, multo minus poteſt ſtare falſitas cum aſſenſu fidei diuinæ, & cū euidentia viſionis beatæ, de quibus Theologi.

34 *Mediatè, immediatè*. Primum eſt, cum inter vnum, & aliud nihil mediat. Secundum eſt, cum inter illa mediat aliquid. & diſtinctio frequens eſt, ac multis applicari ſolet. Primo applicatur cauſis; ignis, verbi gratia calefacit mediatè, non immediatè, mediante ſcilicet calore, quem habet in ſe, & materia prima ſubſtentat mediatè alia accidentia, mediante quantitate, in ſententia eorum, qui dicunt accidentia non recipi immediatè in materia.

35 Diſtinguunt etiam alij in cauſis, quod aliud ſit concurrere aliquam cauſam *immediatè immediatione ſuppoſiti*. aliud *immediatione actionis*, addunt alij *immediatione virtutis*. & primum eſt; cum ipſum agens eſt immediatū, & propinquum ſubiecto, in quo debet aliquid pro-

producere, ſic ignis verbi gratia eſt immediatus ligno, *immediatione ſuppoſiti*. Secundum eſt, cum agens diſtat à ſubiecto, in quo debet producere effectum, ſed in medio continuatur actio producta à primo agente, verbi gratia Sol in viſceribus terræ agit *immediatè immediatione actionis*, ſeu *cauſalitatis*, quatenus Sol diſtat quidem à terra; ſed ita producit aliquid in terra, vt producat aliquid aliud in medio. Tertiũ demum *immediatione virtutis*, ponitur propter eos, qui volunt, ſubſtantiam nõn eſſe productiuam alterius ſubſtantiæ, ſed ſubſtantiam produci immediatè ab accidente, quod eſt virtus ſubſtantiæ, in quo ſenſu, dicitur ſubſtantia agere immediatè *immediatione virtutis*; quando verbi gratia ignis producit alium ignem per calorem, ita vt calor ſit qui producat ſubſtantiam ignis immediatè vt virtus ſubſtantiæ, ignis vero mediante calore, ſed quia calor eſt eius virtus, & inſtrumentum; ignis dicitur producere *immediatè immediatione virtutis*.

36 *Naturaliter*, *Supernaturaliter*, *Præternaturaliter*, *Violenter*, *Artificialiter*, *Libere*. Primum multipliciter accipitur; aliquando, vt opponitur *liberè*, & ſonat idem ac *neceſſariò*, vt terra naturaliter fertur in centrum. *liberum* eſt, quod fit à principio libero operante ex cognitione, & propoſitione duplicis motiui; dico duplicis motiui, quia ſi proponeretur vnum tantum motiuum, neceſſariò operaretur voluntas; & operari hoc modo, eſt *liberè* operari. aliquando *naturaliter* accipitur, vt opponitur *ſupernaturaliter*, & *naturaliter*

ope-

dicitur prior *prioritate*, ſeu *ordine intentionis* poſterior ordine executionis;media vero priora, *prioritate*, ſeu *ordine executionis*, poſteriora *ordine intentionis*.

38 *Prædicabiliter prædicamentaliter*. diſtinctio ſub his terminis non eſt ita in vſu, ſub alijs eſt magis vſitata, & neceſſaria; nam ſubſtantia poteſt eſſe accidens prædicabile, non tamen eſt accidens intra ſeriem prædicamenrorum. verbi gr. diuitiæ ſunt in prædicamento ſubſtanriæ, ſed prædicantur *accidentaliter* de homine diuite; quatenus diuitijs conuenit definitio accidentis quinti prædicabilis, *quod adeſt, & abeſt præter ſubiecti corruptionem*, & ità, dicenti; diuitiæ ſunt ſubſtantia. ergo non poſſunt eſſe quid accidentale. diſtinguendum eſt antecedens; ſunt ſubſtantia *prædicamentaliter* concedo, *prædicabiliter* nego. prædicantur cnim accidentaliter modo dicto,&c.

39 *Primario*, *Secundario* applicatur diſtinctio fini, & medijs, & finis dicitur *primario* intendi media vero *ſecundario*, & id, quod intenditur *primario*, intenditur per ſeipſum, quòd vero intenditûr *ſecundario*, intenditur propter aliud, vt ſunt media; immo aliquid dicitur intendi *ſecundario*, non quia conducit ad finem, ſed quia eſt neceſſario connexum cum eo, quod intenditur *primario*, nec poteſt haberi illud, ſine hoc, verbi gratia, qui vult enſem *primario* vult duritiem ferri, ſed quia cum ferro eſt connexa rubigo, vult etiam *ſecundario* rubiginem, applicatur aliquando obiectis ſcientiarum. & obiectum *primarium* eſt id, ad quod omnia referuntur. *ſecundarium* eſt,

eſt, quod reducitur ad illud. applicatur etiam obiectis potentiarum; ſic ens reale dicitur obiectum *primarium* intellectus. ens vero rationis, & alia dicuntur obiecta *ſecundaria*, &c.

40 *Principaliter Inſtrumentaliter*. applicatur diſtinctio cauſis, & *principaliter* cauſare dicitur, quod cauſat per virtutem propriam, *inſtrumentaliter* vero per virtutem acceptam ab alio, ſic faber *principaliter* ſecat, ſerra vero *inſtrumentaliter*.

41 *Prius, prioritate temporis, prioritate naturæ, prioritate originis, prioritate ordinis, nobilitatis, &c. prioritas temporis* eſt, cum vnum eſt hodie, alterum fuit heri. *prioritas naturæ* dupliciter accipitur, latè & ſtrictè; primo modo, eſt eſſe prius *ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam*, & eſt inter ea, quæ non neceſſario diſtinguntur realiter, vt in homine, prius eſt *animal*, quam *rationale*, eo quod valeat; eſt rationalis, ergo eſt animal, non è contra. & ideo *animal* eſt prius, quia non ſubſiſtit conſequentia ex animali ad rationale, ſeu ex animali non infertur rationale. *Prioritas naturæ* ſtrictè ſumpta eſt prioritas cauſæ, ſeu dependentiæ vnius ab alio, & eſt inter cauſam & effectum.

42 *Prioritas originis*, eſt, qua ipſamet productio intelligitur aliquo modo prior termino per illam producto, etiamſi nec poſſit exiſtere, nec intelligi exiſtere productio ſine termino producto; eo quod aliquando nec realiter diſtinguatur productio à termino producto, vt in probabili ſententia, quam docui, productio actuum vitalium non diſtinguitur ab ip-

ipſis actibus vitalibus, & in diuinis, productio paſſiua non diſtinguitur a perſona producta. vbi obiter nota, in diuinis admitti *prioritatem originis* inter perſonam producentem, & productam, non autem prioritatem naturæ, intelligendo pro prioritate dependentiæ, cum perſona producta non pendeat à producente. *Prioritas ordinis* eſt qua vnum prius alio numeratur. Prioritas nobilitatis, eſt, qua ſecundum aliquem titulum vnum excedit aliud, vt Princeps in ciuitate, &c.

43 *Radicaliter, Proximè*, ſeu *Formaliter*. Primum denotat, cum alicuius proprietatis radicem aſſignamus; ſic dicitur *rationale* eſſe riſibile *radicaliter*, eique *radicaliter* competere riſum, riſibilitati vero *formaliter*, & *proximè* conuenire riſum: *proximè* autem tribuitur principio immediato alicuius operationis. Aliquando *radicaliter* eſt idem ac *fundamentaliter* ideſt quod aliquid ſit fundamentum, vnde aliud oriatur; ſic eſſe vnum *fundamentaliter* eſt ipſum ens; *formaliter* vero habetur a negatione diuiſionis; item actio poſitiua occidendi eſt mala *fundamentaliter* iuxta ſententiam aliquorum, à negatione verò rectitudinis, fit mala *formaliter*.

44 *Neceſſitas antecedens, conſequens*, ſeu *ex ſuppoſitione, Neceſſitas conſequentiæ, Neceſſitas conſequentis*. prima eſt quæ eſt cauſa rei, & habet neceſſariam connexionem cum effectu: vt ſol cum illuminatione.

Neceſſitas conſequens eſt, quæ conſequitur operationem liberam, ſeu non facit, ſed fit ab operatione libera, & appellatur etiam neceſſitas

ex

ex ſuppoſitione, ſeu, *ſecundum quid* vt opponitur *Neceſſario ſimpliciter* quod eſt idem cum neceſſitate antecedenti,eſt ergo *neceſſitas conſequens*, quod eſt neceſſarium non abſolute, & ſimpliciter, ſed cum addito, & ex ſuppoſitione: v.g.ex ſuppoſitione quod volo currere, pedes neceſſariò mouentur, vbi *pedes moueri* eſt neceſſarium neceſſitate cõſequenti, ſeu ex ſuppoſitione, ſolet etiam hac *neceſſitas* dici *concomitans*,quatenus non importat prioritatem,quæ importatur in cauſa neceſſaria, per quod diſtinguitur a cauſa libera: vtraque enim habet hanc neceſſitatem concomitanter, ſeu ex ſuppoſitione, ſcilicet ex ſuppoſitione quod loquor non poſsum non loqui, ſeu necesſario loquor: cauſa vero libera ante operationem eſt omnino indifferens ad hanc vel illam operationem, & ſic non habet neceſſitatem antecedentem. vt habet cauſa necesſaria; dicitur autem *neceſſitas concomitans* etiam *neceſſitas ex ſuppoſitione*, ſed minus propriè; quia hæc 2. eſt quando aliud neceſſario ſequitur ex alio quod libere volumus. vt ſi volo currere, necesſario moueo pedes, motus enim pedum necelsario ſequitur, ex ſuppoſitione voluntatis currendi. *Neceſſitas conſequentis* eſt propoſitio aliqua in materia necesſaria nam v.g. ſol oritur, ergo illuminat. *neceſſitas conſequentiæ* eſt: quando non ipſa propoſitio & conſequens, ſed bonitas illationis, ſeu connexiò antecedentis cum conſequenti eſt n ceſsaria; v.g. volo ambulare,ergo moueo pedes, conſequens non eſt necesſarium, quia non eſt in materia necesſaria, hæc enim propoſitio *moueo pedes*, non eſt in materia neceſ-

ſaria, vt eſt iſta *ſol illuminat;*

45 *Tranſitiue. Intranſitiuè.* primum eſt, cum aliquid conuenit alicui, non per ſe ipſum, ſed per aliud, ſic materia dicitur vniri formæ tranſitiue, mediante ſcilicet vnione diſtincta, in ſententia eorum, qui illam ponunt. *Intranſitiuè* vero, quod conuenit alicui per ſeipſum, vt vnio vnitur intranſitiuè per ſeipſam.

Notionem multarum diſtinctionum, & terminorum ſparſim tradidimus in toto opere.

Hæc ſunt, Lector beneuole, quæ ex vberrimis multorum Auctorum fontibus labore non exiguo, fructu quem ſpero non pœnitendo placuit in rem noſtram deriuare: Quæ tamen, ne de mea, quam parui admodum facio, nimis videar opinione præſumere, Sapientiorum ſententiæ libens, volenſque ſubijcio. Denique hos omnes labores, atque hoc qualecumque eſt opuſculum, quod Deo auſpicante aggreſſus ſum, Deo annuente, perſolui; eidem bonorum omnium largitori, ex quo omnis ſapientia eſt, dicatum volo.

FINIS.

INDEX CAPITVM.

PROLVSIO.

Cap. 1 *De modo ſciendi.* pag. 11
2 *De argumentatione eiuſque ſpeciebus.* 12
3 *De concertatione.* 17
4 *De ratione ſtudendi.* 20
5 *De Methodo.* 23

LIBER PRIMVS.

Cap. 1 De *termino in communi.* 37
2 *De termino communi, & particulari, & alijs, qui ex his deriuantur.* 55
3 *De termino Vniuoco, Aequiuoco, Analogo, Complexo, & incomplexo, Finito, & infinito. primæ, & ſecundæ intentionis: tranſcendente, & non tranſcendente, copulatiuo, & non copulatiuo, Denominatiuo, & Denominante. Pertinente, & impertinente.* 66
4 *De termino categorematico, & ſyncategorematico. Abſtracto, concreto.* Ab*ſoluto, & conno-*

ta-

tatiuo. 76
5 *De Terminis in quinque claſſes diſtributis, ſeu de prædicabilibus.* 103
6 *De prædicamentis.* 107
7 *De ſuppoſitione in communi.* 110
8 *Quotuplex ſit ſuppoſitio.* 127
9 *De ſuppoſitione terminorum ratione ſyncategorematis.* 137
10 *De aſcenſu, & deſcenſu; ſeu reſolutione ſuppoſitionis, ſeu de inductione.* 146
11 *An, & quando liceat argumentari à diſtributiuo ad collectiuum.* 150
12 *De ſtatu, ampliatione, reſtrictione, alienatione diminutione.* 158
13 *De appellatione.* 164
14 *De definitione.* 167
15 *De diuiſione.* 173

LIBER SECVNDVS.

Cap. 1 *De nomine.* 177
2 *De verbo.* 180
3 *De oratione.*
4 *De enunciatione, vbi de oratione perfecta.* 189
5 *De ſpeciebus enunciationis.* 196

6 De

6 *De materia, qualitate, & quantitate ſimplicis propoſitionis.* 198
7 *De oppoſitione ſimplicium enunciationum.* 200
8 *De æquipollentia ſimplicium enunciationum.* 221
9 *De conuerſione.* 230
10 *Quid, & quotuplex ſit propoſitio hypothetica.* 234
11 *De oppoſitione propoſitionum hypotheticarum.* 254
12 *De propoſitionibus modalibus. Quæ, & quotuplex ſit propoſitio modalis, deque eius qualitate, & quantitate.* 265
13 *De oppoſitione, æquipollentia, & conuerſione harum propoſitionum.* 273
14 *De exponibilibus, ideſt excluſiuis, exceptiuis, reduplicatiuis.* 295

LIBER TERTIVS.

Cap. 1 *Quid, & quotuplex ſit conſequentia.* pag. 314
2 *De Regulis bonæ conſequentiæ.* 328
3 *De ſpeciebus conſequentiæ* 344
4 *De Syllogiſmo in genere.* 349

5 De

5 *De duobus principijs. Dici de omni, & Dici de nullo.* 355
6 *Quid, & quotuplex ſit figura, & modus* Syllogiſmorum. 362
7 *De modis ſingularũ figurarũ.* 365
8 Coniugatio *omnium modorum ſingularum figurarum.* 371
9 *Traduntur regulæ cõmunes omnibus tribus figuris.* 372
10 *De regulis ſingularũ figurarũ.* 393
11 An *præter tres figuras aſſignanda ſit quarta, quæ dicitur* Galeni. 399
12 *De reductione ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos, & indirectorum ad directos.*
13 *De inuentione medij.* 412
14 *De ſyllogiſmorum poteſtatibus, & defectibus.* 425
15 *Quid ſit, & quando liceat argumentari ex ſuppoſitione impoſſibili, vbi quid ſit argumentari ex eadem ſuppoſitione per locum intrinſecum, quid per extrinſecum.* 429
16 De Sillogiſmo *expoſitorio.* 447
17 *De modo ſyllogizandi in terminis diuinis.* 457

18 *De*

18 *De Syllogiſmo hypothetico*. 463
19 *De Syllogiſmis ex propoſitionibus exponibilibus*. 481
20 *De Syllogiſmis ex terminis obliquis*. 491
21 *De Syllogiſmo ex propoſitionibus modalibus*. 493
22 *De alijs ſpeciebus argumentationum. Quomodo reducuntur ad Syllogiſmum*. 505
23 *De Syllogiſmo demonſtratiuo, & topico*. 511
24 *Quid, & quotuplex ſit locus in genere*. 514
25 *De locis in particulari*. 516
26 *De Syllogiſmo pſeudagrapho, & ſophyſtico*. 535
27 *De vſu quarundam vocum, & diſtinctionum*. 552

INDEX EORVM, QVÆ IN HOC Opere continentur.

ARgumentatio quid ſit. pag. 13
Argumentatio quot partibus conſtet. 13
Argumentationis quatuor ſpecies. 14
Arguentis tres ſunt leges 17
Arguentis, & defendentis tres item. 19
An æquiuocus terminus ſit terminus cõmunis. 64
Analoga, alia ſunt propria, alia impropria. 73
Aequiuoca, alia ſunt à caſu, alia à conſilio. 74
Aequiuocatio an tantum ſit in voce. 74
Aequiuoca poſſunt fieri vniuoca. 75
Accidens quid ſit. 109
Actio, & paſſio quid ſint. 106
An abſtracta omnia realiter diſtincta à ſuppoſito importent ſolam formam. 118
Actio notionalis quid ſit. 119
Quid ſit argumẽtari à ſubiecto nõ ſupponẽte. 141
Aſcenſus quid ſit. 146
Aſcenſus quadruplex. 147
Sub termino ſupponente copulatim, ſeu collectiue non licet aſcendere diſtributiue, vel disiunctiue, nec è contra. 153
An liceat argumentari à diſtributiuo ad collectiuum. 164
Aſcenſus disiunctiuus, vel disiunctus valet ad terminũ ſupponentẽ disiunctiuè vel diſiũctim. 155
Item ab aſcenſu copulato ad terminum ſupponentem copulatim, ſeu collectiue. 155
Item ab aſcenſu diſtributiuo, ſeu copulatiuo ad terminũ ſupponẽtẽ copulatiue, ſeu diſtributiue 156
Aſcendere ex termino ſupponente ſimpliciter non licet, neque etiam deſcendere. 151. & 157

Ampliatio quid ſit. 158
Ampliari tripliciter terminus poteſt. 158
Alienatio, ſeu diſtractio quid ſit. 168
Appellatio quid ſit, & quotuplex. 164
Affirmatio, & negatio ſunt de eſſentia propoſitionis. 192
Affirmatio vel negatio vnde ſumantur in propoſitionibus complexis. 198
Aequipollentia ſimplicium enunciationũ quid. 221
Modus reddendi aequipollentes propoſitiones contradictorias, contrarias, & ſubcontrarias. 222
Item & ſubalternas. 223
Aequipollentia vſus. 223
Quatuor ordines ſignorum aequipollentiae. 224
Modi argumẽtãdi in propoſitionib. hypotheticis. 252
Aequipollentia modalium quomodo fiat. 279
Ad illam quatuor dictiones adinuenta, & earum vſus. 271
Affirmatiue vniuerſales, & particulares quomodo conuertantur. 293
Argumentum quid. 325
Argumentatio quid. 316
Ex antecedenti poſſibili ſequi poteſt contingens poſſibile & neceſſarium. 330
Quicquid ſtat cum antecedenti, ſtat cum conſequenti non è contra 334
Quicquid repugnat conſequenti repugnat antecedenti non è contra. 335
Ex quocunque infertur antecedens, infertur & conſequens. 337
Antecedens quid ſit. 414
Concertationis leges. 17
Copula quid ſit. 74
Cauſa an habeat veram rationem ſigni. 40

An

An copula ſit terminus. 58
An Ciuitas ſit terminus communis. 59
Omnia concreta connotatiua ſunt aliquo modo compoſita ex ſubiecto, & aliqua forma. 86
Concreta duplicis ſunt generis. 87
Concreta accidentalia, alia ſunt extrinſeca, alia intrinſeca. 88
Concretum quodlibet, aliud eſt phyſicum, aliud metaphyſicum. 89
Concretum poteſt accipi ſpecificatiuè, & reduplicatiuè. 90
Concretum, & abſtractum an ſpecie differant 91
Caſus rectus an differat ab obliquo, & an obliqui inter ſe. 92
Concretum accidentale, & ſubſtantiuum quomodo differant. 93
Caſus obliqui quinam ſupponant diſtributiuè. 142
Conſtantia nomine, quæ requiritur ad veritatem inductionis, quid intelligatur. 142
Contrariarum propoſitionum altera infert contradictoriam ſuæ contrariæ. 208
Contraria propoſitio negatiua plus negat quam altera contraria affirmatiua affirmet. 208
Contradicendi qui modus ſit melius. 213
Chimeram realem an intellectus cognoſcat. 218
Conuerſio quid & quotuplex 230
In conuerſione eadem ſuppoſitio, & alia terminorum affectiones ſeruandæ. 231
copulatiuæ ꝓpoſitiones, an debeat dici ſimplices. 237
Conditionalis qualibet requirit duas propoſitiones harum prima antecedens dicitur, ſecunda conſequens. 238
Cõditionales propoſitiones an ſint oĩnes ꝑfectæ. 239
Conditionalis illatiua an tantum detur. 240

Conditionalis propoſitio quid ſit. 241
Conditionales promiſſiua,& cauſales quomodo differant. 242
Conditionales diſparata an ſint proprie conditionales. 244
Vnde deſumatur affirmatio,vel negatio copulatiuarum. 247
Conditionalis propoſitio quando nam ſit falſa,vel vera. 250
Contradictoria formalia vnde petantur. 208
Quid ſit aſſignari propoſitionem contradictoriam ſaltem de lege. 261
Chimera, & ens reale quomodo differant. 262
Conditionales non habent proprie omnes oppoſitiones & quas non habeant. 263
Contingens in propoſitione modali quomodo accipiatur. 292
Contingentis triplex acceptio 292
Conſequentia quid,& quotuplex. 314
Conſequentia quid,& eiuſdem acceptio. 319
Cognitio de obiecto multiplici poteſt haberi tripliciter,in alio,poſt aliud,ex alio. 318
Cōſequēs per quid diſtinguitur à cōſequētia. 323
Conſequentia,alia formalis,alia materialis. 324
Conſequentia ab inferiori ad ſuperius quomodo valeat. 304
Conſequentia alia artificialis,alia naturalis. 319
Conſequentia formalis,alia probabilis, alia neceſſaria. 327
Conſequentia ab inferiori per ſe ad ſuum ſuperius per ſe affirmatiuè quomodo valeat. 340
Cōſequentia à ſufficienti ſingulorū enumeratione cum medio termino an bona ſit. 341
Conſequentia bona eſt à propoſitione affirmatiua

unius contrarij ad negatiuam alterius, non autem è contra 341
Conſequentia bona eſt à propoſitione affirmatiua de tertio adiacente in materia contingenti, ad propoſitionem de ſecundo adiacente in materia autem neceſſaria nulla eſt. 342
Conſequentia valet ab vna parte diſiunctiua ad totam diſiunctiuam. 343
In omni conſequentia includitur ſyllogiſmus mētalis 344
Conſequentia bonitas, vel malitia, in quo conſiſtat. 383
Vis illius regulæ, quæ dicitur concluſio ſequitur debiliorem partem in quo conſiſtat. 387
Conſequens quid. 414
Contradictoria tripliciter importari poſſunt in antecedenti impoſſibili. 436
Conſequens non ſolum pendet ex prædicato antecedentis ſed etiam ex ſubiecto eiuſdem. 438
Concluſio conditionalis in ſyllogiſmo ex vtraque conditionali an benè inferatur 464
Cauſæ ſunt quatuor, materia, forma finis, efficiēs, & quomodo ex illis poſſimus argumētari. 522
Cauſa cū effectu tribus modis cōparari poteſt. 524
Ad multiplicationem concretorum ſubſtantialium ſubſtantiuorum non ſufficit multiplicatio ſuppoſitorum. 94
Defendentis tres ſunt leges. 18
An Deus ſit terminus inferior, & an ſit cōmunis terminus 57
Differentia quid. 105
Deſcenſus quid. 146
Deſcenſus quadruplex & eorum explicatio. 147
Definitio quid ſit, & quotuplex. 167

Definitio alia nominis alia rei 168
Definitio rei triplex eſſentialis, cauſalis, accidentalis. 166
Definitio eſſentialis duplex eſt, altera phyſica, altera metaphyſica. 168
Definitionis bonæ tres ſunt leges. 169
Definitio an ſit tota integra propoſitio cum ſua copula. 179
Diuiſio quid, & quotuplex. 173
Diuiſio alia nominis, alia rei. 173
Diuiſio rei alia eſſentialis, alia accidentalis 173
Diuiſio rei eſſentialis duplex, actualis, & potentialis. 173
Diuiſio rei eſſentialis actualis, duplex, phyſica, & metaphyſica. 173
Diuiſio accidentalis triplex. 174
Diuiſio totius integralis quid. 174
Diuiſionis binæ leges. 175
Diuiſũ dici poteſt de eo; de quo dicitur diuidẽs 175
De quo negantur omnia membra diuidentia negatur diuiſum 175
A poſitione diuiſi, & negatione unius mẽbri diuidentis valet conſequentia ad poſitionem alterius. 176
Item valet ab affirmatione unius membri diuidentis ad negationem alterius. 176
Diuiſio poteſt conſtare ex membro altero poſitiuo, altero negatiuo. 176
Disiunctiua propoſitio dupliciter accipi poteſt, & quando ſit vera, vel falſa 249
Dictum propoſitionis modalis quid ſit, & quid modus. 267
Diſcurſus quid. 317
Diuerſo modo debet aſſignari terminus ut ſuppo-

nat diſtributiuè in Diuinis, ac in creatis. 458
Diſtinctio triplex, realis, modalis, rationis. 552
Item diſtinctio rationis duplex. 552
Explicatio diſtinctionum materialiter, & formaliter, formaliter, & efficienter, virtualiter, eminenter, formaliter, in actu ſignato & in actu exercito, actu & potentia, per ſe, & per accidens, in recto, & in obliquo & plurium aliarum quæ vſurpari ſolent inter diſputandum cap. vlt. libri tertij à pag. citata vſque ad finem libri.

Enthymema quid ſit. 14
Exemplum quid ſit. 24
Exercitus an ſit terminus communis? 59
Particula, Et, quando accipiatur copulatiuè vel disiunctiuè. 156
Enunciatio quid. 189
Particula, Et, modo copulatiuè ſumitur, modo copulatim. 238
Ens poſitiuum ſictum includit duo contradictoria virtualiter. 260
Exempla æquipollentium modalium. 282
Exponibiles propoſitiones quid ſint. Item excluſiuæ, exceptiuæ. 295
Excluſiua propoſitio de prædicato excluſo quid ſit, de ſubiecto excluſo. 296
Excluſiua propoſitio reſoluenda eſt in duas categoricas. 296
Excluſiua poteſt fieri in terminis indefinitis. 296
Item quando ſit affirmatiua, & quando negatiua. 297
Excluſiuam propoſitionem poteſt multipliciter aſſerere negatio. 298
Excluſiuarũ propoſitionũ oppoſitarũ figura. 300

Et quænam oppoſitio inter illas ſeruetur. 301
Excluſiuæ propoſitiones æquiualent complexis, ac proinde oppoſitio illarum deſumenda à natura complexarum. 304
Ad exceptiuas propoſitiones quæ requirantur. 307
Exceptiua particula quatuor modis combinari poteſt. 307
Figura oppoſitionis exceptiuarum propoſitionū. 309
Excluſiua particula habet vim diſtribuendi, & adæquandi prædicatum cum ſubiecto 398
Extremū maius, & minus vnde deſumatur.
Exemplum quid, & quomodo reducatur ad ſyllogiſmum. 507
Enthymema ad quam figuram ſyllogiſmorum reducatur 509
QVid intelligatur nomine forma. 85
Forma alia eſt eſſentialis, alia accidētalis. 85
Item alia eſt phyſica, alia metaphyſica 85
Forma an importetur principalius, tam in concretis, quam in connotatiuis. 86
Forma enunciationis ſiue propoſitionis quid. 199
Figura oppoſitionis modalium. 274
Falſa non ſequitur niſi ex falſo. 333
Forma ſyllogiſtica quid ſit. 361
Figura ſyllogiſmi quid. 362
Figura an ſint tantum tres. 363
Figura prima quatuor modos directe concludentes, & quinque indirecte concludentes habet. 365
Figura Galeni an detur, & quæ ſit. 399
Figurarum diuerſitas eſſentialis, vnde deſumatur. 401
Figura Galeni eſt eadē cū prima figura Ariſt. 403
Fallacia accidentis quid ſit, & quomodo committatur. 540

Quo-

Quotuplex ſit fallacia extra dictionem, et exempla earum. 540
Fallacia in dictionibus quid, & quotuplex, & earum exempla. 547

*H*Omo, *& omnis homo, aliquis homo, & hic homo, quomodo differant.* 59
Aliquis Homo, an ſit terminus communis. 63
Hic Deus, habet duplicem ſuppoſitionem. 101
Habitus quid ſit. 110
Hypothetica propoſitiones an ſint veræ, vel falſa. 195
Hypothetica propoſitio quid, & quotuplex. 234
Hypotheticarum propoſitionum vnde deſumatur affirmatio, vel negatio. 544
Item earundem oppoſitio quid, & quotuplex. 254
Exempla earundem. 255
Hypothetica propoſitiones omnes an ſint conſequentia. 345
Hypothetica propoſitio eſt ſpecies conſequētia. 438

*I*Nductio quid ſit. 14
Intellectus an poſſit cognoſcere inintelligibile, & quid concipiat illud concipiendo. 216
Aliud eſt propoſitionem eſſe indirectam, & aliud concluſionem, ſeu ſyllogiſmum indirectè concludere. 399
Ex ſuppoſitione impoſſibili argumentari quid ſit. 429
Quid ſit aliquid ſequi per locum intrinſecum, & aliquid per locum extrinſecum. 429
An ex impoſſibili ſequatur quodlibet. 433
Non eſt abſolute verum quod ex caſu impoſſibili in ſuppoſitione inuoluente repugnantiam in terminis, ſi ſequatur vna pars contradictionis, quod etiam ſequatur altera. 430

Aliud eſt quærere quid intelligatur per modum argumentandi per locũ intrinſecum, quid per extrinſecũ, & aliud an, & quãdo liceat argumẽtari ex ſuppoſitione impoſſibili. 439 & 441
Implicantia in adiecto quid. 435
Inductio quomodo reducatur ad ſyllogiſmũ 505
LOcus in genere ſumptus quid ſit. 514
Locus duplex eſt, alter dicitur Maxima, alter Differentia maximæ. 514
Locus in particulari diuiditur in duo genera, in locos artificioſos, & in eos qui actu carent: primi generis ſunt 20. ſecundi ſunt duo 516
Quæ maximæ poſſint erui ex locis artificioſis. 517
Et tabula eorundem. 533
MOdus ſciendi quid ſit. 11
Modus ſciendi alius docẽs alius utens 11
Modi ſciendi communiter accepti definitio. 12
Modus ſciendi triplex, diuiſio, definitio, & argumentatio. 13
Methodus quid ſit. 23
Methodus duplex. 24
Materia propoſitionis quid ſit. 199
Materia propoſitionis triplex, neceſſaria, impoſſibilis, ſeu remota. & contingens. 199
Senſus materialis quid ſit, & formalis quid 118
In materia indefinita, quæ propoſitiones non ſint contradictoriæ. 211
Modus propoſitionum quid ſit. 266
Modificatio triplex. 267
Modus in propoſitione poni poteſt, vel aduerbialiter vel nominaliter. 267
Et quando ſe teneat ex parte prædicati. 267
Modi ſunt quatuor aduerbialiter dicti, neceſſariò, impoſſibiliter, contingenter, poſſibiliter. 268

Item modi nominaliter dicti ſunt quatuor, neceſ-ſe impoſſibile, poſſibile, contingens. 268
Modalis propoſitio alia eſt vniuerſalis, alia particularis de dicto ſingulari, & alia particularis, alia vniuerſalis de dicto communi. 268
Modalium affirmatio, & negatio vnde deſumatur. 270
Modales propoſitiones aliquando habent ſenſum compoſitum, aliquando diuiſum. 273
An omnes modales ſint ſingulares ex parte dicti, vniuerſales autem vel particulares ex parte modi. 281
In quolibet ordine ſi tres propoſitiones modales ſint particulares, quarta debet eſſe vniuerſalis, & è contra, ad hoc vt omnes propoſitiones illius ordinis ſint æquipollentes. 282
Modalium æquipollentium exempla. 282
Modales propoſitiones oppoſita contraria, & ſubcontraria de neceſſe debent habere vtrumque dictum, vel ſaltem alterum vniuerſale, in reliquis autem, vel vtrumque, vel ſaltem alterum debet eſſe particulare. 284
Modalium oppoſitio non habetur aliunde quam ab affirmatione, vel negatione modorum. 286
Ad modalium conuerſionem regula. 287
Modales propoſitiones conuerti etiam poſſunt per contrapoſitionem. 291
Medium quid ſit. 315
Modus ſyllogiſmi quid. 362
Modi vtiles omnium figurarum aliquibus verſibus comprehenſi. 363
Modus directe, vel indirecte concludens quid ſit. 365
Modorum primæ figuræ exempla. 366

An modi ſecunda, & tertia figura directè concludant 369
Modorum ſecunda, & tertia figura exempla, 370
Coniugationes omnium modorum ſunt ſexaginta quatuor. 372
Medius terminus quomodo inueniatur. 413
Medij termini comparatio cum extremis concluſionis fit nouem modis. 415
Medij termini cum extremis combinationes verſibus comprehenſa, & vſus illarum dictionum. 420
Meta nomine quid intelligatur à ſophiſtis, & quotuplex. 536
NOmina ſubſtantiua ſola, ſunt propriè termini categorematici. 81
Omnia nomina abſtracta ſunt abſoluta non è contra. 82
An nomen adiectiuum neutrius generis ſumptum ſubſtantiuè ſpecie differat à ſeipſo ſumpto adiectiue. 92
Cur nomina adiectiua non multiplicentur ad multiplicationem forma & per tale nomen ſignificata. 96
Nominis definitio. 177
Ex neceſſario non ſequitur niſi neceſſarium. 331
Tam ex neceſſario, quam ex contingenti, & poſſibili non poteſt ſequi impoſſibile. 332
OPeratio intellectus quid ſit. 26
Operatio intellectus triplex. 27
Operationes intellectus quibus imperfectionibus ſint obnoxia. 27
Operatio intellectus primo diuiditur in intuitiuam, & abſtractiuam. 29
Intuitiua autem in comprehenſiuam, & incom-

pre-

prehenſiuam. 39
Secundo diuiditur in directam & reflexam. 42
Tertio diuiditur in vltimatam, & non vltimatam. 33
Operatio abſtractiua diuiditur in præciſiuam, & negatiuam. 35
Quarto operatio intellectus diuiditur in abſolutam, & comparatiuam. 35
Quid intelligatur quando dicitur vnum importari in obliquo, alterum in recto. 89
Omnis, an ſemper ſupponat diſtributiue. 140
Oratio quid. 187
Oratio duplex, perfecta & imperfecta. 187
Oratio imperfecta duplex ſine verbo, & cum verbo. 18
Oratio perfecta alia enunciatiua, alia non enunciatiua. 189
Oppoſitio ſimplicium enunciationum quid. 200
Oppoſitio quadruplex contradictoria, contraria, ſubcontraria, ſubalterna. 201
Oppoſitio ſubcontraria, an ſit vera oppoſitio. 202
Oppoſitionum figura. 202
Oppoſitio contradictoria quid. 204
Omnes oppoſitiones reducuntur ad contradictoriam. 204
Oppoſitionum vis. 205
In oppoſitionibus obſeruanda eſt ſemper conſtantia terminorum. 210
In oppoſitione ſeruanda eſt eadem ſuppoſitio terminorum, appellatio, ampliatio, aſcenſus deſcenſus. 221
Propoſitio quibus terminis conſtet. 15
Prædicatum quid ſit. 15
Prædicatio recta quot modis fiat. 103

Prædicatio alia eſt naturalis, alia innaturalis. 102
Alia quaſi præternaturalis et alia irregularis 103
Prædicatio importat identitatem inter rectum prædicati, & ſubiecti. 103
Proprium quid. 105
Prædicabilium diuiſio vnde oriatur. 106
Prædicamentum quid ſit. 107
Prædicamenta ſunt decem. 108
Propoſitiones aliquando faciunt ſenſum identicum, aliquando formalem. 118
Prædicatum quoties importat de formali, aliquod repugnans immediato ſignificato ſubiecti, quod eſt abſtractum, propoſitio eſt falſa. 119
Potentia ſimultatis & ſimultas potentiæ quid ſit. 151
Propoſitiones de ſecundo, & de tertio adiacente quomodo differant. 184
Propoſitio alia formalis alia obiectiua. 185
Propoſitio alia ſimplex, ſeu categorica, alia compoſita ſeu hypothetica. 195
Prædicatio duplex, altera directa, altera indirecta. 197
Quid ſint propoſitiones de ineſſe. 198
Propoſitiones ſe falſificantes an poſſint eſſe oppoſita. 214
An dentur propoſitiones ſe falſificantes. 218
An propoſitio de prædicato infinito æquipolleat propoſitioni negatiuæ, & an liceat ex vna argumentari ad aliam. 227
Ad propoſitiones dignoſcendas literæ. 231
Propoſitiones cum relatiuo qui, quæ, quod reducuntur ad copulatiuas. 253
Propoſitio de ineſſe quæ dicatur. 266
Principia poſterioriſtica quænam ſint, & quænam

nam prioriſtica. 351
Præmiſſarum tranſpoſitio non facit differentiam eſſentialem. 402
Præmiſſam unam particularem ſequitur concluſio particularis. 385
Duo principia quibus oſtenditur inutilis combinatio præmiſſarum ad inferendam concluſionem. 413
Eorundem principiorum uſus. 424
Poteſtas ratiocinandi in circulum quid ſit. 426
Poteſtas plura concludendi, quid. 425
Poteſtas concludendi per conuentionem quid 427
Poteſtas ratiocinandi per impoſſibile item ratiocinandi ex oppoſitis quid. 427
Quomodo accipiendum ſit principium illud: quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem ea inter ſe. 359
Non ſunt aſſignanda alia principia dialectica ad ſyllogizandum in terminis diuinis. 458
Q
Vantitas quid ſit, alia continua, alia diſcreta. 108
Continua alia ſucceſſiua, alia permanens. 109
Qualitas quid. 109
Quando quid. 109
Qualitas enunciationis quid. 199
Quantitas enunciationis quid. 200
Quantitas modorum quid ſit. 268
Et vnde deſumatur. 269
Quæſtio quid ſit. 316
Quæſtio quadruplex eſſe poteſt. 414
R
Ationalis an ſit terminus ſuperior. 65
Relatio quid. 109
Regula aliquot ad ampliationem terminorum dignoſcendam. 159

Re-

Reſtrictio quid & quotuplex. 161
A reſtricto valet conſequentia ad amplum, non è contra. 161
Regula ad dignoſcendam veritatem, vel falſitatem propoſitionum hypotheticarum. 250
Regula aſſignandi contradictorias copulatiuas, & earundem exempla. 255
An illa regula valeant quando propoſitio copulatiua, eſt de partibus contradicentibus. 258
Regula ad dignoſcendam veritatem, & falſitatem modalium. 270
Regula ad conuerſionem modalium. 287
Reduplicatiua propoſitiones quid ſint. 295
Reduplicatiua particula duplex eſt ſenſus, alter ſpecificatiuus, alter reduplicatiuus. 310
Pro oppoſitione reduplicatiuarum quid requiratur. 310
Et eiuſdem oppoſitionis figura. 311
Regula aliquot conſequentia bona. 328
Regula communes omnibus tribuūtur figuris 372
Eadem regula verſibus comprehenſa. 381
Aliqua alia minores regula qua ſunt explicationes ſupradictarum. 382
Regula prima figura. 393
Regula ſecunda, & tertia figura. 395
Reductio ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos fit dupliciter oſtēſiue, & per impoſſibile. 406
Regula reductionis ſyllogiſmorum imperfectorum ad perfectos. 406
Reductio ad impoſſibile quid ſit. 409
Reductionis ad impoſſibile in ſingulis figuris varia exempla. 410
Repugnans ſeu diſparatum quid. 414
Regula quatuor ad medium, terminum bene

ponendum. 416
Redargutio ſub qua cōprehenditur triplex vitiũ ſyllogiſmorũ eſt præcipua meta ſophiſtarũ. 538
Syllogiſmus quid ſit. 14
Subiectum quid ſit. 15
Syllogiſmus tres tantum admittit terminos. 16
Studendi ratio quatuor præcepta continet. 20
Signum quid ſit. 38
Signum aliud formale, aliud inſtrumentale. 38
Signum tam inſtrumentale, quam formale poteſt diuidi in ſenſibile, & inſenſibile. 39
Species impreſſa an habeat rationem ſigni. 40
An idem poſsit eſſe ſignum ſui ipſius. 41
An debeat eſſe diſtinctio inter rem ſignificatam, & ſignum. 43
Signum inſtrumentale aliud naturale, aliud ad placitum. 44
An hæc diuiſio competat ſigno, prout communi ad materiale, & ſpirituale. 44
Signum ſecundum conſuetudinem quid ſit. 45
Sol an ſit terminus communis. 57
Significare, & connotare quomodo diſtinguantur. 78
Subiectum quare dicatur materia. 85
Species quid. 104
Subſtantia quid. 108
Situs quid. 109
Suppoſitionis definitio, & acceptio. 110
An pro omni eo, quod aliqua vox ſignificat, ſupponat. 111
An melius dicatur terminum ſupponere pro re, quam ſupponi. 112
Supponere, ſignificare, verificari & accipi diſtinguuntur inter ſe, & quomodo. 114

I N D E X.

Supponere tripliciter accipitur. 144
Nullus terminus poteſt ſupponere pro re quam non ſignificat. 117
Suppoſitio quid ſit. 127
Alia materialis, alia formalis. 127
Materialis alia intrinſeca, alia extrinſeca. 127
Formalis alia propria, alia impropria. 128
Suppoſitio alia ſimplex, alia perſonalis. 129
Suppoſitio abſoluta quid. 132
Suppoſitio alia communis, alia diſcreta, an detur. 133
Suppoſitio alia naturalis alia accidentalis. 134
An in hac propoſitione animal eſt homo, animal ſupponat naturaliter. 135
Syncategorema quid ſit. 137
Suppoſitio termini communis affecti ſigno vniuerſali, alia eſt collectiua, alia diſtributiua. 137
Suppoſitio diſtributiua alia eſt diſtributiua ſimpliciter, alia diſtributiua ad commoda. 138
Suppoſitio termini communis affecti ſigno particulari, alia confuſa, alia determinata. 138
Suppoſitionis confuſæ, & determinatæ vnde oriatur diuerſitas. 139
In omni propoſitione indefinita ſubiectum ſupponit, vel confuſe, vel determinate. 140
Quæ particulæ ſupponant ſemper diſtributiue. 141
Vel quæ ſupponant ſemper, aut confuſe, aut determinate. 141
Quæ particula modo diſtributiue modo collectiue ſupponant. 141
Quandonam ſubiectum ſupponat diſtributiue prædicatum vero non. 142
Quinam termini ſupponant tantum confuſe, ſeu determinate, & eorum reſolutio. 149

Sen-

Senſus compoſitus quid ſit & quid diuiſus. 150
An valeat argumentari à ſenſu diuiſo ad compoſitum. 150
Senſus compoſitus alter antecedens, alter conſequens. 151
In ſubcontrarijs plus affirmatiua affirmare poteſt, quam negatiua neget. 203
An ſolus ſyllogiſmus in figura, & modo ſit argumentatio formalis. 347
Sorites quomodo fiat 337
Syllogiſmi acceptio & definitio.
An ſub definitione ſyllogiſmi explicata contineantur ſyllogiſmi hypothetici, & expoſitorij. 352
Syllogiſmi principia alia materialia, alia formalia. 353
Materialia principia, alia remota, alia p̄xima 352
Ad Syllogiſmũ tres termini requirũtur, magis extremũ, minus extremũ, & medius terminus 353
Formalia principia alia extrinſeca, alia intrinſeca. 354
xtrinſeca item ſunt duplicis generis 354
d Syllog ſ.lũ probatiuũ quæ requirantur 355
uo vis oĩs perfecti ſyllogiſmi nititur hiſduobus principijs, dici de omni, & dici de nullo 359
n omniũ Syllogiſmorũ affirmatiuorum vnicum ſit principium ſcilicet dici de omni, ſicut negatiuorum dici de nullo. 360
llogiſmus quis vtilis, vel inutilis dicatur 371
poſſint dari alij ſyllogiſmi in ſecunda, & tertia figura. 397
in Syllogiſmo poſſint admitti propoſitiones excluſiua. 398
logiſmus includit quæſtionẽ, & quid illa ſit 418
gismi ſex poteſtates. 421

Syllogiſmorum vitia tria. 427
Inter ſequelam mediatam, & immediatam diſcrimen.
Syllogiſmus expoſitorius quid. 447
In Syllogiſmo expoſitorio medius terminus debet eſſe ſingularis. 449
In qualibet figura poſſunt fieri ſyllogiſmi expoſitorij. 449
Et ad id faciendum duplex via. 450
Solutio ſophiſmatis Diogenis propoſiti à Diſcipulo Platonis. 450
In ſyllogiſmo expoſitorio quatuor leges ſeruandæ ſunt. 599
Syllogiſmus hypotheticus duplex, proprius, & improprius, & quas conditiones requirat. 464
Syllogiſmus hypotheticus conſtans propoſitionibus copulatiuis; vel diſiunctiuis quas conditiones requirat. 469
pro ſyllogiſmo conſtante propoſitionibus diſiunctiuis, quarum diſiunctio ſit inter terminos repugnantes duplex figura traditur. 474
Vtraque figura tres habet modos. 475
Syllogiſmus hypotheticus conſtans propoſitionibus diſiunctiuis, in quibus diſiunctio non ſit inter terminos repugnãtes, quã figuram habeat. 475
Syllogiſmorum ex propoſitionibus complexis varia exempla & quinam ſint in forma. 479
Syllogiſmi ex propoſitionibus exponibilibus quinam ſint. 481
Syllogiſmus excluſiuus quando nam cõcludat. 482
Item quando exceptiuus. 486
Item quando reduplicatiuus. 489
Item quando ſyllogiſmus, qui eſt ex terminis obliquis. 491

Item

Item quando ſyllogiſmus, qui eſt ex propoſitionibus modalibus, & regulæ aliquot vt recte concludat. 493
Syllogiſmus demonſtratiuus quid ſit, & quotuplex. 511
Syllogiſmus Topicus quid ſit. 512
Syllogiſmus captioſus tripliciter eſſe poteſt ratione formæ, ratione materiæ, ratione vtriuſq. 535
Sophiſmatum aliquorum explicatio. 538
Terminus quid. 33
Eiuſdem definitio & acceptio. 37
Eiuſdem prima diuiſio in ſignificatiuum, & non ſignificatiuum. 38
Secūda diuiſio in mentalē, vocalem, & ſcriptū. 38
An partes orationis ſint termini. 52
An extra propoſitionem ſint termini. 54
Termini communis definitio. 55
Terminus cōmunis an idem ſit, ac vniuerſalis. 55
Terminus vniuerſalis quid. 26
Terminus ſuperior idem, ac communis. 5
Termini particularis definitio. 48
Terminus particularis duplex, alter confuſus, alter determinatus. 56
Terminus inferior quid. 37
Turba an ſit terminus communis. 61
An hic terminus Petrus, & Paulus ſit terminus communis. 74
Quare terminus dicatur confuſus. 64
Termini alia diuiſio in vniuocum, æquiuocum, analogum, analogus alius propoſitionis, alius attributionis. 66
Alia diuiſio in complexum, & incomplexum. 67
Alia diuiſio in finitum, & infinitum. 68
Alia

Alia diuiſio in terminum primæ & ſecundæ intentionis. 69
Alia diuiſio in tranſcendentem, & non tranſcendentem. 69
Alia in copulatiuum & non copulatiuum. 69
Alia in denominatiuum & denominantem. 70
Terminus determinatus quid ſit. 71
Alia in pertinentes, & impertinentes. 72
Pertinentes alij ſe inferunt alij ſe excludunt. 72
Pertinentes qui ſe inferunt, alij ſunt ſynonimi, alij conuertibiles, alij ſuperiores, alij inferiores. 73
Pertinentes qui ſe mutuo excludunt, alij ſunt diſparati, alij oppoſiti. 92
Pertinentes oppoſiti quadruplicis ſunt generis. 72
Terminus ſignificatiuus diuiditur primo in Categorematicum, & ſincategorematicum. 76
Secundo diuiditur in abſtractum, & concretũ. 77
Tertio in abſolutum, & connotatiuum 78
An terminus ſupponat extra propoſitionem. 113
Tempora ſunt quatuor. 158
Particula, tantum, importat negationem, & quam vim habeat. 291
Termini Diuini, alij eſſentiales, alij perſonales, alij notionales. 457
Vox ſignificatiua quomodo differat a non ſignificatiua. 46
Vox non ſignificatiua an detur. 36
Vox non ſignificatiua an ſit terminus. 48
Vniuerſale quid ſit, & quotuplex. 104
Vbi prædicamentum quid ſit. 109
Voces an ſupponant pro conceptibus. 112
Verbum quid ſit. 180
Verbum aliud ſubſtantiuum, aliud adiectiuũ 184

Veritas, & falſitas ſunt accidentia propoſitionis. 192
Vniuerſalis affirmatiua non poteſt conuerti ſimpliciter, & cur. 338
Veritas vel falſitas propoſitionum tam copulatiuarum, quam illatiuarũ vnde deſumatur. 148
Voluntas & intellectus quam menſuram habeant actuum ſuorum & diſcrimen inter vtramque menſuram. 444

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGE.

162	ver. vlt.	qrætermitto	prætermitto
163	ver. 11	fit	ſit
241	ver. 25	ceditionalis	conditionalis
255	ver. 1	iſtæ	iſti
286	ver. pen.	fit	ſit
308	ver. 7	præpoſitio	propoſitio
311	ver. 6	bone	bene
314	ver. pen.	diuerſæ	diuerſa
321	ver. 18	fit	ſit
325	ver. 12	ſis	ſit
334	ver. 2	conſequentr	conſequenti
362	ver. 1	differunt	diſſerunt
381	ver. 3	differt	differret
408	ver. vlt.	figura	figuræ
431	ver. 4	immediata	immediate
494	ver. 7	iuſtantiam	ſubſtantiam
525	ver. 1	producautor	producantur
541	ver. 13	ſuus	tuus
ibid.	ver. 14	ſuum	tuum
547	ver. 30	meminibus	meminimus
ibid.	ver. 31	fallacimus	fallacibus
563	ver. 4	auctoritate	auctoritati
570	ver. 9	hac	hæc

Alios errores, & mutationes præſertim litterarum, facile per ſe ipſum prudens, ac beneuolus Lector corrigere poterit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google